S

MAGIAE OMNIFARIÆ,

Vel potius,

VNIVERSAE NATVRAE THEATRVM:

IN QVO A PRIMIS RERVM PRINCIPIIS arcessita disputatione, vniuersa SPIRITVVM & INCANTATIONVM natura, &c. explicatur.

Auctore D. STROZZIO CIGOGNA, *Nobili Vicetino Theologo, Philosopho & LL. Doctore clarissimo:*

Ex Italico latinitati donatum opera & studio CASPARI ENS L.



COLONIAE,
Sumptibus Conradi Butgenij.
ANNO M. DC. VII.
Sub signo Arboris.

INDEX CAPITVM, LIBRI PRIMI.

CAPVT PRIMVM.

LIBRI SECVNDI.

Cap.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

lon-

FINIS.



MAGIAE OMNIFARIÆ,

Vel potius

VNIVERSAE NATVRAE Theatrum.

De vniuersi huius architecto & fabricatore, qui Deus est: deq; impio Atheistarum & Sadducæorum qui Deum & Spiritus esse negant, errore.

CAPVT I.



EVM esse, vniuersi huius mundi opificem atque architectum, dubium esse nemini potest: nec vel disputatione ad hoc intelligendum, vel ad probãdum argumentis, vel ad persuadẽdum auctoritate est opus. Ipsum enim diuinum numen sui notitiam quum in omnibus alijs rebus, tum præcipuè in hominum animis ita impressit, vt firmius argumentum quam ex nostraipsorum conscientia sumi non possit. Nam quis ex omni hominum numero vbi oculos ad cœlum conuerterit, & stella-

Deum esse hominũ testatur conscientia.

rum tum fixarum, tum errantium pulchritudinem & ſplendorem contemplatus fuerit, Deum eſſe negare auſit? Solem mihi quis intueatur, cœli illam facem inextinguibilem, diei effectorem, luciſque diſpenſatorem; tum noctilucā Lunam, argenteo colore diuerſas figuras repræſentantem: qui etſi varijs adeoque contrarijs motibus cientur, conſtantiſſimè tamen viciſſitudines cōficiunt anniuerſarias, & admirabilem ſeruant ordinem & concentum. Cernatur Terra vniuerſa, veſtita floribus, herbis, arboribus, beſtiarum cicurum & ferarum plena, locata in mundi media ſede, ſua grauitate ſtabilis ſuiſque in ſenutibus cōglobata, neque in hanc neque in illā partem diuergens. Adde huc impendentium montium altitudines, vallium profunditates, immenſitates camporum, ſyluarum veſtitus viridiſſimos, vaſtitates litorum, inacceſſas rupium aſperitates, gelidas perennitates fontium, liquores perlucidos amnium, ſtagnantes paludum & æſtuariorum aquas, ſuauiſſimum decurrentium riuulorum ſtrepitum & murmur, quorum commoditatibus res omnes hominum mirum in modum adiuuantur, & venuſtate ſpectantium oculi & animi mirificè afficiuntur. Quis non obſtupeſcat mare intuens, continuis fluctibus ac ventis agitatum, cuius nec diffiuens æſtus in aridum ſe effundit, nec immenſitas terram operit; ſed litore & exiguis arenarum collibus tamquam obicibus clauſum continetur. Cuius mēs tam tarda tamque bruta ſit, quę non ſtatim à tantæ tamque admirabilis rerum omnium pulchritudinis atque ordinis aſpectu ad diuini alicuius

numi-

numinis, quod hæc omnia fecit, mouet, reget, & gubernat, cognitionem & sensum feratur? Quis verò in seipsum descendens, suamque ipsius fabricam contemplatus, non veluti mundi quoddam videt compendium, & vt Græci appellârunt, Microcosmum? Ecce tibi corpus habile & ad omnes motus accommodatum: ecce animam per se omnis motus expertem, sola tamen voluntate & nutu motus omnes regentem: cuius quum opera & effectus sensibus obuij sint & expositi; natura tamen & essentia nec mortalibus oculis aspici, nec intellectus vi comprehēdi potest. Annon harum omnium rerum tanta est admirabilitas, tanta tamque excellens præstantia, quæ vel inuitos fateri cogat, esse diuinum aliquod & præpotens numen, quod hæc omnia operetur, & infinita sua sapientia immensam hanc mundi fabricam tueatur & gubernet. Hermes Philosophus dicere solebat, non quidem humanæ intelligentiæ angustijs Deum capi, manibus tamen quodammodo contrectari posse, vtpote cuius apertissima vestigia omnibus in rebus impressa cernantur. *Hermes Trismegistus.* Idem Iamblichus affirmat his verbis: *Deos nos quodammodo concipere possumus, nec tamen cognitione propriè aliqua, sed quodam quasi contactu, qui omni cognitione certior est.* *Iamblichus* Auicenna, quamuis ex barbara gente, eum inter stultos & amentes habendum putat, qui Deum noscere se neget. *Quicunque*, ait, *Deum aut Numen non agnoscit, non tantum ratione caret, sed etiam sensu.* *Auicenna.* Eloquentiæ fons & parens Cicero negat quidquam intelligere eum, qui oculos ad cœlum erigens, eiusque incredibilem *Cicero de natura Deorum lib. 1.*

ſplendorem intuens, non intelligat ſtatim diuinam eſſe quandam mentem, vniuerſi huius præſidem & gubernatricem. *Quid enim poteſt eſſe tam apertum*, inquit, *tamq; perſpicuum, quum cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaq; contemplati ſumus, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſsimæ mentis quo hæc regantur?* Et paullo poſt: *Eſſe igitur Deos ita perſpicuum eſt, vt id qui neget, vix eum ſanæ mentis exiſtimem.* Idipſum Ariſtoteles paſſim in libris ſuis teſtatum fecit, eſſe ſcilicet Deum à quo omnia fluant. & inter cetera quodam in loco ita argumentatur: *Contingit aliquid dare ſecũdum ſpeciem quod ſimul mouet & mouetur, & aliquid quod tantum mouetur: ergo erit dare aliquid quod tantum mouet & non mouetur.* Sed quid opus eſt verbis? quum nulla gens tam remota, nullum hominum genus tam immane tamque barbarum reperiatur, quod non Dei aliquam, quamuis in diuerſo religionis cultu, animo informatam habeat notionem. Age, vniuerſas gentes & nationes ab oriente ad occidentem, ab auſtro ad ſeptemtriones perluſtra, excute præteritorum omnium ſæculorum monumenta: nuſpiam non ſacrorum ritus, religiones, ſacrificia, luſtrationes, templa, fana, delubra, Græcorum, Chaldæorum, Indorum, Arabum, Perſarum, ac ceterarum quantũvis moribus efferatarum gentium deprehendes: adeò vt verum ſit, vbicumque homines vnquã vitam egerint, ibidem quoque Dei opinionem & religionem quandam viguiſſe, confuſam quidem illam, variam & diſcrepantem, in eo tamen, quod Deus ſit, conſentientem. Cretenſes, Libyci & Idæi Iouem adorârũt,

Ariſtotel. 1. Metaph. 3. & 7. Phyſic.

Religio & cultus Dei ſemper apud homines fuit.

Carthaginienses, Argiui & Myceni Iunonem diuinis honoribus coluerunt, Thebani Herculem, Bœotij Charites, Isidem Aegyptij, Thebani & Arabes Bacchum, Iones, Delphij & Rhodij Apollinem, Venerem Cyprij, & inprimis Paphi ciues; Athenienses & AEtoli Mineruam, Imbrani & Therasiani Vulcanum, Itali & Thraces Martem, Solem Scythæ, Proserpinam Siculi, Priapum Hellesponti accolę, Elei Plutonem, Bœotij Musas, Latonam Delphij, Saturnum Rhodij, Osiridem Aegyptij, Neptunum Lacones, Asiatici Nemesin, Fortunam Attici, Eleusij Cererem, Aristeum Arcades, Cupidinem Colchi, AEsculapium Epidaurij, Ephesij Dianam, Phryges Cybelem pro numine habuerunt: tanta deniq; Deorum Dearumque multitudo ab Ethnicis fuit introducta, vt eorum numerum triginta milia excedere Hesiodus scribat, quos hoc loco recensere aut enumerare tædiosum minis & molestum foret. Ceterum hi omnes populi vt diuersa numina coluerunt, ita diuersis quoque sacris & sacrificijs sunt vsi. Saturno humana hostia fiebat; Soli equus immolabatur, Vulcano ignis, Veneri turtur, agnus niger Proserpinæ, Cybelæ siue Deûm matri primitiæ, Dianæ cerua, Fauno capra, anchora Fortunæ, Gratijs farina, Herculi & Neptuno taurus, anser Isidi, Ioui bimæ pecudes & spumantes vino & sanguine paterę, Iunoni agna candida, Latonæ lana, Priapo asinus, testudo Mineruæ, Nemesi lingua, Musis hasta, bos Osiridi, Plutoni aurum, Cereri porca, caper Baccho, gallus AEsculapio, sagittæ Cupidini, mel Aristeo, hecatombe Apollini offerebatur: & vt

Dij qui ab antiquis populis culti.

Priscorum sacrificia.

summatim dicam, quanto plures Dij, quanto plures ac magis diuersæ sacrificiorum commemorantur species, tanto firmius est argumētum, hanc communem omnium pæne gentium opinionem non à consuetudine & vicinorum populorum commercijs promanâsse, sed ab ipsa natura animis hominum insitam esse atque innatam. Rei tam manifestæ nihilominus tamque indubitato principio & superioribus sæculis reperti sunt qui obloquerentur, fidemque derogarent, homines vecordes atque amentes, atque vtinam hodie quoque non superessent, qui Deum esse negant, ac mundum æternum esse, & casu quodam ex seipso, homines verò tamquam muscas aut scarabæos è terra natos affirmare non dubitant, hasque impietates alijs ineptis & friuolis cōmentis cumulant, de quibus merito illud Psalmographi vsurpari potest: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* ac proinde nec angelos nec dæmonas esse credunt, animæ etiam immortalitatem inficiantur: nec quidquam aliud boni nôrunt quam quo corpus iuuatur, & cupiditates, ad instar brutorum animantium exsatiātur, illud Epicuri in ore habentes:

Impia athe istarum opinio.

Lude, bibe, & comede, atq; tuum mortalibus exple
Delicijs animum: post mortem nulla voluptas.

Card. lib. 2. De cons.

In qiubus illud sane mirum est, quod quū præter mundana nihil spirent, loquantur aut sentiant, in his tamen illud videre aut cōtemplari nolint, quod & omnibus maximè est cōspicuum, quodque adeo clarissima diuini numinis indicia præfert. Nam si à rebus inferioribus ad sublimes, à terrenis ad cœlestes; ab vniuersis ad singulares

Deum esse vnde poßit intelligi.

ascendamus, nullam profectò reperiemus rem tam excelso tamque illustri loco positam, quæ non ad designandam nobis diuini numinis præsentiam quodammodo se demittat, nullam tam paruam tamque abiectam quæ creatoris sui magnitudinem non ostendat. Quatuor omnino in hac inferiori mundi parte res sunt, è quibus vitæ, sensus ac rationis ducta videntur principia, Terra scilicet, Aqua, Aer & Ignis, è quibus res omnes quæ sunt, quæque mouentur, & sensu ac ratione præditæ sunt, constant & sustentantur: in his ipsis tamen quatuor elementis nihil aliud deprehenditur quam nuda quædam essentia, omni vita, sensu & motu destituta, adeò vt à nihilo, vt ita dicam, aut ab ipsa priuatione parum absit eorum natura. Arboribus & plantis vegetandi tantum est facultas, quàm dicta elementa conseruant, alimentum terra, aere & aqua humorem suppeditante. Animalia præterquam quod sunt & viuunt, sentiunt quoque, & itidem ab elementis vitam sumunt, ab igne calorem, ab aere spiritum, à terra, aqua & plantis alimenta quibus vita eorum sustentatur. Sequitur homo, vita, sensu, & ratione præditus, hic vtitur elementis, manducat plantas, dominatur animalibus, & intelligentiæ acrimonia res abditas & obscuras, tam in cœlo, quàm in terra percurrit & rimatur. Quis tam ab omni humanitate est alienus, nisi fortè in ipsis terræ cauernis editus, & glande ac siliquis inter feras educatus, qui non facilè pulcherrimum hunc rerum omnium ordinem peruidere, atque inde pro certo colligere queat, necessariò esse quendam qui hæc omnia

Aristot. 2. & 4. Metaphys. text. 5.

Homini res omnes seruiunt.

condiderit, architectum, spiritum cuius nutu omnia gubernentur, dominum cuius imperio omnia contineantur? Nam quis dixerit, cuius sapientia gradus quos videmus in rebus omnibus constituti, & res inferiores superioribus sint subiectę? Illud fortasse dices, res quæ sunt originem, vitam, sensum & motum à seipsis habere. Sed quid ais? cuius vi, quomodo, aut quando factum est isthoc quod factum dicis? Hoc saltim consideremus, quantopere res vnaquæque libertatem expetat, & seruitutem auersetur. Cur igitur elementa, quorum tanta vis est, tantaque amplitudo, non primum sibi elegerunt locum? vnde illud est, quod tantillis stirpibus & animantibus subiacent & vltrò inseruiunt? Quam vero causam dicemus, cur homullis nobis in elemēta, plantas, animantia, atque adeò omnia hæc inferiora imperiū debeatur? non illud vides quod vel manibus palpari potest, esse quendam vniuersi huius rectorem, ordinis magistrum, & velut in magna aliqua familia patrem rerumque omnium dispensatorem, cuius iussu elementa seruiant, animalia his vtantur, omnia verò tam hæc quam illa homini ad Dei imaginem & similitudinem facto, obedientiam præstent, & vsum præbeant? Et quoniam res ipsa nos in hanc disputationem induxit, velim mihi heic dicant impij illi qui Deum esse negare audent, vtrum prius fuerit, esse vel non esse, sentire vel non sentire, ratiocinari vel non ratiocinari? Certè dubium non est, non esse prius fuisse quam esse: siquidem & nos olim non fuimus, & patres nostri suos quoque progenitores, & aui nostri atauos ac tri-

Mūdus sine Deo consistere nequit.

Vtrū prius esse vel non esse.

ac tritauos suos habuerunt: & sic deinceps. Eodem modo plantarum videmus originem & finem; animalium iuuentutem & senectam, vitam & mortem: semperque omnibus in rebus finis certissimum est principij signum. Fateri igitur necesse est fuisse aliquando tempus, si modo tempus dici potest, quo nec mundus, nec elementa, nec animalia, nec homines vlli fuerint: quæ quum omnia iam præsentia cernantur, illud quoque negari non potest à vi quadam externa hæc esse producta: quandoquidem ex nihilo nihil fieri vmquam potest, & inter nihil & quamcumque rem, etiam minimam, infinitum est interuallũ: infinitum vero interuallũ nõ nisi ab infinito repleri potest: ex quo sequitur harum rerum omnium caussam effectricem potentia infinitam esse: quæ sanè alia nulla esse potest, quàm infinitus ille, sempiternus & rerum omniũ præpotens Deus. Quid? numquid elementa (superflua hæc fortassis, non tamen iniucunda videatur disputatio) contrarijs inter se qualitatibus pugnant, dum calor frigori, siccitas humiditati aduersatur? Atqui rerum omnium quarum contrariæ sunt qualitates, altera alteram perimit & corrumpit: non tamen hoc faciunt elementa; nec enim ignis aquam consumit, nec aqua ignem extinguit; sed hæc & alia in vno eodemque corpore conuenienter temperata, incremẽta ei largiuntur. Omnino igitur tam admirabilem rerum inter se pugnantium concentum ab excellente aliqua & diuina manu profectum esse oportet: quum experientia testetur nec citharam, nec neruos quantumvis bene accommodatos & *Elementorum concordia.*

intentos vllum edere ſonum, niſi citharœdi digitis pulſentur. Cœlum dein videamus, tot ſtellis inſignitum, tot circulis diſtinctum, in quibus quum tot tamque varij, atque etiam aduerſi motus deprehendantur, omnes tamen ſine vlla offenſa aut perturbatione curſus ſuos conſtanti & perpetuo ordine abſoluunt. At forſan cœleſtes hæ ſphæræ, vt placuiſſe nonnullis video, caſu aliquo mouentur. O ſtolidum & cæcum vulgus! ſi caſu mouentur, etiam aliquando caſu cōſiſtent: quum caſus ſiue fortuna nihil aliud ſit quam perturbatio, & vt ita dicam, exorbitatio quædam communis naturæ. Cœli vero neque vmquam conſtiterunt, neque conſiſtunt, ſed curſus ſuos ſinguli conſtantiſſimè conficiunt: non igitur à caſu ſed anima intelligente reguntur. Sed videor mihi audire quoſdam illud oggannientes, errantia illa ſidera ſiue Planetas à ſe ipſis moueri. An vero ignoratis, fatui, nihil à ſeipſo moueri; & ſi quid ab alio moueatur, ne in infinitum fiat progreſſus, neceſſum eſſe, ad certum tandem quoddam principium perueniri? Atqui motus principium quies eſt: id quod manifeſtum eſt in horologijs, in quibus radius tibi horam deſignat, hora ad primam rotam, prima ad ſecundam, ſecunda ad tertiam te ducit, donec tandem ad vltimam, & ab hac ad ipſum artificem perueniatur, qui interea dum horologium mouetur, nullo defatigatur labore, ſed ſuauiter quieſcit. Terram intuemur tanta colorum varietate ornatam, luxuriantem herbis & plantis, infinitis animalium generibus refertam; mare & flumina piſcibus abundantia videmus;

Orbium cœleſtium concentus.

Caſus & fortuna quid.

aerem tot volucrum agmina pennis secantia quotidie aspicimus: omnia hæc denique & singula in suo genere ita perfecta deprehendimus, vt nec ipsius Momi iudicio ad eorum pulchritudinem quidquam vel addi vel detrahi possit. vnde vero hæc omnia exstiterunt? an ex elementis? Quî vero fieri potest, vt elementa vitæ ac sensus expertia, hæc quibus ipsa carent alteri communicârint? A sole forsan sunt generata. cur igitur quum hic ipse singulis diebus hominum hanc & animaliũ sedem lumine suo illustret & calore foueat, nunquam tamen hominem aut animal procreare videtur? Ex seipsis, inquis, nascuntur? Audio, sed antequam nata fuerunt, aut quando nascuntur, vbi latebant? Frumentũ an in grano occultabatur, aut ex suaipsius herbescente viriditate exstitit? Vbinam locorum animalia à seipsis generantur? atque illa magnane sunt an exilia? Vtrum prius fuit, gallina an ouum? Et quandoquidem vnum sine altero, pecudes sine herbis, herbæ sine terra, terra sine cœlo, viuere ac vim suam exserere non potest: horum quid primum quid vltimum fuit in generatione? An res omnes in vno momento repente exstiterunt? qui vanissimus fuit multorum hominum error. Quod si omnia vno momento prognata sunt; vnde hęc tanta in rebus aduersantibus sibi mutuo concordia? vnde aut e qua natura tot res emortuæ spiritum hauserunt? vnde idem rebus tam discrepantibus consilium vt vno & eodem partu in lucem voluerint prodire? Atque hæc quidem quæ hactenus diximus satis firmo argumento sunt esse vim quandam fecundissimam

Præter & supra humanam mentē alia est.

simam & inexhaustam summamque & singularem sapientiam, quæ res omnes à se creatas, & tam mira varietate distinctas, tam certis ordinis ac concordiæ legibus constrictas teneat & gubernet. Porrò, quis hominum est, qui suamipsius mentem & intelligentiam considerans, non credat præter hanc nostram aliam quandam vim esse, huic nostræ conformem? Etenim si in nobis qui minima quædā mundi sumus particula, rationē & intellectū inesse cognoscimus; annon impudētia sit negare vllā alibi similē intelligēdi facultatē reperiri? si nos illud scimus ratione & intelligentia præditos nos esse, quæ verò qualisve sit illa natura, aut vnde descenderit, nescimus: annon necessitas ipsa fateri nos cogit, esse intelligentiam quandam hac nostra superiorem, cuius beneficio nos & cetera intelligamus, & quæ eadem in nobis ipsis intelligat, quæ quidem intellectu aut cognitione nostra nobis comprehendere datum non sit? Sed eosdem illos fidei & religionis expertes homines magno conatu nugas maximas deblaterantes audire mihi videor, quæ sane bilē mihi sæpe, sępe etiā risum mouent. Aiunt: ecquid causæ est cur Deum esse credamus quem nunquam vidimus? ô stolidi! nunquid viso flumine animus vester & cogitationes ad fontem & caput quantumuis longe dissitum rapiuntur? Quis est qui arborem aspiciens, non statim radices subterraneas & semina mente concipiat? Cur igitur nō vlterius ad eum qui semini vigorē dedit, & flumini cursum, proceditis? Fac nouum illum orbem, qui paucis ab hinc annis aperiri & lustrari cœpit, adhuc in abdito latere; nostros

Homo suæ ipsius mētis naturam ignorat.

An Deus ideo non sit, quia oculis nō cernitur.

vero

vero homines in talem aliquã inhoſpitã inſulam delatos,mapalia videre & caſas,quamuis iuncis & ſtramine tectas: annon homines illeic habitare omnes vno ſtatim ore pronunciabunt? certi quippe, nec abietis nec fagi ſponte, multo minus bruti alicuius animantis opera tale quid cõſtrui poſſe. Et vos ſtulti, qui quamprimum in lucem hanc editi eſtis, tot tantaſque res aſpicitis, quæ nec ab vllo animalium, nec ab ipſo homine fabrefieri queunt,non ſublatis ad cœlum manibus quam maximum exclamabitis, ſpiritum aliquem præpotentem ſupra nos eſſe, qui hoc tam pulchrum theatrum, tot pulcherrimis partibus & humanæ manus artificium longiſſimè ſuperantibus, diſtinctum condiderit, confeſſi? Quod ſi illud tantum creditis quod videtis; velim illud mihi dicatis, an non in plantis vim quandam creſcendi ineſſe habeatis perſuaſum? Si ita eſt: vbi eam vidiſtis? In animalibus numquid & creſcendi & mouendi eſt facultas? At quando eam vos oculis eſtis cõtemplati? Annon in homine & vegetandi, & ſentiendi, & intelligendi vis,qua & ſeipſum & alia cognoſcit, deprehenditur? At quibus vos corporis luminibus eam vſurpâſtis? Ne igitur, ne, inquam, rerum veritatem externis oculorum aut quibuſuis alijs ſenſibus metiamini; ſed effecta & tam ſtupenda naturæ miracula, tam pulchrum rerum omnium ordinem & concentum, tam mirabilem ex hoc noſtro & illo altero hemiſphærio conſtitutum globum contemplati,Deum eſſe harum rerum omnium fabricatorem, ore atque animo conſentite. Quod ſi aliquid ijs tribuitis

quos

Oēs in mūdo sapiētes Deum fassi sunt & inuocârunt.

quos antiquitas sapientes appellauit, quales fuerunt apud Indos Brachmani, apud Persas Magi, apud Græcos Philosophi, intelligetis profectò hos omnes Deum esse ita firmiter persuasum habuisse, vt ab eius nomine rerum omnium initia sumenda sibi existimârint. Pythagoras sanè, Plato, Orpheus, Homerus, Hesiodus, Theognis, & innumeri alij libros & carmina sua diuina ab inuocatione numinis auspicantur, eiusdemq; nomen in ijs frequentissimè vsurpant. Sed quid de his dico? Si quid apud vos, ô Athei, principis vestri & antesignani Diagoræ valet auctoritas, librum ipsius euoluite, in quo hæc verba statim in principio & fronte inscripta leguntur: *Quod à Numine summo reguntur omnia.* Et quoniam is, vt nôstis, ad sectam vestram stabiliendam & verbis & factis illud euincere conatus est, Deum non esse: Herculem è ligno factum, præsentibus suis discipulis in ignem coniecit, his ei verbis illudens: *In hoc decimotertio agone, vt quondam Eurystheo, mihi inseruias oportet.* Non videtis miseri, paucos illos Academiæ & scholæ vestræ cōditores non tam Deum negare quam fictis illis gentium Deastris & idolis illudere voluisse? quemadmodum tribulium vestrûm vnus, Aegyptiorum Deos subsannans, in hæc verba erupit: *Si Dij sunt, cur plangitis? si mortui, cur adoratis?* Euhemerum quoque Atheum habitum & nominatum antiqua monumenta testantur, quod originem & prosapiam gentilium Deorum litteris cōmendâsset, eosq; veros fuisse homines, reges & heroas, verissimis historijs demonstrasset; quorū quū magna esset apud populū virtutis existimatio,

Diagoras Atheistarū princeps Deum esse fatetur:

Ridet ethnicorum deastros.

Euhemerus cur atheus habitus.

tio,

tio, ludi primũ & ſpectacula ipſorum meritis & honori, mox delubra etiã & aræ conſecratę ſunt, & diuini honores habiti. Ab his fictitiorũ Deorũ irriſoribus rudis illa & cæca Sadducæorum ſecta deſcendit, quæ ſaluatoris & Apoſtolorum temporibus viguit, cuiusque ſectatoribus perſuaderi non potuit, Deum, aut Angelos, aut dæmonas eſſe, aut animam eſſe immortalem. Quocirca quum Chriſtum audirent de Patris ſui incomprehenſibili magnitudine, de electorum gloria & æterna felicitate, de reproborum pœnis deque mortuorum reſurrectione diſſerentem, ſubdolo animo tentandi gratia, quæſtionem illam de muliere quæ ſeptem viros in hoc ſæculo habuerat, quem eorum illa in altero ſæculo maritum eſſet habitura, propoſuerunt: quibus reſpondens Chriſtus, craſſiſſimæ eos ignorantiæ & inſcitiæ arguit, quibus nec ſcripturæ veritas nec Dei virtus ſit perſpecta. Et ſane fieri non poteſt, vt homo prudentia & doctrina inſtructus in tam abſurdum tamque enormem errorem prolabatur. Vnde Chriſtus Sadducæos ignorantes appellat, quod viderint quidem & forte veluti per tranſennam inſpexerint, non vero diligenti trutina in timore Domini expenderint, ac propterea non intellexerint ſacras ſcripturas. His merito annumerari poſſe videtur Theodorus Cyrenaicus, qui argumentis è ſua Philoſophia depromtis Deum non eſſe probare conatus, vniuerſæ Peripateticorũ ſcholæ deridendum ſe ſuaſque ineptias & ſibilis explodendum propinauit. Sic enim argumentabatur: Si Deus eſt, animal erit, quandoquidem aliter ſenſi-

Sadducæorum impius error.

Matth. 22

Theodori Cyrenaici opinio & argumenta refutantur.

ſenſibus vti non poteſt; ſi ſenſibus vtitur, mutationi eſt ſubiectus; ſi mutationem ſentit, corrumpetur; ſi corrumpitur, interibit, & aliquando non erit: quæ abſurditas vt vitetur, melius eſt confiteri & credere, Deum non eſſe. ô inauditum Philoſophi acumen, non, mihi crede, in veruecum patria nati! Sed aliud quæſo multo politius, multoque argutius audiamus. Si, inquit, Deus corpore caret, anima quoque carebit; ſi anima caret, omni actione erit deſtitutus: ſin corpore præditus eſt, mutationi erit obnoxius: quapropter ne illud fateri cogamur Deum nihil agere poſſe, aut vllam aliam eiuſmodi imperfectionem ei attribuamus quæ mutationem ſecum importet, ſatius eſt ſtatuere, Deum non eſſe. quaſi vero anima ſine corporis adminiculo per ſe ſola nihil poſſit operari, ac non actionum omnium corporis ſit moderatrix. O miſer & puſillus terræ vermis! non vides intellectum tuum ignorantiæ tenebris ita eſſe obfuſcatum, vt à beſtiarum natura non multum abſit? Merito igitur in te illud Xenophanis quadrabit, dicentis: ſi bruta pingendi tenerent artem ſimile ſibi depictura foret; ſiquidem animal nihil ſe maius aut ſublimius conſiderare poteſt. Hæc & ſimilia puerilia argumenta ſunt incondita Atheorum turbæ, quæ riſu magis & ferula quam ſolutione egere, etiam mediocriter in litteris verſatus facilè intelligit. Quocirca qui hæc aliaque diligenter apud animum conſiderat, aliud inde concludere non poteſt, quam fuiſſe iſtos homines indoctos, malos, libidinis & vitiorum plenos, ſicarios, ſceleratos & diabolicos, qui

Xenophanis dictum.

Athei quales ſint.

qui in ſeipſis Naturam flagitioſè violarunt, quod nec Dei nec animæ ſuæ vllum reſpectum & curam habuerunt; vtque hominibus perſuaderent omnia ſcelera licita eſſe, hanc opinionem in vulgus ſpargere animiſque imprimere conati ſunt, cum corpore animam intermori, nec eſſe ſupremum aliquem ſcelerum & flagitiorum vindicem: à qua tamen opinione hos ipſos non multo poſt internus ſenſus & conſcientiæ vis abducit. Teſtatur enim experientia homines eiuſmodi quantumuis atrociſſimis ſceleribus coopertos, procedente ætate, ac ſæpe in mortis limine ad ſe redire, & cõſcientia perterritos, Deum requirere & deſiderare. In hac veluti peccati tempeſtate & conſcientiæ terrore, ſi quid ſiniſtri aut necopinati eis obijciatur, & vel ab armis, vel igni aut aqua vitę periculum ingruat; trementibus membris, iunctis manibus, ſublatis in cœlum oculis videas eos lachrymabiles preces fundere, & ſalutem ſuam Deo immortali anxijs votis commendare. ijdem ſi in morbũ fortè inciderint, quam expalleſcunt! quanto horrore omnia viſcera ipſorum permeante corripiuntur! depoſita tandem & conclamata valetudine, in limine mortis iam verſantes, quam cupide, quæſo, omnem ſpeciem numinis arripiunt, & quamcũque cuiuſcumque religionis vmbram amplexantur! Philoſophorum coryphæum Ariſtotelem videamus, qui quum in Originum libro (qui Geneſeos nomine inter Sacras ſcripturas inſcriptus eſt) à diſcipulorum aliquo oblato, verba iſta legiſſet: *In principio creauit Deus cœlum & terrã:* ipſe vero ex falſis humanæ Philoſophiæ principijs mundi æternitatẽ aſſereret: Auferte, inquit,

Athei quoque Deum fatentur.

Ariſtot. S. ſcripturæ libros contemſit.

Picus lib. 6 exam. c. 9. librum fabulis refertum; quippe qui multa dicat, nihil probet. Quid fit? Morti proximus, quum in seipsum descenderet, ac quid de se post mortem futurum esset cogitaret, qui animam mortalem esse hactenus credidisset; tremens atque anxius in hæc verba erupisse legitur: *Fœde in hunc mundum intraui, anxius vixi, perturbatus egredior, quò vadam nescio. causa causarum* (vel, vt alij habent) *Ens entium miserere mei.* Videtis, opinor, quò angustiarum summus hic Philosophus redactus sit, qui humanæ sapientiæ opinione inflatus, quum nihil nescire se existimaret, sacras scripturas nec legere voluit, nec intelligere sategit; suam tamen hac in re stultitiam ad quam opinionis errore ficta absolutæ eruditionis persuasio ipsum perduxerat, in extremo spiritu est confessus, ac nimis serò deplorauit.

Aristotelis exitus.

Cardan. in dialogo De morte.

Devm *vniuersi huius conditorem, vnum esse & solum.*

CAPVT II.



Qvemadmodvm natura magistra persuasum habemus, esse altissimum & immortalem Deum cuius numine vniuersa huiusmundi fabrica condita sit, & eiusdem nutu regatur: ita illud quoque credere ac firmissime tenere debemus, eundem Vnum esse & Solum. Quam in sententiam eleganter ita scribit Lactantius: *Perfecta est in homine sapientia, si Deum esse vnum, & ab ipso facta esse vniuersa cognoscat.*

Lactant. li. 2. c. 9. diuinar. Instit.

gnoscat. Fuerunt enim antiquis temporibus, vt ſupra quoque attigimus, qui Deorum pluralitatem introduxerunt, vt in Græcorum fabulis legitur, & in ſacris litteris de Baale idolo Danielis conſilio & ſapientia euerſo, itemque de AEgyptiorum idolis: quorum omnium origo ad ſtupidiſſimi vulgi ruditatem, aſtutiſſimorum ſacerdotum auaritiam, vel ad nugaciſſimorum poetarum nugas, ineptias & mendacia eſt referenda: qui reges ac principes ſuos, aut alios fama celebres ſibique percharos viros, diuinitatis titulo ornare non dubitarunt. Hos ritus AEneas, vt nonnulli exiſtimant, cum Dijs ſuis penatibus primus in Italiam intulit; qui inde ad populum Romanum eiusque reges deriuati, inoleuerunt, vt videre eſt in Romulo, Numa Pompilio, Carmenta, Iulio Cæſare, alijs, quibus inter cœli indigetes relatis, diuini honores ſunt decreti. Teſtatur hoc poſt homines natos ſapientiſſimus rex Salomon in libro Sapientiæ his verbis: *Superuacuitas enim hominum hæc adinuenit in orbem terrarum, & ideo breuis illorum finis eſt inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater citò rapti ſibi filij fecit imaginem, & illum qui tum quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia, deinde interueniente tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tamquam lex cuſtoditus eſt*; & alia quæ ſequuntur. Idipſum Cicero homo Ethnicus fatetur, inquiens: *Suſcepit autem vita hominum conſuetudoq; communis vt beneficijs excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc*

Deorũ multitudo apud priſcos: & vnde.

Sapi. c. 14.

Pollux, hinc AEsculapius, hinc Liber. Et paullo inferius: *Accesserunt*, inquit, *etiam Poetæ, & compositis ad voluptatem carminibus in cœlum eos sustulerunt: quod malum à Græcis ortum est quorum leuitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas mendaciorũ nebulas excitauerit.* Etsi vero è priscis Philosophis quidam duo æterna & infinita Principia posuerunt, hoc fundamento innixi, quod vna res naturalis à pluribus vna causis deriuari possit; & omnis fere antiquorum Philosophorum schola Naturæ principia contraria esse dicat, vnum vero sibiipsi contrarium esse nequeat: opinio tamen hæc ad veras Philosophiæ leges examinata consistere aut locum habere nullo modo potest. Qui enim duo Naturæ faciunt principia, hac absurditate implicantur, vt fatendum ipsis sit, duo actu infinita esse eodem tempore: ac proinde neutrum infinitum erit, siquidem duo infinita vno solo maiora erunt. Præterea si numero diuisa sint, vnum alterius vires ac potestatem non habebit, multo minus, propter ipsorum æqualitatem, alterum altero erit superius: sed quum contraria sint, vti supra dictum est, & viribus æqualia; illum vniuersi concentũ disturbabunt, & naturæ concordiã soluent: nec vlla vis erit his maior aut superior, quæ furentia inter se compescere, & in concordiam redigere queat. Adhæc fieri non potest, vt duo sint in rerum Naturâ principia, infinita sapientiâ & potentia prædita: quod etiamsi contra omnium sobrie philosophantium decreta concedatur; vnum tamen modò aptum erit naturæ & mundi huius

Arist. li. 2 Physic.

rebus

rebus tuendis ac procurandis, alterum vero inutile erit, planeque superuacaneum: quod in Naturâ locum non habet, quæ non modo non appetit quod superfluum est, sed etiam fugit & auersatur. Quocirca nemo fuit vmquam, nec, credo, iam est vllus homo mentis ac rationis compos, qui non intelligat, vnum solum esse Monarcham, vnum solum mundi effectorem & gubernatorem: quandoquidem Deorum velle multitudinem asserere, nihil aliud est quam confiteri Deos imbecilles esse, nec potentiam habere infinitam, quum vnus solus suis ac proprijs viribus, sine aliorum opera & auxilio vniuersum hoc regere non possit. Deum igitur, qui sempiterna mens est, omnibusque numeris perfectissima & consummatissima virtus, vnum solum esse oportet: quum absoluta & perfecta virtus siue potestas in se ipsa suam propriam habeat stabilitatem ac solidum robur: solidum vero ac stabile illud sit cui nihil detrahi, & perfectum cui nihil addi potest. Quis igitur negare ausit eum regem esse potentissimum, qui in mundum vniuersum habet imperium? idque tanto iustius & verius dicetur, quando in eiusdem potestate res sunt omnes, omnesque mundi opes & thesauros solus ipse possidet. Atqui si plures reges mundum inter se partiantur, dubium non est, quin nemo vnus omnes sit opes habiturus, & singulis aliquid ad summam potentiam defuturum sit: quum imperium ipsorum certis terminis sit circumscriptum, & opes in multas partes diuisæ. Eodem modo, si plures Deos esse concedamus, illud quoque concedamus necesse est, non

Deorũ multitudo imbecillitatis argumentũ

Vnus solus Deus.

Perfectum quid.

summam ipsorum esse potentiam, quum tantum quisque habeat virium quantum alter; perfecta verò virtutis & potentiæ natura in eo tantum esse possit in quo sunt omnia, non in quo tantum exigua quædam pars est totius. Quod si Deus perfectus est (vt certè est perfectissimus) non potest sane esse nisi vnus, vtpote in quo sunt omnia. quanto igitur plures erunt Dij, tanto minores erunt & imperfectiores, quum omnia in multis esse non possint. Lactantius libro 1. diuinarum Institutionum, eorum stultitiam qui Deos sibi Deasque fingunt perstringens, ita loquitur: *Isti qui Deos asserunt videant quomodo huic respondeant argumento. Si duo sunt sexus Deorum, sequitur concubitus; & si coeunt, & domos habeant necesse est. nec enim carent virtute ac pudore vt hoc promiscue aut in propatulo faciant, sicut muta videmus facere animalia. si domos habent, consequens est & vt vrbes habeant, & quidem auctore Nasone qui ait:*

Lactantius lib. diuin. Inst. c. 16.

Plebs habitat diuersa locis: à fronte potentes
Cœlicolæ clarique suos posuere penates.

Si habent vrbes, & agros igitur habebunt. Iam quis non videat quæ sequantur? arare illos, & colere: quod quidē victus causa fit. ergo mortales sunt. Quod argumentum retrouersum idē valet. Si enim agros nō habent, ne vrbes quidē, si vrbes nō habent, ne domos quidem; si domibus carent, ergo & concubitu; si concubitus ab his abest, & sexus igitur femineus: in diis autem videmus & feminas esse (vt Palladem, Iunonem, Venerem, alias, tam multas vt Hesiodus Deorum ac Dearum triginta milia ponat) *ergo dij non sunt.* Quis igitur tam obtu-

obtuſo eſt tamque hebeti ingenio, qui non videat, & quaſi manibus palpet, Deorum pluralitatem merum eſſe & ridiculum hominum malè feriatorum ac diuinarum rerum imperitorum figmentum, immò purum putum mendacium? Philoſophorum parens Mercurius Triſmegiſtus vnum ſolum Deum confeſſus eſt his verbis: *Vnus Deus, vna vnitas radix eſt omnium quæ ſunt. ſine hac nihil fieri poteſt, nihil factum eſt.* Pythagoras Samius, qui vt magnam ſibi doctrinæ & ſapientiæ opinionem conciliaret, animorum in alia corpora transmigrationem, quam μετεμψύχωσιν appellauit commentus eſt, aliasque à cõmuni hominum ſenſu abhorrentes leges diſcipulis ſuis obſeruandas, vt de vitando fabarum & eorum quæ ſanguinem habent eſu, propoſuit; nihilominus, teſte Cicerone, hoc in ore frequenter habere ſolebat: *Deus eſt vnus, non, vt plurimi cenſent, extra adminiſtrationem mundi, ſed totus in toto.* Huius quoque diſcipulus Philolaus vnũ ſolum eſſe Deum profeſſus eſt, inquiens: *Vnus eſt Deus, princeps vniuerſi, qui ſemper eſt ſingularis, immobilis & ſui ſimilis.* Peripateticorũ princeps Ariſtoteles idem multis locis non affirmat tantum, ſed rationibus etiam è Philoſophia & Natura petitis demonſtrat, à multis motus ſpeciebus ad primum mobile atque motorem aſcendens. Hunc libro Metaphyſ. II. primum & vnicum appellat principium: *A primo,* ait, *principio dependet cœlum & tota natura.* Et alibi: *Etiam bonum vniuerſi conſiſtit in principio primo; ad quod omnia ordinantur.* Idem VIII. Phyſicorum magis perſpicuis verbis vnum ſolum eſſe Deum aſſeuerat

Mercurius triſmegiſtus.
Pythagor.
Philolaus.
Ariſtoteles lib.6.Phyſ.
Metaph. 2.

uerat. Sic enim inquit: *Primus motor tantum unus est & æternus.* Et alio loco: *Entia nolunt male disponi, nec est bonum pluralitas principantiũ. vnus ergo princeps.* Quin hic de quo loquimur Philosophus illud non tantum pro indubitato habuit, vnum solum scilicet esse Deum, sed scribit etiam hanc sententiam veteres sapientes ita mordicus tenuisse, vt Zeno dixerit, eiusdem esse stupiditatis dicere Deum non esse, aut plures vno esse. Theophrastus quoque ait: *Diuinum principium vnum, quo & exsistunt omnia & consistunt.* Alexander Aphrodisiensis in libro de Prouidentia ita scriptum reliquit: *Deus vnus omnibus prouidet, & quæcumque vult potest.* Simplicius huic sententiæ adstipulatus, *Discendum,* ait, *ante omnia, vnum esse Deum, omnia regere, omnibus prouidere; quidquid vero faciamus, dicamus, cogitemus, nihil eum latere posse.* Et Seneca quum de immatura morte dissereret, significare volens quamquam multis ipse locis deorum appellatione vsus sit, vnum tamen & solum esse Deum, *Non intelligis,* inquit, *auctoritatem ac maiestatem iudicis tui? Rector is orbis terrarum, cœliq; & deorum omnium Deus, à quo ista numina quæ singula adoramus & colimus, suspensa sunt?* Idem in exhortationibus: *Hic quum prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, & hoc ordiretur quo neque maius quidquam nouit natura neque melius, vt omnia sub ducibus suis irent, quamuis ipse per totum se intẽderat, tamen ministros regni sui Deos genuit.* Diuinus Plato ad Dionysium scribens, *Vin' tu scire,* inquit, *quando ego vel iocularia vel seria ad te perscribam? principium inspice litterarum*

Theophrastus in Metaph. & li. de saporib.

Simplicius.

Vide Lact. diuin. Inst. lib. 1. ca. 4.

Plato Epist. 13.

rum mearum, quod si ductum sit ab vno solo Deo, seria me agere; sin à pluribus, iocari me tecum existimato. Apud Damascenum Græcum auctorem hæc de Deo scripta leguntur: *Vnus producit omnia, vnus colitur silentio; vt sol eminus videtur obscure, & quo propius eo obscurius, proxime vero omnem omnino apprehensionem tollit.* Apud Iamblichum ista: *Vna est omnium causa, vnus Deus omnium Dominus, à quo solo peti debet omne bonum: ipse omnis contemplationis finis est, nec aliud est contemplari quam à multitudine ad vnitatē abstrahi. Vnitas porrò Deus ipse, princeps omnis veritatis, felicitatis, substantiæ, principiorum denique ipsorum.* Proclus quum ostendere vellet Deum vnum tantum esse, ceteros vero qui dij etiam nominantur ab hoc creatos, eoque deos dici quod vmbrā quandam in seipsis & imaginem habeant bonitatis, inquit: *Quis ille rex omnium Deus vnicus, qui ab omnibus separatus est, & omnia nihilominus ex se producit? qui omnes fines ad se conuertit, finis finium, causa prima operationum, & auctor omnis boni? si Platoni credis, nec explicari nec percipi potest. Itaque prima hæc simplicitas rex ipse est, princeps & exsuperantia omnium rerum, qui omnes supereminet causas, quique eam deorum substantiam creauit, cui aliqua boni species inesse videtur.* Simplicij de diuinæ essentiæ vnitate loquentis hæc sunt verba: *Omne pulcrum à prima & præcipua diuina pulcritudine, omne verū à diuina veritate, omnia principia ab vno principio.* Et alio loco: *Bonum omnium scaturigo est & principium, omniaque ex sese producit, prima, media, vltima. vna bonitas producit multas bonitates*

Damasc.

Iamblich. De secta Pythagoræ

Proclus.

Simplicius in Ariani Epictetum.

tates, vna vnitas multas vnitates, vnum prin-cipium multa principia. Vnitas autem, prin-cipium, bonum, Deus, vnum & idem sonant, quia scilicet Deus prima est rerum omnium causa, in qua cetera rerum singularium princi-pia consistunt, ipseque est causa omnium causa-rum, bonitas omnium bonitatum, Deus omni-um Deorum. Porphyrius lib. II. De Abstinentia & in libro quem fecit De Occasione idem sen-tit, Deum nempe vnum esse: & in libello quo Plotini magistri sui vitam descripsit, eundem huius opinionis assertorem facit, dicere solitum Deum in sua vnitate multitudinem generasse vel produxisse, sic vt illa ipsa multitudo subsiste-re non possit, si vnitas illa non semper vna ma-neret. Ad alios Deos quod attinet, eos ex seipsis aut esse aut alios beatos facere posse idem ne-gat, sed mortalium tantum respectu beatos qui-dammodo dici, in quantum scilicet lucem illam intelligibilem, id est, Deum, contemplantur, cuius lucis reuerberatione & participatione ef-ficiantur & maneant beati. Cicero quum mul-tis alijs locis, tum præcipue libro II. De Natura Deorum, inter vnici æterni & immortalis Dei & eorum qui dij dicuntur naturam magnam esse discrepantiam docet, quum hi creati sint il-le increatus; hi debiles & infirmi, ille omnipo-tens; hi Naturæ legibus subiecti, ille Naturæ conditor & moderator. Sic enim scribit: *Non est natura Deorum præpotens atque excellens, si quidem ea subiecta est ei necessitati vel naturæ, qua cœlum maria terraque reguntur. Nihil autem præ-stantius est Deo; ab eo igitur necesse est Mundum regi.*

Porphyrius cap. 21.

Cicero li. 2. De Natura Deorum.

regi. nulli igitur est natura obediens & subiectus. Poetarum antiquissimus Orpheus, qui primus deorum nomina & genus inuenisse dicitur, testamento suo Deum fatetur vnum esse, immortalem, omnipotentem, inuisibilem, communem omnium creaturarum patrem, belli & pacis auctorem, gubernatorem Mundi, qui aureum thronum in cœlo, in terra vero scabellum pedum suorum habeat, qui dextram suam ad fines vsque immensi Oceani exporrigat, sub quo montes altissimi, spaciosissimæ valles, & profundissimæ turbulenti maris abyssi contremiscant. Sed iuuat ipsum audire canentem: *Orpheus.*

Solum autem aspice Mundi regem formatorem.
Vnus vtiq; est, ex se natus, exq; vno genita omnia.
Interest autem ipsis, nec vllus ipsum
Intuetur mortalium; ipse autem omnes videt.
Hic post bonum malum mortalibus tribuit,
Et bellum sæuum, & dolores lachrymabiles:
Nec quisquam est alius præter magnum regem.
Eum autem non video: nubes enim circumtegit.
Omnib. enim mortalib. mortales pupillæ in oculis;
Infirmiqúe sunt ad videndum Iouem omnia curantem.
Is etenim in cœlo ærato constitutus est
In aureo throno, terramque pedibus calcat.
Manum autem dextram ad finem Oceani
Vndequaq; porrigit, circum autem tremunt montes ingentes,
Et fluuij, & abyssus cani & trucis maris.

Alio quoque loco Deum vnicum, creatorem, patrem

patrem & dominum omnium Deorum his versibus describit:

Itaque vnà cum toto intra Iouem olim compacta erant
AEther immensus, & cœli splendida sublimitas,
Omnes immortales beati Dij Deæque.

Subiungit:

Iuppiter rex, Iuppiter idem omnium pater & parens,
Vna potestas, vnus Deus erat magnus dominus omnium:
Vnum regale corpus in quo hæc omnia voluũtur,
Aqua, ignis, & terra, & æther, noxq́; & dies.

Phocylides. Idem de vnitate Dei Phocylides sentit, canens:

Vnus est Deus, sapiens, potens & beatus.

Sophocles. His consentit Sophocles tragœdiarum scriptor, Græcorum reprehendens idololatriam.

Vnus, inquit, *reuera, vnus est Deus,*
Qui cœlum fabricauit, & terram longam,
Marisq́; truces tumores & ventorum impetus.
Mortales vero multi corde deuij
Statuimus animæ damna,
Deorum simulacra ex lapidibus & lignis
Ex auro eboreve facta:
His sacrificia solemniaq́; pulcra
Facientes, pietatem retinere putamus.

August. li. 4. De ciuit. Dei. B. Augustinus splẽdidissimum omnigenæ eruditionis lumen in libro De Ciuitate Dei, loquens de priscis gentilium dijs, concludit, quamuis apud Romanos Ceres, Bacchus & alij in magna

fue.

fuerint veneratione, tamen non absoluta ac per se existentia numina sed potius vt magni & vnius Dei ministros fuisse adoratos. *Vsqueadeone,* inquit, *maiores nostros cæcos & insipientes fuisse credendum est, vt Bacchum, Cererem, Pana & ceteros Deos putarint? immo vnum Deum credebant, cuius illa munera, illa functiones essent.* AEgyptij, quibus nulla vmquam gens magis superstitiosa fuit, & idololatricis cultibus dedita, in hieroglyphicis suis tamen, vt refert Iamblichus, & in templis vnicum portis appingebant Iouem, terribile telum siue fulmen manu tenentem; eratque illud vnum ex religionis ipsorum dogmatis, Deum vnum esse. Sibyllarum oracula etsi inter doctos ambigitur à bonone an maligno spiritu inspirata sint, in hoc tamen certe nihil habent erroris quod vnum Deum confitentur, his verbis: *Vnus Deus solus est supra omnem maiestatem, ingenitus, omnipotens, inuisibilis, omnia ipse videns, ipse autem non videtur ab omni carne mortali.* Delphicus ille Apollo, per quem diabolus loquutus est, à Theophilo quodam interrogatus, vnum esse Deum negare ausus non est, quamuis in hoc mentitus sit, quod is ipse Apollo & ceteri Dij Angeli tantum & huius quædam pars essent. *Vnus,* ait, *per se genitus, non doctus, sine matre inconcussus, cuius nomen sermone nullo capi potest, in igne habitans. Hic Deus: paruula autem Dei portio nos Angeli sumus.* Ipse Deus per os antiquorum Patrum & Prophetarum sui vnitatem reuelare voluit, sicut in Deuteronomio legitur: *Quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter vnum.* Et paullo infe-

Iamblich. De mysterijs Ægyptiorũ c. 37. 38

Sibylla.

Apollo Delphicus.

Deuteron. cap. 4.

Psalm. 85. inferius: *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus vnus est.* Et regius propheta ac psaltes, *Deus Deorum,* inquit, *qui mirabilia facit solus, & similis ei non est inter Deos.* Atque hoc illud est, quod Deus in exodo Israelitis prohibuit ne quem alium Deum adorarent. *Ego sum Dominus Deus*

Exo. c. 20. *tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo seruitutis: non habebitis Deos alienos coram me.* Ex quibus omnibus efficitur eos qui plures Deos faciant, quique Deum esse plane negant, vno & eodem stultitiæ & detestandæ ac damnabilis impietatis, ab omni scientia & ratione abhorrentis crimine teneri: quo equidem, si quæ hactenus à nobis ex ipsis Naturæ & rationis principijs disputata sunt, in animum demitterent, interna quoque animorum suorum sensa excuterent, facile se expedire possent. Quis enim sanæ mentis homo ferre possit illud asserentem quod olim nonnullis placuit, duos esse Deos, bonum vnum, alterum malum, vnum boni, alterum mali dispensatorem, tenebrarum vnum & noctis alterum diei & lucis dominum, vnum caloris, alterum frigoris auctorem? nam quis non & puluerulentæ æstatis feruorem, & glacialis hyemis frigus & gelu sensit? quis nescit tam noctem & tenebras ad quietem & virium refectionem, quã diei lucem ad faciendũ opus ceteraque quæ mortalium fert vita peragenda esse necessariam? Numquid vidimus ex eo quod malum erat ingens sæpe bonum prouenisse; aut contra quod pro bono habebatur, mali ac sempiterni doloris causam fuisse? Plura addere non libet, multo minus ad tam friuola atque inepta argumenta respon-

Manichæorũ opinio de duobus principijs siue Dijs.

respondere ad quorũ vel mentionẽ quibus minimũ salis est in pectore nauseant, nedum vt citra molestiã sæpius ea repeti ferre possint. In hac de qua hactenus disputauimus Dei vnitate, veneranda illa inest personarum Trinitas, cuius mysterium omni humani ingenij & naturali rationis capacitate maius, sub velo inenarrabilium altissimi Dei secretorum abditum semper latuit & retrusum, nec à nobis vlla vi ingenij erui aut inuestigari vmquã poterat, sine luce diuinæ gratiæ præeunte. Sed Deo immortali laus sit & honor æternus, qui rem ad salutem nobis tam necessariam per os Prophetarum, immo vnigeniti sui filij reuelauit, ac diuinæ cognitionis luce animos nostros collustrauit: de quo beneficio incomparabili Apostolus in epistola ad Hæbreos scribit, & nos suo loco agemus.

Trinitatis mysterium reuelatum

Quid

Quid Deus sit, humana intelligentia comprehendi non posse.

CAPVT III.



T DEVM esse extra omnem disputationis aleam ponere, ac ne vel minimum quidem ambigere debemus; ita quid vel qualis ille sit assequi nequaquam possumus: siquidem nos finiti & mortales quum simus, illud quod infinitum est intellectus nostri imbecillitate comprehendere nequimus. Inde illud est quod de Simonide legitur: de quo quum quæsiuisset tyrannus Hiero, quid Deus esset, deliberandi causa sibi diē vnum postulauit. quum iste ex eo postridie quæreret, biduum petiuit: quum sæpius duplicaret numerum dierum atque Hiero quæreret cur ita faceret, Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Eandem ob causam diuinus Philosophus Plato numquam quid Deus esset pronunciare voluit, vt Macrobius refert his verbis: *Sic Plato quum de Deo loqui esset animatus, dicere quid sit non est ausus, hoc solum de Deo sciens, quod sciri qualis sit ab homine non posit.* Idem quoque S. Thomas affirmat, Deum scilicet quid sit sciri, aut certa diffinitione comprehendi non posse. Lactantius in libro De ira Dei inquit: *Deus tantus est, vt ab homine non posit aut verbis enarrari, aut sensibus æstimari.* Socrates apud Xenophontem præcipit, non debere quemquam exquirere

Simonidis de Deo responsum.

Macrob. li. 1. de somnio Scipionis.

Tom. 1. par q. 1 ar. 7.

Lactatius.

Socrates.

qua

qua forma Deus sit: idemque Plato, quem paulo ante citauimus in Timæo scriptum reliquit. Tantam esse Dei maiestatem, vt nec lingua aut verbis exprimi, nec animo capi queat. Sanctus vir Hieronymus in epistola quadam quum docuisset non anxie inquirendum esse in Dei essentiam, subiungit: *Si putas in hoc* (altissimo diuinæ essentiæ mysterio) *omni indagationis genere vtendum, prius tibi propone quæ nostra sunt: quæ si consequenter valueris expedire, tunc à terrestribus ad cœlestia, & à visibilibus ad inuisibilia properato. Expedi primo si potes, quomodo mēs quæ intra te est generet verbum, & qui sint in ea memoriæ spiritus: quomodo hæc quum diuersa sint actibus & rebus vnū tamē sint substantia vel natura, & quū è mente procedant, nunquam tamen ab ipsa separentur. Et si hæc quāuis in nobis & anima nostra substātia habeātur, tamē tanto nobis occulta videntur quanto aspectui corporeo inuisibilia, &c. scito adhuc diuinæ essentiæ mysterium tanto esse differentius & eminentius quanto creator creaturis potentior, quanto artifex opere suo præstātior, quanto ille qui semper est eo qui ex nihilo cœpit esse nobilior est. Credendus ergo Deus, non discutiendus.* Hinc est quod Theologi tam veteres quam recentes multo facilius Deum per negationem quā affirmationem describi, hoc est, facilius quid Deus non sit, quam quid sit intelligi posse affirmant: vt Deus non est cœlum, non est aqua, non est terra, non est aer, non est ignis, non stella, non sol, non luna: Deus non mutatur, Deus non mouetur, Deus non habet principiū, Deus

Plato.

Hieronym. vel potius Ruffinus inter epistol. Hieronymi Tom. 9. epist. 19.

Dei definitiones per negationē.

non habet finem: & alia infinita, quibus omnibus deſcriptionibus nihil aliud innuitur, quam eam eſſe Dei, primi rerum omnium & altiſſimi Motoris naturam atque ſubſtantiam quę ſit ſupra & vltra res omnes. Nec ſane vllo alio modo hominum mente capi aut deſcribi Deus poteſt, apposite S. Hieronymus in eadem illa epiſtola ſcribit. *Deus*, inquiens *ſecundum quod eum definire poteſt humana mens, naturæ ipſius vel ſubſtantiæ quæ eſt ſuper omnia appellatio eſt.* Idem fuit eorum conſilium, eademque ſententia, qui Deum per affirmationem, ſed ijs verbis quibus ſupra res omnes effertur deſcripſerunt: quandoquidem Natura hæc creata ad Dei Naturam comparata, improprie Natura dicitur, cuius tantum vmbram quandam oſtendit, vt idem Hieronymus eleganter inquit: *Vna eſt ſola natura quæ vera eſt. id enim quo ſubſiſtit non habet aliũde ſed ſuum eſt: cetera quæ creata ſunt, etiamſi videntur eſſe, non ſunt; quia aliquando non fuerunt & poteſt rurſum non eſſe quod non fuit. Deus ſolus qui æternus eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen vere tenet.* Quamobrem omnes illæ diffinitiones ac voces quas veteres ac recentes Deo attribuerunt, nihil aliud ſunt quam epitheta quædam, quibus res naturam omnem excedens ſignificatur: vt illa Platonis in Timæo deſcriptio: *Deus eſt ſummum bonum, ſupra omnem ſubſtantiam omnemque naturam: quod cuncta expetunt, quum ipſe ſit plenæ perfectionis & nullius ſocietatis indigens.* Et illa Ariſtotelis: *Deus videtur omnibus eſſe cauſa & principium motus.* Et alibi: *Primus motor eſt actus purus ſine omni potentia, ſubſtantia ſine omni acci-*

Hieron. epiſt. 1.

Deus quomodo vocibus affirmatiuis deſcribatur.

Plato in Timæo.
Ari. 1 & 2. Metaph.

accidenti, simplex sine omni compositione. Idem suauissimis numeris & verbis canit Boetius Seuerinus, in eleganti illo De Consolatione libello: *Boëtius lib. 3. Metro 9.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.
tu namque serenum,
Tu requies tranquilla prijs, te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Et alio loco: *Idem Metro 6.*

Sedet interea Conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas,
Rex, & dominus, fons & origo,
Lex & sapiens arbiter æqui.

Ibidem:

Hic est cunctis communis amor,
Repetuntque boni fine teneri:
Quia non aliter durare queant,
Nisi conuerso rursus amore
Refluant causæ quæ dedit esse.

Cicero in primo libro De Natura Deorũ, postquã grauibus & disertis verbis, pro ea qua pollebat & ingenij acrimonia & summa eloquẽtiæ facultate, demonstrauit Deum diffiniri non posse, vtpote qui sub nullo rerum genere contineatur, sed omnibus sit superior, nec è genere & differentia aut vlla alia re sit compositus, sed actus sit purus & simplicissimus, hanc ob causam, inquit, multos diuinam essentiam ijs vocibus, quæ omnem naturæ rationem & vim excedunt, designare voluisse. Alios igitur opinatos, Deum esse *Cicero De Natura Deorum.* *Veterũ opiniões, quid Deus sit.*

Mentem vniuersi; alios, esse res omnes quæ vide-
tur quæque non videntur; alios censuisse, ani-
mum esse per naturam rerum omnem intentu
& comeantem, ex quo omnium animaliũ qu
nascerentur vita deriuaretur; alios existimasse
mentem esse quamdam infinitam, quæ se ipsa
moueat: alios aliud. Caussa vero ob quam ta
difficilis est Dei diffinitio, hæc est, quod qui
intellectus noster multò sit angustior quam q
Dei magnitudinem capere, multoque obtusio
quam qui eiusdem splendorem peruidere poss
vt D. Apostolus Ioannes testatur, inquiens: *Qui*
Ioan. ep. 1. *Deum nemo vidit vmquam:* & D. Paullus: *Quem*
Paull. 1. ad Tim. *nullus hominum vidit, nec videre potest:* fit vt nu-
lis alijs vocibus appellare eum possimus quæ
ijs quibus infinita ipsius excellentia & altitud
Thom. 1. par. q. 56. supra omnia significatur. Deum enim cognosc-
re secundum essentiam soli Deo proprium est
peculiare, Angelis per similitudinem, homin-
bus per speculum, id est, speciem quandam ali-
rum rerum, vt supra à nobis est explicatum. Hi
Paullus de mysterijs & arcanis Dei loquens, i
Paull. ad Rom. scribit: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea q
facta sunt conspiciuntur.* Quamobrem sanè qu
Deus sit cognoscere nequimus, nisi per specul
procedendo scilicet à creaturarum aspectu a
Creatoris contemplationem. S. Gregorius
hoc speculum intuens, inque eo admirabilẽ pr
mi & æterni Motoris naturam contemplatus
Gregor. super Ezech. homil. 17. & Moral. lib. 2. c. 12. *Ponamus,* inquit, *ante oculos mentis quæ illa natu
ra sit quæ tenet omnia, implet omnia, circumple
ctitur omnia, superexcedit omnia, sustinet om
nia, nec alia ex parte sustinet atque alia super
exce*

excedit, neque alia ex parte implet, atq; alia circumplectitur: sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet.

Idem alibi: *Deus*, ait, *manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior atq; alia manet interior, sed vnus idemq; totus vbique præsidēdo sustinēs, sustinēdo præsidens, circumdādo penetrās, penetrādo circūdans: vnde superius præsidens inde inferius sustinens, & vnde exterius ambiens inde interius replens: sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior sine loco, est amplior sine latitudine, & subtilior sine extenuatione.* Et libro XVI. Moralium, indicare volens 16. *Moral.*
Deum totum vno eodemque temporis momento in omnibus esse locis, *Creator*, inquit, *omnium Deus pater omnipotens vbique est, & vbique totus est. In parte non est, quoniam vbique est, & tunc minus inuenitur quando is qui vbique totus est in parte quæritur.* Dominus & Saluator noster Iesus Christus, quum discipulos docuisset Patrem à nemine videri posse nisi à filio, vt maiestatem eius & omnipotentiam veluti in speculo rerum creatarum conspiciendam ipsis proponeret, his verbis vsus est: *Ne iurate per cœlum,* *Matth.* 5.
quia thronus Dei est; neque per terram, quia eius

pedum est scabellum Certum est igitur, altissimum & inuisibilem Deum reuelare se nobis alio modo quam eo qui à natura non formatus, sed ab ipso liberrime esset electus, noluisse. sic Israelitis in candida columna, interdum in columna ignis, aliàs alio modo apparuit. Ac profecto valde absurdum sit hominem, qui vt omnes animi & corporis neruos intendat, vel vnum cubitum ad staturam suam & corporis modum addere non potest, intellectus sui decempeda infinitam Dei essentiam metiri, aut balbutiente lingua numen inenarrabile exprimere velle; sed hoc ei satis sit quod sciat, Deum fontem esse & auctorem omnis boni, eique gratias agat, quod vitam ipsius munere, atque in primis rationem concessam habeat, nec inter muta animalia relatus sit: quod Thales Milesius, vnus eorum qui septem Græciæ sapientes dicuntur, fecisse legitur, Deo gratias agere solitus ob tria præcipue beneficia, quod inter Græcos, non inter barbaros, quod mas non femina, quod homo, non bestia natus esset. Hinc doctissimus Boetius in libro De Consolatione his verbis hominum in res cœlestes inquirentium curiositatem retundit: Non *fas est* inquit, *homini cunctas diuini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone: hoc tantum perspexisse sufficiat quod naturarum omnium conditor Deus idem ad bonum dirigens cuncta disponat.* Quare non est vt elata mente plura scire velimus quam scire nobis conueniat: sed illud firmiter credamus, Deum ea omnia quibus animæ nostræ salus procurari potest & debet, manifestâsse; ea vero quæ ad curio-

Matth. 6.

Thaletis Milesij dictum.

Boet. li. 4. prosa 6.

Deus ad animæ salutem ne. essa

curiositatem tantum spectant, quæque diuinæ essentiæ arcana continent occultasse. Quid enim voluptatis afferre nobis queat earũ rerũ inuestigatio quas scire nõ possumus, & quas si vel maxime scire possemus, nihilo tamen euaderemus quã nunc sumus beatiores? Quam in sententiam egregie loquitur lacteus ille Latinæ eloquentiæ fons Lactantius libro II. Diuinarum Institutionũ. *Deus* inquit, *veri patris officio functus est: ipse corpus effinxit, ipse animam qua spiramus infudit: illius est totum quidquid sumus. Quomodo id effecerit si nos oporteret scire, docuisset, sicut docuit cetera quæ cognitionem nobis & pristini erroris & veri luminis attulerunt.* Idem, *Deus*, ait, *sola nos scire voluit quæ interfuit hominem scire ad vitam consequendam; quæ vero ad curiosam & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, vt arcana essent. Quid ergo quæris quæ non potes scire, nec, si scias, beatior fias?* Et paullo inferius: *Vnde autem vel quomodo Deus hæc duo principalia ignem & aquam vel accenderit vel eliquauerit, solus scire potest qui fecit.* Illud nobis sufficit quod Deus hanc sui perfectam cognitionem & diuinæ lucis aspectum iustis & electis reposuit, vt ea tum quando deposita terrestri hac sarcina è corporis vinculis euolauerint, fruantur, in æternæ beatudinis societatem assumti. Vnde Paulus Apostolus, gentium doctor & electum vas Dei, non ignorans terreno hoc carcere quo in miseriarum hac valle detinemur, mentes nostras compeditas teneri, huiusque mundi tenebris intellectum ita obnubilari, vt Deum, nisi quatenus in admirando huius mundi theatro

ria omnia nobis reuelauit.

Lact. c. 12.

Lact lib. 2. ca. 9.

Idẽ ca. 10.

Iusti Deũ videbunt & quando.

Paullus mori deside rat, & quare.

rebusque creatis se veluti per transennam aut speculū repræsentare voluit, cognoscere aut videre nequeat, sæpenumero abiecta corporis mole ad cœlum euolare desiderauit, inquiens: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Eadem cogitatione motus Franciscus Petrarcha Poeta sui sæculi celeberrimus idem votum in diuinis suis carminibus non semel repetit:

Petrarcha.

Aprasi, inquit, *la prigione ou'io son chiuso.*
Hunc ô hunc aperi quo iam sum carcere clausus.

Et alio in loco:

Ond io piu volte ho chieste à Dio quell ale
Per le quai dal mortale
Carcer nostro intelletto al Ciel si leua.

Id est:

Hanc ego sæpe quidem optaui diuinitus alam
Quæ mentem hanc animumque solutum carcere tetro
Tollat humo, & cœli vehat ad terlucida regna.

Deus quomodo antiquis Patribus conspiciendum se prabuerit.

Etsi verò in sacris literis legimus Deum sæpius antiquis illis Patribus apparuisse; non tamen propterea existimandum est Deum visibilem fuisse. *Sicut enim sonus* (verba sunt B. Augustini) *quo auditur sentētia in silentio intelligentiæ constituta, non est hoc quod ipsa: ita & species qua visus est Deus, in natura inuisibili constitutus, non erat quod ipse.* Scribit Epiphanius, Vadianos qui postea Anthropomorphitæ dicti sunt, credidisse Deum corpus habere, in eoque cōspiciendum se præbere: cui errrori causam præbuit quod sen-

Vadianor. seu Anthropomorphitarū hæresis.

ſibus plus quam menti tribuerent, neque animo perſpicerent quæ à ſenſibus erant remota; deinde etiam quod in Geneſi legiſſent, primũ hominem, qui anima & corpore conſtat, ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei fuiſſe creatũ: præter alia multa ſacræ ſcripturæ loca, quibus Deo eadẽ quæ hominibus membra aliaque adſcribuntur. Hæreſis hæc iam olim, vt Auguſtinus teſtatur, reiecta fuit & damnata. Si enim Deus corpore eſſet circumſcriptus & incluſus, finitus ſane eſſet, nec omnibus locis præſens eſſe poſſet; ex materia etiam & forma eſſet compoſitus, & accidentibus ſubiectus: quæ omnia vtpote imperfectionis in his rebus inferioribus indicia, à Deo ſempiterno, immortali, omnipotenti, inuiſibili & perfectiſſimo quam longiſſimè abſunt. Hinc Paulus Apoſtolus exclamat: *Beatus, ſolus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui habet immortalitatem & lucem habitat inaceſſibilem, quem nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Et alibi: *Regi ſæculorum inuiſibili & immortali, ſoli Deo honor & gloria* Quod vero in ſacris litteris membra, vel etiam alij affectus Deo attribuuntur, vt quod gaudere, quod iraſci dicitur, non ita intelligendum eſt quaſi Deus è membris ſit compoſitus, aut quod reuera iraſcatur, vadat, aſcendat, deſcendat, & quæ ſunt eiuſmodi in Deum cadant: ſed accommodat ſe Spiritus ſanctus intelligentię noſtræ imbecillitati, vt tantò facilius Dei poteſtatem, viſum, ſcientiam, iudiciaque incomprehenſibilia intelligere queamus. *Quare Deus*, inquit Ambroſius, *non iraſcitur, ſed quod dicitur iraſci eo ſit vt peccati turpi-*

Geneſ. 8.

Pſalm. 52.
Eſaia 25.

Ad Eph. 2.

Qua ratione S. ſcripturamẽbra Deo tribuat.

turpitudo demonstretur. Verba ipsius hæc sunt: *Non irascitur Deus quasi mutabilis, sed irascitur, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruit offensam: tamquam eousque increuerit culpa, vt etiam Deus qui naturaliter non mouetur, aut ira, aut odio, aut passione vlla prouocatus videatur ad iracundiam.* Idem Eucherius scribit, inquiens: *Vbicumque sacra scriptura sparsim per diuinos libros in Deo motus animæ seu humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, & cetera membra, siue motus animæ, id est, iram, fauorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem & alia his similia: nō carnaliter iuxta historiam à recte intelligentibus scienda sunt, sed spiritualiter omnia de Deo intelligenda & confitenda.* Quocirca credi non debet Deum visibiliter ab antiquis illis Patribus fuisse conspectum, quomodo à beatis mentibus aspicitur, vtcumque multis locis in sacra scriptura eis apparuisse, cumque eis colloquutus esse dicatur: vt quum primum nostrum & communem omnium parentem Adamum ita affatur, *Crescite & multiplicamini*, &c. quumque eum euocatum inobedientiæ, quod vetitæ arboris fructum comedisset, coarguit, & conuictum è paradiso profligat: quando cum Noa sermonem habet, mandans ei vt Arcam construat in qua se suosque ad restaurandum hominum genus, contra diluuium totius orbis exitio immissum, tueri posset: quum Abrahamo promittit, In semine ipsius omnes gentes benedictum iri: quum se magno illi Prophetæ Moysi, colloquia cum ipso miscens, aliquando in rubi ardentis, interdum

Ambr. lib. De Noe & Arca.

Deus an & quomodo à Patribus conspectus.

colum-

columnæ, nonnunquam ignis, mox alia ſpecie in monte Sinai atque alibi videndum præbuit: ſed verius eſt formas illas ſub quibus Deus apparuit & in quibus loqui auditus eſt, angelorum opera & miniſterio per voluntatem & virtutem diuinam, ſecũdum operũ ſignificationes quæ Deus ad nos erudiendos demõſtrare voluit, effectas, vt doctiſſime diſputat Auguſtinus lib. III. & IV. De Trinitate. Hieronymus Cardanus, vir ſcientiarum varietate & ingenij viuacitate admirabilis, in libello quem De Deo & vniuerſo ſcripſit, poſtquam multis rationibus ac teſtimonijs comprobauit Deum eſſe humano ingenio incomprehenſibilem, nec de eo quidquã aliud ſciri poſſe quam hoc quod cauſa ſit ſingularis, vnus ſolus Deus, origo, fons & principium rerum omnium, immenſitaſque vnica, & ſumma perfectio, qui nihil aliud quam ſeipſum contempletur; tanta luce quantæ ipſe ſolus eſt capax, tanta claritate vt hemiſphærium vtrumque, vicinas & remotiſſimas tam cœli quam terræ regiones colluſtret: immobilis, expers omnis varietatis, tanto ſplendore quantum ne momentum quidem temporis mortales oculi ſuſtinere poſſent, eſſentiæ ſubtiliſſimæ, ſemper quietus (res enim quarũ ſubſtantia immenſo quodam modo ſubtilis eſt, vel ſemper mouentur, vt cœli, vel ſemper quieſcunt, vt intellectus: Deus vero intellectus non eſt, ſed multo quid præſtantius, potentius, & dignius) hæc, inquam, quum Cardanus de Deo dixiſſet, tandem diſputationem ita concludit: *Quæris ergo quid Deus ſit. ſi ſcirẽ, Deus eſſem: nam Deũ nemo nouit, nec quid ſit quiſquã ſcit, niſi ſolus Deus.*

Auguſtin. *Hierony.* *Cardanus.*

Quod nomen admirabili huius vniuersi Architecto competat: vbi subtilis quædam Scoti opinio examinatur.

CAPVT IV.

Vocis Deus etymologia



STATIVS auctor est, mundi huius conditorem DEVM esse dictum à *dando* fortean, quippe qui omnia quibus humana vita eget cõmoda & præsidia largiatur: vel à voce *desit*, per antiphrasin, quod ei nihil rerum omnium desiat: vel à Græca voce θεὸς quæ à θεάομαι vel θεωρέω quod est *video*, descendit, quum Dei oculum nihil effugiat: vel à δέομαι id est, *timeo*, veluti quem mortales omnes timere debeant & venerari. Vtut sit, non sane proprium hoc est æterno illi Motori nomen: nec vllum in vniuersa rerum natura inuenitur quod naturali diuinæ maiestatis essentiæ conforme sit; idque adeo Deus occultum semper esse voluit, vt ne Moysi quidem, quo aliâs pænè familiariter vtebatur, reuelauerit. Quærenti enim quid esset, *Ego*, inquit, *sum qui sum*: quæ verba Hebræi in magna semper habuerunt veneratione, nec ea cuiquam licebat pronunciare nisi sacerdotibus, idque ipsis diebus tantum quorum præ ceteris solemnitas celebrabatur. Quare mortalium sapientissimus Solomon, non inueniens dignum vocabulum quo incognitum hunc Architectum exprimeret,

Deo nullũ nomen propriè conuenit.

quasi

quasi stupore quodam defixus, exclamat: *Quod nomen eius?* quasi diceret: ecquod vsquam nomen, quam vocem reperiemus, quæ diuinæ eius naturæ à nostra mente & sensibus retrusæ & abditæ, respondeat? Idem sentit Hieronymus Cardanus, quum scilicet quid Deus sit sciri non possit, multo minus proprium eius nomen sciri posse: siquidem nomina plerumque à natura, vi & proprietatibus rerum nobis cognitarum sumuntur; ac propterea quum quid sit Deus ignoremus, non ei nos proprium aliquod & competens nomen dare posse, nisi nostra imaginatione confictum. Scotus quidem, cui meo quidem iudicio, vel præcipua acerrimi inter mortaleis ingenij laus debetur, omnia conatus est, omnia excussit, omnia rimatus est, vt nomen aliquod inueniret, quo Deus quid esset contineretur, cui has diuinas proprietates, vel quasi proprietates attribuit, sapientiam, bonitatem, iustitiam, misericordiam, & his similes. ac tandem infert nomen hoc & conceptum esse, *Ens infinitum*; asseritque ex omnibus nominibus quæ sempiterno illi Monarchæ ab hominibus in hac terra tribui possunt, hoc maxime naturale esse, eiusque essentię conuenientissimũ. cuius quidem ille suæ opinionis hanc affert rationem, quod nullum aliud præter vnum hoc nomen reperiatur, quo dictæ illæ proprietates siue attributa omnibus numeris absoluta comprehendantur, vt summa sapientia, summa bonitas, summa potentia, summa iustitia, & alia id genus: nec vllũ esse Angelum, animam vel spiritum, multo minus corpus aliquod tam in cœlo quam in terra eius naturæ

Prouer. 30.

Cardanus lib De vniuerso.

Scotus quale nomen Deo tribuat.

3. dist. 1. q. 2

turæ aut perfectionis cui superiora illa tribu possint, nisi id vnum quod hoc *Entis infiniti* conceptu ac nomine significatur, vtpote quod etiam maiorem denotet perfectionem quam *Summi boni* vox, quum magis sit simplex. Quare, inquit, vox *Infinitum*, non est velut attributum aut propria quædam Entis affectio, nec earum rerum quibus Infinitum conuenit, nec talis quidditas de qua Infinitum prædicatur, quippe quum Infinitum intrinsecus sit Entis modus. Quando ergo dicitur *Ens Infinitum*, non conceptus aliquis per accidens ex subiecto & attributo compositus, sed conceptus in se ex subiecto in certo perfectionis gradu, qui Infinitas est, efformatur. E contra Ens & Bonum duæ sunt formalitates, quæ coniunctæ conceptum efficiunt ex subiecto & attributo compositum: quandoquidem Bonitas vna est ex Entis proprietatibus siue attributis. Verum è duabus his vocibus *Ens infinitum*, conceptus è duabus formalitatibus, immo simplex vna ex formalitate conceptus effloreſcit, qui est, Subiectum in gradu suæ perfectionis intrinseco. Eum autem tali exemplo idem Scotus declarat. Quemadmodum, inquit, quando dicitur Albedo intensa, è duabus his vocibus non gignitur conceptus per accidens qui ex subiecto & attributo sit compositus, sed simplex tantum, vnam tantum quidditatem, vnam tantum formalitatem importans, quæ scilicet est Albedo perfecta, sine alterius formalitatis mistura: econtra quando dicitur Albedo visibilis, conceptus formatur per accidens, è duabus formalitatibus compositus, albedine nimirum, quæ subiectum, & visibilita-

bilitate, quæ attributum eſt: eodem modo quando dicimus, Ens Infinitum, nullum ſubinferimus miſturam aut compoſitionem, ſicuti quando dicitur Ens Bonum, Ens Verum, Ens iuſtum, & ſiquid tale eſt: ſiquidem Bonum, Verum, Iuſtum, non ſunt de quidditate eius cui attribuuntur Entis; & propterea cum ſubiecto coniuncta, diuerſas cum ipſo res miſcent, ita vt è duabus rebus vna miſta & per accidens compoſita coaleſcat. Atqui Infinitas nullius in toto mundo ſubiecti paſſio eſt vel proprietas, ſed intrinſecus quidam Entis modus eſt, eidem coherens: ideoque Infinitas Entitati coniuncta nullam importat ſubiecti & attributi contemperationem ſiue coniunctionem, ſed, vt ſæpe iam dictum eſt, ſimplicem efformat ſubiecti ad quod Infinitas pertinet, conceptum. Quare nobiliſſimus hic eſt Entis Infiniti, omniumque qui in rerum natura vſpiã reperiuntur, ſimpliciſſimus atq; perfectiſſimus cõceptus, quippe qui plures res virtute ſua includit quam omnibus alijs cõceptibus quibus Dei notitia quodammodo adumbratur, continentur. Nam quemadmodum ENS virtualiter includit Verum & Bonum; ita ENS Infinitum includit Bonum Infinitum, & Verum Infinitum: immo omnes perfectiones ſimpliciter ſub Infinito comprehenduntur. Quocirca vt ad talem aliquem conceptũ perueniamus quo ſublimis ille rerum omniũ architectus, cuius cognitio ſub ſenſum non cadit, nec per phantaſiam intellectui contemplanda proponitur, quodãmodo ſignificetur, oportet, inquit idem, rerum creatarum atque aſpectabilium genera euoluere animoque percur-

Ens infinitũ ſimpliciſſimũ eſt quod Dei tribui poſſit nomen.

percurrere, vt ſunt ſpecies Boni, Summi, Actu
quæ ſimul iuncta conceptum talem forma
Summum bonum actualiſſimum, qui Enti In
nito tribuitur, quod eſt Deus: ſiquidem eſſe ſu
mum bonum actualiſſimum, nulli creaturar
competit; eoque ſemper conceptus perfecti
num à ſummi ſpeciebus ſumuntur, vt Sum
bonitas, ſumma ſapientia, ſumma potentia,
ſic deinceps in alia omni perfectione: quod q
dem Summum non comparate ſed abſolute ac
pitur, nihilque aliud innuit quam rem cuius
natura reipſa eſt vt ab alio excedi vel ſupera
nequeat: quod niſi eſſet, conceptus illi cum D
non reciprocarētur vel cōuertibiles eſſent. Q
propter talis conceptus in quo, tamquam per
ctiſſima deſcriptione, æternus ille Monarc
cognoſcatur, hac demum ratione formabitur,
omnes perfectiones in Summo veluti vnam
vocem collectæ pronuncientur, Deoque att
buantur, vt appoſite tradit Dionyſius. Om
enim res perfectionem aliquam & excellentia
denotantes, quæcunque vel intellectus vel im
ginationis vi queunt apprehendi, in Deo per
ctiſſimæ ſunt, eique merito attribuendæ; eco
tra illæ quibus nota quædam defectus vel imp
fectionis ineſt, vt in Dei naturam minime c
dunt, ita procul ab eius deſcriptione ſunt ab
gandæ. His igitur Entis Infiniti vocibus ſum
Veritas, ſumma Bonitas, ſumma Iuſtitia, ſu
ma Miſericordia, ſumma Sapientia, ſumma P
tentia, ſumma Benignitas & Beneficentia, ſu
ma Clementia, ſumma Intelligentia, ſumma In
mortalitas, ſumma Immobilitas, ſumma Inv
riab

Dionyſ. in lib. de diuinis nominibus.

riabilitas, ſumma Amabilitas, ſumma Deſiderabilitas, ſumma Intelligibilitas, ſumma Stabilitas, ſummus Actus, ſummum Actiuum, ſummus Motor, ſumma cauſa, ſumma Eſſentia, ſumma Subſtantia, ſumma Natura, ſummus Spiritus, ſumma Simplicitas, ſummum Præmium, ſumma Delectatio, ſumma Pulcritudo, ſumma Iucunditas, ſummum Refrigerium, ſumma Quies, ſumma Securitas, ſumma Beatitudo, quidquid denique Boni, quidquid laudabilis aut perfecti ſub intellectum hominis aut imaginationem cadit, comprehenditur atque vnà exprimitur, adeò vt hic conceptus cum Dei natura conuerti poſſit, eamque omnium perfectiſſimè, quantum eius in hac mortalis vitæ imbecillitate fieri poteſt, deſcribat & cognoſcendam proponat. Atque hæc quidem Scoti fuit opinio, in qua demōſtranda mirum eſt quantopere ſubtile eius & acutiſſimum ingenium deſudârit. Atqui ea vno iſto, quod ſupra paucis perſtrinximus, refelli poteſt, omnibus ſcilicet his vocabulis & conceptibus ſpecies ſignificari earum rerum quæ ſupra naturā poſitæ à nobis cognoſci non poſſunt. Cuius rei cauſſa eſt intellectus noſtri imbecillitas, ad immenſam illam & incomprehenſibilem ſupremi Architecti altitudinem comparata, & vt vno verbo dicam, noſtra ignorantia. Quum igitur intellectus noſter magni huius atq; admirabilis rerū vniuerſitatis magiſtri naturā capere nequeat: quid mirum ſi aliud ipſi congruens nomen inuenire aut cōminiſci non poſſimus, quam id quo quod ſummum eſt & omni perfectione perfectiſſimum ſignificatur? Melius igitur eſt

Scoti opin. refellitur.

 & tutius

Humana sapientia pars est quadam nescire velle.
Iob. ca. 5.

& tutius tam vasti maris, in quo nullus est exitus, oram tantum legere, nec plus velle sapere quam homini conueniat, vt ne nosmetipsos in exitium præcipitemus. Sic enim Deus per os Iobi loquitur: *Comprehendam sapientes in astutia eorum*: quasi diceret, Toti orbi manifestum faciam, eorum omnium sapientiam qui cœlum digito tangere sibi videntur, quique intellectus sui decempeda Dei ac naturæ immensitatem metiri volunt, meram esse ignorantiam & peruersam animi obstinati persuasionem, qua illi in profundam errorum abyssum tandem præcipitentur. Nunc vero, demonstrato vniuersi huius architecto, principia eius & partes iam videamus, quantum quidem nobis ad vim Incantationum ac mirabilia Spirituum & Naturæ opera intelligenda satis erit.

De tribus vniuersi huius regionibus, deque admirabili ordine quo omnes eius partes continentur.

CAPVT V.



SAPIENTISSIMVS ille mundi fabricator, quum opus specie pulcherrimum omnibusq; modis absolutum moliretur, in certas illud partes diuisit, eas vero innumerabilibus ornamentis distinctas, admirabili catena atque nexu inter se colligauit. Est vero vni-

vniuersitas hæc in tres amplissimas regiones ab ipso distincta, quarum prima supracœlestis est, altera cœlestis siue æetherea, tertia elementaris. Primam angelis & beatis mentibus Deus voluit esse domicilium; secundam planetis ac stellis ornauit; tertiam hominibus atque animalibus inhabitandam concessit. Harum iterum prima luce fulget incredibili; tertia tenebris obfuscatur; secunda vtrumque tenebras & lucem, æquali ratione temperat & dispensat. In prima Deus immortalitatem posuit & stabilem operationem; in secunda vitam stabilem & loci atque operationum mutationem; in tertia alterationem continuam, & vitæ cum morte permutationem. Primam creauit è diuinæ mentis natura; secundam è corporibus omnis corruptionis expertibus est fabricatus; tertiam è rebus caducis & fragilibus coagmentauit. In hac tertia regione idem Deus quatuor collocauit elementa; in secunda illa cœlesti itidem quatuor; ac totidem in prima illa supracœlesti. Quatuor infimæ huius partis elementa sunt, Terra, Aqua, Aer, Ignis; cœlestis siue æthereæ, Luna, Mercurius, Venus, Sol; supracœlestis, Angeli, Archangeli, Principatus, Seraphim. Terram Deus in infima mundi parte immobilem iussit consistere; cœlum continuo motu ferri; supracœlestibus vero naturis vim intelligendi dedit. Eiusdem munere Aqua hæc inferior naturæ calorem suffocat, cœlestis pascit, supracœlestis fecundat. Eiusdem ordinatione Aer hic inferior vitæ præbet spiraculum & meatum, cœlestis gaudium & solatium, supracœlestis omne bonum. Eiusdem

Mundus in tres regiones distinctus.

Quaterna elementa in omnib. mundi regionibus.

dispositione Ignis hic inferior vrit, cœlestis viuificat, supracœlestis amore accendit. Aiunt veteris legis consulti theatrum huius vniuersi Deo depictum, & in tabernaculi illius quod fieri sibi à Mose iussit, figura demonstratum atque repræsentatum fuisse. Et hoc enim tribus constabat partibus, quæ exactè tribus illis quas diximus mundi regionibus respondent. Vt enim inferior hęc sublunaris globi pars ob continuam rerum corruptibilium mutationem & elementorum alterationem, vitæ ac mortis, ortus atque interitus sentit vicissitudinem: ita prima quoque tabernaculi pars aperto aëri, tecto omni carens solis, ventorum, niuis ac pluuiarum iniurijs erat exposita, in quam homines boni & mali, iusti & iniusti, sacri & profani veniebant, quoque omnis generis animalia adducebantur, in quorum immolatione miserum vitæ atque mortis cernebatur spectaculum. econtrario quemadmodum duæ illæ regiones siue templa, cœlestis scilicet & supracœlestis, extra omnem vis aut iniuriæ positæ sunt aleam, nec vlla alterationis aut peccati labe, postquam superbus ille Lucifer ex supera illa sede deturbatus est, sunt cōtaminatæ: ita ceteræ duæ tabernaculi partes contra omnem ventorum, imbrium, æstus ac frigoris iniuriam tecto defendebātur, sic vt omnibus eiectis sordibus in eis omnia munda essent, candida & sincera. Et quemadmodum cœlum sanctum quidem, sed hoc multò sanctior Angelorum est chorus: ita harum partium altera Sanctum, altera vero Sanctum sanctorum dicta fuit. Deinde sicut nostra hæc regio terrestris, quem Mundum inferiorem

Exod. c. 16.

Tabernaculum Mosaicū mundi figura.

orem vocamus, hominibus atque animalibus domicilium præbet; qui vero hoc ſuperior eſt Mundus cœleſtis clariſſima ſeptem errantium ſtellarum luce radiat; ſupremus vero qui ſupra omnes eſt cœlos, plenus eſt angelicorum ſpirituum: ita in prima tabernaculi parte homines atque animalia verſabantur; ſecunda in qua candelabrum erat cum ſeptem luminaribus accenſis poſitum, multo fulgore coruſcabat; tertia vero omnium ſanctiſſima Cherubinum alatas imagines cõtinebat. Quemadmodũ Moſaicũ illud tabernaculum decem habuit cortinas; ſic trium mundi partium ſingulæ denis gradibus ſunt diſtinctæ. Sublimis illius & ſupracœleſtis templi gradus decem hi ſunt: Angeli, Archangeli, Principatus, Throni, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Cherubini, Seraphini, Deus: cœleſtis verò decem ſunt orbes ſiue cœli, Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, cœlum ſtellatum, cryſtallinum & empyreum. Decem vero in ſublunari hac regione hi numerantur gradus: Elementa, Miſta, Impreſſiones, Herbæ, Fructus, Arbores, Plantæ, Beſtiæ, Vermes, Animalia & Materia prima. Et ſicut in ſacro illo Tabernaculo quinquaginta erant circuli, qui totidem annulis cortinarum inſerti, mirabili ordine omnem illam machinam continebant: eodem modo vniuerſa hæc mundi fabrica, catena quinquaginta veluti annulis ſiue iuncturis cõſtante, à Deo colligata cernitur. Harum coniunctionum viginti ſunt vniuerſales, vndetriginta particulares, vna vero generaliſſima. Viginti vniuerſales ſunt, Vnitatis in ſeipſa, partium cum parti-

Mundi regionum deni gradus.

Catena mundi quæ & qualis.

partibus, essentiæ cum essentia, proprietatis cum essentia, formæ cum subiecto, transmutantis cũ transmutato, artis cum subiecta materia, partis separabilis cum toto, partis inseparabilis cũ toto, caussæ cum effectu intrinseco & seminali, caussæ cum effectu à suo principio dependente, caussæ extrinsecæ cum effectu, caussæ intrinsecæ cum effectu, caussæ finalis primariæ cum effectu, caussæ finalis secundariæ cum effectu, effectus primarij cum caussa, effectus secundarij cum caussa, speciei cum specie, medij cum extremo, corruptibilis denique cum incorruptibili. Vndetriginta particulares coniunctiones sunt vndetriginta trium Mundi regionum gradus, decem terrestris, decem cœlestis, nouem vero supracœlestis; tricesima vero est generalissima illa coniunctio Mundi cum factore, siue Dei cum rebus vniuersis. Gradus hi omnes particulariter inter se inuicem sunt connexi, quorum consideratione mens hominis non voluptate tãtum singulari afficitur, verum etiam in summam rapitur admirationem. Nam inter materiam primam & elementa chaos est, inter elementa & mixta sunt impressiones; inter saxum & terram creta est, inter terram & metalla margasites & alia mineralia, inter saxum & plantam coralia, inter plantam & animalia zoophyta vel plantanimitia (quæ sensu & motu prædita, alimentum per radices saxis inhærentes ad se trahunt) inter animalia terrestria & aquatilia lutræ, castores, testudines & cancri fluuiatiles, inter aquatica & volatilia pisces sunt volantes, inter animalia & hominem cercopitheci sunt & simiæ, inter bruta

ani-

animantia & naturam intelligibilem siue puras intelligentias, homo. Porro omnes rerum omnium essentiæ sub decem his generibus comprehēduntur. Primum compositum est ex materia prima & accidente, vt cinis: secundum ex materia, accidente & forma, vt eleméta: tertium ex duobus elementis, vt vapor & ascensio, quorum ille aqua & aere constat, hæc aeris & ignis naturam habet: quartum ex tribus elementis, vt nubes; quintum ex quatuor elementis cum forma naturali vnitis, vt metalla & lapides: sextum ex corpore animato, vt plantæ: septimum è vita & sensu, vt bestiæ: octauum è vita, sensu & intellectu, vt homo: nonum, vltra intellectum, multo subtilioris est & inuisibilis essentiæ, vt angeli: decimum vero omnem naturæ cursum & leges supergreditur, quo genere vnus Deus æternus & immortalis continetur. Similiter videmus omnia signa cœlestia contraria vno quodam signo tamquam sequestro & arbitro inter se conciliari: inprimis vero inter nouem angelorũ choros, quantum ad mysteria & arcana attinet, harmonia est admirabilis & stupendus ordo, vt infra latius à nobis explicabitur: nunc ad grande hoc Mundi theatrum primis veluti lineamentis designandum hactenus dicta sufficere existimamus.

Decem omnium rerũ genera.

De Mundi origine & primis eius principijs: vbi Thaletis, Anaximenis, Hipparchi, Heracliti, Anaxagoræ, Leucippi, Diodori, Democriti & Epicuri opiniones recensentur, & de atomis quid sentiendum sit, disputatur.

CAPVT VI.



QVEMadmodum Deum cognoscere, animoque talem qualis est comprehendere impossibile est, nisi ipse qui perfectam diuinæ essentiæ habeat cognitionem, Deus sit: illud quod essentia, potentia, magnitudine, sapientia, æternitate & bonitate infinitum est, non nisi ab infinito capi potest. Is vero vnus est primus ille & æternus Motor, præter quem nulla creaturarum quidquam sapere aut scire potest: siquidem nemo alius est quam Deus qui rerum omnium caussas reddere queat, ad quod infinita requiritur scientia, quæ nec in homines, nec in angelos, nec in vllam denique creaturam cadit. Hinc illud est quod Aristoteles libro I. Metaphysicorum, de intelligentijs disputans, veritatem ob humani ingenij imbecillitatem vix ac ne vix quidem cognosci posse ait. Sed vt hic idem omnium hominum (in genere) ignorantiam optimè perspectam habuit, ita suam ipsius ignorantiam. Eodem enim libro dicit, Rationem vbi ratio non

Deus solus omniscius.

Error Aristotelis.

sit quæ-

ſit quærendam non eſſe: quæ ſane verba tanti viri doctrina & ſapientia minime digna ſunt, quaſi ſcilicet quidquam ſine ratione fieret: quin arrogantiam ſapiunt plane intolerabilem, affirmãtis potius in rebus quæ videntur rationem non eſſe quando ea non apparet, quam ſuam ignorantiam fateri volentis. Neque enim vlla res eſt quæ magis ad Dei laudem amplificandam pertineat, quam noſtræ inſcitiæ confeſſio: id quod D. Apoſtolus Paullus indicare voluit, ad Corinthios ita ſcribens: *Si quis videtur eſſe ſapiens in hoc ſæculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mũdi ſtultitia eſt apud Deum.* E contrario ſummam Deo faciunt iniuriam, qui intellectus ſui imbecillitatem non agnoſcũt. Quamobrem perfectiſſimum illud patientiæ exemplar Iobum, poſtquam multa cum amicis de arcana Dei voluntate & obſcuris factorum cauſſis diſputaſſet, iamque ad ipſum veri fontem penetraſſe ſe ſe arbitraretur, Deus his verbis increpat: *Quis eſt iſte ſententias inuoluens ſermonibus imperitis?* quaſi diceret: Nam quod eſt iſtud os tam impudẽs quod tam imperite de rebus diuinis diſſerere, aut quæ mens tam temeraria quæ arcana factorum meorum tam confidenter rimari audeat? *Vbi eras,* ſubiungit, *quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam.* Tandem multis enumeratis quæ in ſole, luna, cœlis, fulgure, mari, tempeſtatibus, aliiſque rebus è primæ creationis ordine procedentia ſpectantur, miraculis, illud euincit, omnem quantaquanta eſt humani ingenij ſapientiam à mera inſcitia atque ignorantia parum immo nihil abeſſe. Fuit quidem ſummo in-

Iobus à Deo reprehenſus & cur.

Ariſtotelis ignorantia & errores.

mo ingenio summaque doctrina prȩditus Aristoteles; eum tamen neque millesimam partem eorum rerum quæ à natura inuolutæ sunt, mentis indagine comprehensam habuisse verum est. Nam & in ijs quæ solo intellectu percipiuntur nihil aut parum eum vidisse, multi posteriorum temporum tam Philosophi quam Theologi demonstrarunt; & in rebus naturalibus pulcherrima quædam nescisse, ipsa ratio euincit. Neque enim vel per somnium ipsi in mentem venit cœlorum numerus, in sacris litteris per duodecim Tabernaculi cortinas adumbratus: quod quidem Tabernaculum typus fuit & expressum veluti exemplar huius nostri quod describimus Theatri. Planetarum quoque ordinem siue seriem Aristoteles ignorauit: siquidem Veneri & Mercurio supra solem locum attribuit, quos inferiores esse Ptolomæi docent demonstrationes. Quid quod talis tantusque Philosophus ne vnum quidem stellarum motum accurate habuit cognitum; & de maris salsedine eiusque caussa insulse admodum disputauit. Quam inepta sunt quæ de fontium origine tradit? nasci eos dicit ex aere intra terrȩ viscera & cauernas putrefacto vel potius resoluto. atqui vel illitterato oculos ad tot perpetuas fontium fluuiorumque scaturigines flectenti perspicuum fit, vniuersum huius mundi aerem resolutum mille annis tantum aquæ gignere non posse, quantum vno die è terra exit. Veram tamen caussam atque originem facile erat reperire: quum fontes à mari non secus ac venæ à iocinore procedant. Similis fere inscitiæ Albertus cognomento Magnus Aristoteles

Aristotelis errores.

lem arguit in eo quod Iridem noctu conspici negat: quod cum ipsa experientia pugnat, vtpote quæ non semel nocturno quoque tempore visa fit. Quod si insuper Aristotelis quam ad hoc probandum attulit ratio vera sit; illud sequitur omnem illam nubem vnius esse & eiusdem coloris: quod non ita est, nec esse vmquam potest. Plutarchus quoque in libro De placitis Philosophorum, & Galenus libro II. De placitis Hippocratis, cum multis alijs Aristotelis rationes quibus Mundi æternitatem adstruere conatus est, exagitant & deridiculo habent. Et sane est hæc sententia quam primus inter omnes Philosophos Aristoteles architectatus est, manifestæ ignorantiæ & impietatis plena: vt suo loco planum faciemus; & planissime D. Thomas Aquinas demōstrauit. Sed vt summa ceteroqui in Aristotele sapientiæ vis fuit; ita singularis quædam prudentia in omnibus eius scriptis elucet. Quotiescunque enim de rebus dubijs & obscuris loquitur, verba tam cautè temperat atque suspendit vt oracula fundere videatur, adeoque ad mentem eius explicandam Oedipo ferè opus sit: vti ex primo Physicarum auscultationum, & libris De Anima manifestum est. Quæ quidem res tot tantisque commentarijs chartas oblinendi interpretibus occasionem dedit, dum illud inprimis probare conantur animæ immortalitatem ipsi placuisse, quod ipsum tamen alij aiunt alij negant. Tantū vero abest vt Aristoteli omnia Naturæ arcana cognita fuerint, vt etiam, si Procopio credimus, quum caussam peruestigare non posset cur ad Nigroponti fretum aqua maris septenis de die vici-

Aristoteles tutè in rebus obscuris loquitur.

bus

Aristoteles in mare se præcipitat.

bus cresceret, siue afflueret, ac totidem refluer
siue decresceret, in illud idem mare se præci
târit, exclamans, *Quoniam Aristoteles mare ca
re non potest, capiat Aristotelem mare.* Atque h
de Aristotele à me dicta ita accipi velim, no
quidquam auctoritati eius ac sapientiæ existi
tioni, quam diuinis sibi scriptis peperit, de
ham, sed vt planum faciam quũ tam multæ t
que præclaræ res eius qui omnium mortal
doctissimus habitus fuit, scientiam effuger
numquam fore vt nos solis ingenij nostri viri
adiuti, plenam & perfectam rerum omnium
turalium, nedum supranaturalium & cœlest
intelligētiam nisi diuinitus reuelatam conse
mur. Illud quidem certum estatque indubita

Ignorantiæ præcipua caussa quæ.

nihil esse quo hominum ignorantia magis al
quam eorum arrogantiam qui ea quæ intell
comprehendere nequeunt, credere recusant.
emplo nobis sunt antiqui Philosophi de M
principijs Andabatarum more digladiantes. N
mirum à vero eos aberrasse qui sola ration
Mundi originem indagârunt: quæ quum al
lateret quam vt humano ingenio erui posse
tem indecisam sub iudice reliquerunt. Th

Philosophorũ de Mundi principijs dissensiones

Milesius, qui Apollinis oraculo sapientissi
est iudicatus, Aquam vniuersi principium di
quam opinionem, vt Aristoles & Plutarchus
bunt, ex eo hauserat quod videret omnia re
semina atque alimenta humida esse, immo
sum calorem naturalem humore sustētari ac
triri, eoque exhausto vna extingui, atque
animati corporis vnionem siue compositio
solui. Idipsum veteres Poetæ videntur inn
vol

voluisse quum Oceanum & Thetidem generationis auctores, ac sanctissimum Deorum iusiurandum per Stygiam paludem esse scripserunt, quasi videlicet is honor Aquæ veluti vniuersæ Naturę principio, ac rerum omniũ quę orbis ambitu continentur dignissimæ atque antiquissimæ deberetur. Anaximenes Anaximandri auditor ex aere vniuersa genita asseuerauit, his inductus rationibus, quod Aer quamcumque impressionem, actionem aut qualitatem recipiat, & à natura aptus sit vt ex vna forma in aliam facilimè transmutetur: quod in ceteris elementis secus se habet. Eandem opinionem à magistro hausit Diogenes Apolloniates, qui hoc etiam addidit, ex aere condensato vel rarefacto diuersos esse mundos generatos. Hipparchus & Heraclitus Ephesius Ignem rerum omnium principium constituerunt: cui opinioni Archelaus quoque Atheniensis est adstipulatus. Aiebant enim Ignem condensatum atque humectatum Aerem fieri, at vbi multo spissior factus fuerit, Aquam, tandem vero magis constrictum, Terram. sic vice versa Terram rarefactam in Aquam conuerti, Aquam euaporatione in Aerem transmutari, Aerem purificatum in Ignis naturam transire: hocque modo vnius huius elementi perpetua transmutatione rerum omnium orientium atque intereuntium ordinem quendam perpetuum constare, & nouum subinde mundum renasci. Idem Hipparcho Metapontio placuit: qui primatum hunc Igni ideo adscribendum putauit, quod omnium elementorum nobilissimum esset & viuacissimum, ac partibus minutissimis subtilissimis

Aristot. 1. Metaphys.

misque constaret, tum innatis viribus omnia pe-
netraret, omnia produceret, omnia augeret, om-
nia conseruaret, omnia denique ad perfectio-
nem reduceret. Anaxagoras Clazomenius minu-
Arist. 1. de gener. tex. 1 tas particulas minutas & similares principium
esse totius putauit: exempli gratia, carnem di-
cebat è multis carnis particulis esse cópositam,
sanguinem à sanguine deriuari, ossa ex ossiculis
conflari: quarum vt & ceterarum rerum omni-
um particularum coadunatione totum compo-
natur, & earundem separatione corrumpatur
atque intereat. Idem philosophus, particulis illis
alterius speciei particulas admisceri existima-
uit, vt in carne, quam puram putam esse carnem
negabat, sed carnem ideo dici asserebat quod ex
huius substantia plures quam ex vlla alia parti-
culas haberet: addens eandem esse in aqua, aere,
terra, auro, argento ceterisque fossilibus ratio-
Aristot. 1. Phys. 33. & lib. 3. 28. 8. Phys. text. 15. & 3. De anima, 4. 1. Metaph. nem. sed inprimis illud obseruatu dignum est,
quod idem asseruit dictas illas omnes particu-
las natura confusas ab intellectu quodam & men-
te tamquam optimo artifice separatas esse & di-
gestas Leucippus, Diodorus, Epicurus & Demo-
critus scholis suis Plenum & Vacuũ pro infinitis
rerum omnium principijs obtruserunt. Esse vero
aliquod Vacuũ in rerũ natura, his fere rationibus
probare conabantur. Aiebant, omne corpus pro-
pter sui magnitudinẽ locum requirere à quo to-
tum cõtineatur: hunc vero superficiem esse non
posse, quandoquidem superficies tangat tantum
& circumcirca veluti includat corpus. Locum
igitur nihil aliud esse quam vacuum. Argumen-
tum præterea è motu locali sumserunt: quem vt

nemo

emo nisi sensus omnis expers negauerit, ita si-
e vacuo fieri non posse illi autumabant. Si e-
im per locum fiat corporibus iam repletum,
re vt à solidis corporibus impediatur, aut cor-
us à corpore vi quadam propellatur, quo casu
otus is naturalis dici non possit: sin quis affir-
are velit, corpus vnum alterum penetrare, in
iud multo absurdius & ab omni philosophia
axime alienum incursurum, vt plura corpora
vno & eodem loco esse concedere cogatur.
orum vero responsioni qui motum localem
ri aiebant, non quod vacuum sit, sed quod
oxima corpora ijs quæ mota sunt cedant, lo-
mque alium occupent, & propterea conden-
ntur ac constringantur, hoc modo occurrebāt.
corpora ei quod mouetur vicina in seipsis con-
ingantur, fatendum, esse aliquid in eis vacui
ius beneficio condensatio illa vel compressio
t: alioqui corporum illam penetrationem ad-
ittendam, & sic statuendum plura corpora
o & eodem loco includi: quod paullo ante
ximus cum omni ratione pugnare. Quod si
is dixerit minime hanc ad stabiliendum Va-
um satis validam esse rationem; sed corpora
quod mouetur proxima ab alio impulsa rur-
aliud impellere, ac sic deinceps vnum in al-
ius locum cedere; hunc tali absurditate im-
cabant, vt dicerent hac ratione ad omnem
am minimæ rei motum totum hoc Vniuer-
m motum iri, nihilo tamen minus vacuum
dum fore, in quod vltimo impulsum corpus
cedat, ne in infinitum progredi aliquid, &
è Mundo finito infinitus ac nullis terminis
circum-

Arist. li. 4. Phys. tex. 53.

circumſcriptus ſtatuatur. Arbitrabantur in
per, ſi vacuum non eſſet fieri non poſſe vt ci
totum corpus penetret, & non alimentum
tum verum etiam vitam omnibus & ſing
membris ſubminiſtret: nec vllam fore in cor
ribus ponderis differentiam, vt in auro ac h
niſi vnum plus alterum minus vacui habe
Huic inſuper tam præclaro principio alterũ
iunxerunt, Plenum ſcilicet, quod vacuũ cõtr
aiebant. neq; enim agere & pati, mouere & m
ueri, tangere & tãgi vacuo, ſed Pleno conue
Porrò quum Plenum hoc pro principio po
ſent, idem corruptionis, alterationis omniſ
diuiſionis expers eſſe affirmare coacti ſunt, q
pe quod alia ratione principium, & quidem
cuo oppoſitum eſſe non poſſet. Vt enim Vac
planè omni caret corpore; ita Plenum ſolid
ſine vlla Vacui parte, inalterabile, indiui
um, immutabile, æternum denique eſſe opor
ne eo mutato vel ſublato, vniuerſa hæc m
fabrica ſoluatur. Pleno huic atomorum no
impoſuerunt, qui nihil aliud ſunt quam cor
cula illa quæ in ſolis radijs videntur, & pr
ctas omnes, vt illi volunt, habent conditio
Neque enim atomi, vt nomen ipſum fert,
cari vel corrumpi queunt, nec vel coloris vel
quam alij mutationi ſunt obnoxij. Ijdem co
in infinitum ſecari poſſe negabant: ſed co
ſentiebant, in omni corporis diuiſione tand
ad extremum aliquid quod nullum amplius
mittat ſectionem, perueniri, hoc vſi argume
Omne corpus, inquiunt, aut ex nihilo, aut
punctis, aut ex corpuſculis minutis atque indi

Ariſt. 4. Phyſ. text. 55.

Plenum.

Atomi.

duis est compositum. Ex nihilo vero aut punctis corpus esse conflatum (quum punctum nihil aliud sit quam id cuius pars est nulla) omnibus philosophorum legibus & decretis repugnat, vt suo à nobis loco explicabitur. restat ergo vt dicamus atomis constare, qui si in partes infinitas diuidi possint, & non tandem ad indiuiduum quid perueniatur, sequetur, omne corpus infinitas habere partes, ac propterea ipsum quoque esse infinitum: siquidem negari non potest vnumquodque corpus infinitas, quantumlibet minutas, partes continens, ipsum quoque infinitum esse. Quocirca ijdem illi philosophi atomos numero infinitos esse voluerunt, dicentes, quéadmodum Vacuum nihil aliud sit quam spacium quoddam infinitum; ita Plenum quoque necessario infinitum esse, vt scilicet duo hæc principia æqualia sint, neque vnum altero(quod valde absurdum sit) maius dicatur. Etsi vero vna eademque omnium est atomorum natura: ijdem tamen tria illis præcipue discrimina apposuerũt, quorũ primum à loco sumitur, vt alij sint superiores alij inferiores, alij dextri alij sinistri; secundũ ab ordine, vt alij sint anteriores alij posteriores: tertiũ à forma vt alij rotũdi alij quadrati vel quacunq; alia figura præditi dicãtur. Hinc est quod Cicero Democritũ atomorũ læues alios, alios asperos, alios curuos, alios aduncos, alios rotũdos alios angulatos, alios denique alia figura fabricantem introducit. Atque ex his quidem atomis diuersimode coniunctis Leucippus & Epicurus Mundum esse generatum crediderunt, nõ aliter quam è tribus & viginti litteris omnis omnium

Atomorũ differẽtia.

Cicer. 1. de Natura Deorum.

hominum sermo omnisque scriptura constat & conficitur: quin etiam eò absurditatis progressi sunt vt dicerent, ex fortuito horum concursu nulla cogente natura infinitos Mundos esse productos, rursusque è fortuita eorundem diuulsione destructum iri: vt paullo inferius ostendemus.

Aristot. 1. Metaph c: 1. de gener. text. 5.

Quid alij nõnulli ex antiquis philosophis de Mundi principijs senserint, Pythagoras inprimis: vbi de numeris Pythagoricis agitur, & Aristotelis, Platonis ac Theologorum sententiæ explicantur.

CAPVT VII.



PYTHAGORAS Samius & Alcmæon tantum Numeris tribuerunt, vt eorum viribus vniuersa producta esse ac perpetuo contineri asseuerârint, denario inprimis, ex credo, ob caussam quod viderent apud omnes quæ vbique sunt gentes numerationem ad denarium vsque procedere, eoque concludi. quandoquidem denarij virtus in quaternario consistit, ab eoque dependet, vtpote qui ex monade, binario, ternario & quaternario simul sumtis conflatus sit: quaternario etiam magnas vires adscripserunt, quem numerorum nobilissimum & sanctissimum appellârunt, adeo vt quando sanctissimum interponere iusiurandum vellent, eo vterentur, tamquam in quo fons

nis Naturæ consisteret. Erat vero iurisiurandi formula talis:

Iuro per omnipotentem, anima qui tetrada nostra
Perpetuos fontes Natura, infudit habentem.

De hac Pythagorę opinione apud Diogenem Laertium hæc scripta extant: *In Pythagoricis commentarijs hæc nota sunt, Vnitatem esse principium omnium: ex Vnitate indefinitam dualitatem processisse, & tamquam materiam ei subiectam esse: ex monade porro & indeterminata dualitate numeros gigni, ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex lineis planas figuras, ex planis solidas, ex quibus corpora coalescant: hæc quatuor esse elementa, Terram, Aquã, Aerem, Ignẽ, quæ per omnia se mutãt & vertunt. Ex his constare Mundum, rotundum, animatum & intelligentem.* Ijdem (Pythagorici) animi nostri vim omnem quaternario comprehendi censebant. monadem enim siue Vnitatem mentem esse, binario scientiam, ternario opinionem, quaternario sensum designari: quod quomodo intelligendum sit Plutarchus docet, & nos suo loco dicemus. Quaternarius vel etiam nouenarius ab ijsdem Iustitiæ assignatur. est enim quaternarius primus cubicorum numerus, firmitatem denotans: nouenarius vero itidem primus est suam in seipso habens soliditatem; siquidem è ternario tribus vicibus in se reuoluto ac multiplicato constat. Quare Iustitiam, quæ vtramque harum partium, soliditatem scilicet siue firmitatem & æqualitatem contineat, duobus his numeris, quaternario scilicet & nouenario constare aiunt, quod quidem è vulgata etiam Iustitiæ definitione manifestum fiat. Iu-

Iustitia quo numero contineatur.

stitia enim definitur, Constãs & perpetua volu-
tas suum cuique tribuendi. Per constantem vo-
Inst. de iust. & iure. luntatem, ecce tibi descriptam quaternarij soli-
ditatem; suum vero cuique tribuere nonne cu
nouenarij paritate quam optime conuenit? Q
Quinarius numerus. narium nuptialem appellabant, eam ob caussa
quod quemadmodum matrimonij vinculis m
& femina copulantur; ita hic è binario qui
minam, & ternario qui marem denotat, co
positus sit. Septenario tempestiui, propor
Septenarius. nati & naturalis nomen ijdem tribuerunt: qu
doquidem huius numeri virtute multæ res
omni rerum natura, sed præcipue in hom
producuntur. Septimo enim mense homo i
tero vitam accipit, & omnia corporis mem
atque organa perfecta habet, quamquam vt p
rimum nono demum mense in lucem eda
post annos quoque septem dentes qui prim
merserant alijs aptioribus ad cibum solidum
scentibus cedunt, qui deinceps non nisi pos
septenos annos, id est vicesimo primo ætatis
no mutantur, quo genas quoque, vt ait Ma
bius, flore vestit iuuenta, idemque annus in l
gum crescendi finem facit. Atque hinc illud
telligi potest quod Seneca ait, septimum qu
que annum ætati signum imprimere: quod
men de maribus tantum intelligendum vide
Sed & hoc in eodem numero philosophi isti
seruarunt, quod nec ipse vllum eorum qui ad
cimum vsque continentur numerorum ex se
nat, nec ex ipsis formatus sit siue compositus
narius enim duplicatus quaternariũ, triplica
senarium, quadruplicatus octonarium, q
tu

triplicatus denarium efficit: Ternarius bis sumtus sex, ter, nouem facit: è quaternario duplicato octo, è quinario decem producuntur. Etsi vero nec è senario, nec ex octonario, nec ex nouenario quoque vllus primorum decem numerorum nascitur; sunt tamen ex illis generati: siquidem è binario triplicato senarius, exque eodem quadruplicato octonarius efflorescit. Hanc ob caussam ijdem Pythagorici septenarium Mineruam appellârunt, quod, vt patrima illa virgo sine matre nasceretur, atque instar castæ virginis nullos gigneret ex se filios. Aristoteles auctor est, Pythagoricos duas præcipue ob caussas Numeros omnium rerum principia esse credidisse. harum primam esse: quod ab omnibus corporibus primi à sensu abstracti sunt ac separati: posse enim numerum quemcumque animo atque intellectu comprehendi ab omni corpore separatum; corpus vero nullum sine numero sub animi cognitionem cadere. alteram vero esse magnam illam similitudinem, conformitatem & communionem quam numeri cum rebus creatis habent: siquidem à Deo, vt itidem sacra scriptura testatur, omnia sub numero, pondere & mensura facta sunt. Existimabant insuper Pythagorici nouē esse in rerū natura corpora quæ circulari motu agitentur: septem scilicet planetas, cœlum stellatum siue octauum, & terræ globum, quem non minus quam cœlum in gyrum circumagi atq; intra Ignis sphæram reuolui volebāt: cui quidem igni Vestæ nomen, atque inter omnia elementa tamquam nobilissimo principatum tribuerunt. Denario ijdem aliud corpus naturâ

Septenarius cur Minerua dictus.

Numeri quare pro rerū principijs habiti.

Corpora naturalia 9. secūdum Pythagoricos.

Corpus quod denario assignatum. turale adſcripſerũt, quod *Antichthona* ipſi appellabant, id eſt terram huic noſtræ oppoſitã, quam motu cõtrario circumuolui aiebant. hoc inſuper addebãt; certum eſſe inter hæc omnia corpora ac deſcriptum interuallum, veluti ſolem duplo ſpacio à terra longius quam Lunam abeſſe, Venerem triplo, Mercurium quadruplo, & ſic deinceps. Iiſdem perſuaſum erat muſicam quamdam harmoniam & concentum de ſphærarum cœleſtium conuerſione procedere: & graueis quidem ſonos à motibus tardioribus, acutos vero à velocioribus efformari: è quibus inter ſe certa ratione temperatis dulciſſimam exiſtere harmoniam, qua vniuerſi huius moles perpetuo conſeruetur: hanc vero hominum auribus nõ percipi, quippe longo vſu ita familiarem vt nõ ſentiatur, magnitudine vero ita immenſam vt omnem excedat auditum. Denario quoque tamquam numero perfectiſſimo Pythagorici denas categorias ſiue genera bonorum ac malorum his oppoſitorum aſſignârunt. Sunt autem Bonorum hæc: Finitum, Impar, Vnum, Dextrum, Maſculum, Quies, Rectum, Lumen, Bonum, Quadratum: Malorum vero, Infinitum, Par, Multiplex, Siniſtrum, Femineum, Motus, Curuum, Tenebræ, Malum, non Quadratum: quæ quidem omnia prolixè à nobis quarta parte explicata ſunt, vt & omnia quæ ſermone illo Pythagoræ quem Syrianus philoſophus in commentario ſuo ſuper librum XIV. Metaphyſicorum refert, continentur. Huius quidem ſermonis tanta apud illos fuit auctoritas ac veneratio, vt Sacrum appellarent, quod numerorum ad denarium vſq; vires admirabiles

Harmonia orbium cœleſtium.

Decem numerorum prædicamenta.

Sermo Pythagoræ.

& ne-

& nescio quæ arcana magister, cuius vel solius auctoritatem tanti faciebant vt ad quiduis persuadendum ea vna satis ipsis esset, complexus esset. Quare omissa in præsens longiori de his rebus disputatione quæ alterius loci sunt, opiniones heic tantum & placita antiquorum philosophorum de primis huius theatri fundamentis ac principijs indicare pergemus. Anaximander infinita rerum omnium principia posuit. Xenophanes Vnũ omnia esse dixit, idque motu omni carere. Parmenides duo esse principia sine principijs tradidit, calorem & frigus, Ignem scilicet qui motum, & Terram quæ formam suppeditet. Empedocles Agrigentimus quatuor elementa æterna esse statuit, è Lite verò atq; Amicitia eorũdem res omnes esse procreatas. Plato & Socrates tria esse omnium rerum creatarum principia dixerunt, Deum, Ideam & Materiam. Zeno non plura quam duo admisit, Deum atque Elementa. Aristoteles pro principijs posuit materiam formæ appetentem per priuationem; quam ille veluti tertium duobus illis principium addit, parum sibi ipse constans. huic nonnulli hodie ex Aristotele philosophantium priuationi motum quemdam qui duo illa coniungat atque copulet substituerunt: qui sane quum è numero sit accidentium, substantiæ principium esse non possit. Hebræi principia dixerunt, Materiam, Formam & Spiritum. E Græcis quidam, Hesiodus in primis, atque inter Latinos Ouidius; Chaos finxerunt, id est omnium elementorum confusionem; quibus Demogorgonis manu digestis rebusque omnibus suo loco dispositis, admirabilis huius

Anaximander. *Xenophanes.* *Parmenides.* *Empedocles.* *Plato & Socrates* *Zeno.* *Aristoteles*

Corpus quod denario assignatum.

turale adſcripſerũt, quod *Antichthona* ipſi appellabant, id eſt terram huic noſtræ oppoſitã, quam motu cõtrario circumuolui aiebant. hoc inſuper addebãt; certum eſſe inter hæc omnia corpora ac deſcriptum interuallum, veluti ſolem duplo ſpacio à terra longius quam Lunam abeſſe, Venerem triplo, Mercurium quadruplo, & ſic deinceps. Iiſdem perſuaſum erat muſicam quamdam harmoniam & concentum de ſphærarum cœleſtium conuerſione procedere: & graueis quidem ſonos à motibus tardioribus, acutos vero à velocioribus efformari: è quibus inter ſe certatione temperatis dulciſſimam exiſtere harmoniam, qua vniuerſi huius moles perpetuo conſeruetur: hanc vero hominum auribus nõ percipi, quippe longo vſu ita familiarem vt nõ ſentiatur, magnitudine vero ita immenſam vt omnem excedat auditum. Denario quoque tamquam numero perfectiſſimo Pythagorici denas categorias ſiue genera bonorum ac malorum his oppoſitorum aſſignârunt. Sunt autem Bonorum hæc: Finitum, Impar, Vnum, Dextrum, Maſculum, Quies, Rectum, Lumen, Bonum, Quadratum: Malorum vero, Infinitum, Par, Multiplex, Siniſtrum, Femineum, Motus, Curuum, Tenebrę, Malum, non Quadratum: quæ quidem omnia prolixè à nobis quarta parte explicata ſunt, vt & omnia quæ ſermone illo Pythagoræ quem Syrianus philoſophus in commentario ſuo ſuper librum XIV. Metaphyſicorum refert, continentur. Huius quidem ſermonis tanta apud illos fuit auctoritas ac veneratio, vt Sacrum appellarent, quod numerorum ad denarium vſq; vires admirabiles & ne-

Harmonia orbium cœleſtium.

Decem numerorum prædicamenta.

Sermo Pythagoræ.

& nescio quæ arcana magister, cuius vel solius auctoritatem tanti faciebant vt ad quiduis persuadendum ea vna satis ipsis esset, complexus esset. Quare omissa in præsens longiori de his rebus disputatione quæ alterius loci sunt, opiniones heic tantum & placita antiquorum philosophorum de primis huius theatri fundamentis ac principijs indicare pergemus. Anaximander infinita rerum omnium principia posuit. Xenophanes Vnũ omnia esse dixit, idque motu omni carere. Parmenides duo esse principia sine principijs tradidit, calorem & frigus, Ignem scilicet qui motum, & Terram quæ formam suppeditet. Empedocles Agrigentimus quatuor elementa æterna esse statuit, è Lite verò atq; Amicitia eorũdem res omnes esse procreatas. Plato & Socrates tria esse omnium rerum creatarum principia dixerunt, Deum, Ideam & Materiam. Zeno non plura quam duo admisit, Deum atque Elementa. Aristoteles pro principijs posuit materiam formæ appetentem per priuationem; quam ille veluti tertium duobus illis principium addit, parum sibi ipse constans. huic nonnulli hodie ex Aristotele philosophantium priuationi motum quemdam qui duo illa coniungat atque copulet substituerunt: qui sane quum è numero sit accidentium, substantiæ principium esse non possit. Hebræi principia dixerunt, Materiam, Formam & Spiritum. E Græcis quidam, Hesiodus in primis, atque inter Latinos Ouidius; Chaos finxerunt, id est omnium elementorum confusionem; quibus Demogorgonis manu digestis rebusque omnibus suo loco dispositis, admirabilis huius

Anaximander. *Xenophanes.* *Parmenides.* *Empedocles.* *Plato & Socrates* *Zeno.* *Aristoteles*

mundi machina enitescere cœperit, atque hanc quam videmus formam acceperit atque ornatum. Infinitum fere sit omnes aliorum opiniones recensere: quæ vt inter se valde discrepant, ita à veritate quam longissime omnes discedunt, adeo vt nemo ex omnibus illis fuerit qui rem ipsam vt est attigerit atque explicarit. Caussa vero præcipua erroris fuit, falsa sapientiæ persuasio, qua inflati illud quod ingenio maxime arrideret quisque sequuti alijsque persuadere conati sunt, quidquid cum eo pugnaret obstinate insuperhabentes ac reijcientes. Illud quidem paret quodammodo, Stoicos in eo cum Peripateticis consentire; Deum primam esse vniuersi caussam, ab eoq́ue res omnes quę in hoc continentur, deriuari. Quamuis enim tria à Platone principia posita sint, Deus scilicet, materia & forma: in Timæo tamē ac multis alijs locis idē Deum omnibus caussis superiorem facit, atque extra omnem caussarum seriem atque ordinem habendum putat. Aristoteles quoque similiter demonstrauit, necessario Deum esse primū à quo res omnes ceteræ dependeant ac deriuentur fontem atque principium. Quo quidem impius Manichæorum error refellitur qui duo pari potestate principia statuerunt, vnum bonorum omnium & ordinis, alterum malorum ac confusionis auctorem; vnum mundi inferioris siue elementaris, alterum cœlestis ac bonorum spirituum conditorem. Quod quidem sine summa erroris atque impietatis nota nec dici nec credi potest. Qui enim plures vno Deos facit, verum quoque Deum vnà negat atque tollit. Ceterum de serie causarum

Deus prima Mundi caussa, secūdum quos.

Arist. Phy. 6. t. 8.

rum

rum circa formam & perfectionem huius nostri theatri, magnæ sunt inter Theologos & Philosophos dissensiones. Academici enim & Peripatetici Deum primæ intelligentiæ, hanc secundæ, rursus illam tertiæ, ac sic deinceps donec ad vltimam perueniatur, caussam efficientem esse dicunt. Quod quidem dogma Iuliano Imperatori, qui Transfugæ siue apostatæ nomine vsurpatur, Platonis & magistri sui Iamblichi errorem sequuto, eo in libro quem contra Christianorum religionem scripsit, placuisse video; qui Christianos eo nomine acerbe irridet quod Deum omnium rerum quæ videntur quæque non videntur, parentem crederent atque effectorem. Atque hoc quidem ipsum cum illis sacræ scripturæ verbis optime conuenit; *In principio creauit Deus cœlum & terram*: quibus mox vniuersa rerum à Deo creatarum series subnectitur. In eo quoque Stoici à Peripateticis, & ab vtrisque Theologi dissident, quod ad vagi huius & stupendi theatri productionem attinet, vtrum scilicet ab æterno à summo illo architecto Deo fabricatum sit, aut quum antea non fuisset, aliquando esse cœperit. Princeps Peripateticorum sectæ Aristoteles quique eum sequuti sunt Mundum hunc initium non habuisse, sed temporis æternitate primo illi Motori atque architecto æqualem esse, statuerunt. Plato quem Stoici sequuntur, solam materiam & confusum illud chaos ab æterno fuisse, sed Mundi hanc dispositionem patiumque coagmentationem atque ornatum à supero & præpotenti illo numine certo quodam tempore effectum

Theologorũ & Philosophorum de Mundi principio dissensiões.

Iuliani Apostatæ peruersa opinio.

Genes. 1.

Mundus æternus secundũ Aristotelẽ & Platonem.

censet: quamuis huius discipulus Plotinus magistro Mundi æternitatem placuisse persuadere conetur: quod tamen ita non est, siquidem ex ipsis quæ apud Platonem de mundi perfectione leguntur verbis temporale principium euinci potest. Theologorum vero omnisque fidelium schola pro indubitato habet, admirabilem hanc totius mundi machinam In principio temporis ab omnipotenti Dei manu ex nihilo creatam esse; de quo inferius erit dicendi locus.

Mundus ex nihilo factus.

Quibus rationibus atque argumentis Aristoteles atque Plato Mundi æternitatem adstruere conati sint; quæq; sit inter vtrumque dissensio.

CAPVT VIII.



AGNVS ille philosophus Aristoteles vt æternum Mundum esse crederet hac præcipue ratione inductus videtur, quod eas in rebus his creatis veluti notas quasdam impressas cerneret, quarum naturæ nihil magis quam principium habuisse, aut essentiæ, finem aliquando habituras, repugnare videretur. Ex hoc genere sunt materia prima, motus, tempus, Naturæ ordo, Dei immutabilitas, motus circularis, cœlorum natura, intelligentiarum perfectio, omnium nationum atque hominum consensus cœlos æternum esse Dei domicilium ac

Rationes Aristotelis de mundi æternitate vnde sumtæ.

sedem

ſedem. Ad materiam primam quod attinet, idem philoſophus generationis atque corruptionis omnis expertem eſſe, nec de nouo fieri aut reſtaurari poſſe affirmat. Si enim vmquam facta eſſet, ex alio quo omnino factam eſſe, quum ex nihilo nihil poſſit fieri. Si ex alio facta ſit, illud ipſum & non hanc materiam fore primam: & quoniam progreſſus in infinitum extēdi nequit, neceſſe eſſe tandem ad materiam vere atque reipſa primam perueniri, quę nunquam ex alio quo facta ſit. Hinc igitur concludit materiam primam æternam eſſe, nec vllum temporis principium habuiſſe: & ſic conſequenter, mundum hunc ab æterno fuiſſe. Ex nihilo nihil fieri, præterquam quod commune eſt omnium philoſophorum & antiquiſſimum axioma, Hermogenes ſic probat. Si Deus, inquit, Mundum hunc effecit, aut ex ſeipſo eum effecit, atque ſic ipſe pars eius fuerit: quod ſi tamquam verum admittimus, fatendum erit omne hoc quod factum ſit quodque fiat imperfectum eſſe; ſiquidem neceſſe erit omnia eſſe vt ipſe ſeipſum faciat, & non omnia eſſe, vt ex ſe ipſo factus ſit: ſed ſi ſit factum nihil erit, quippe quod iā olim & velut ab æterno fuerit; ſin non ſit non quoque fiet quū nihil ex nihilo deriuari queat. Idem argumentum ab eodem ad generationis & corruptionis perpetuitatem probandam adhibetur Quum enim materia prima imperfectā admodum habeat eſſentiam, neceſſe eſt ſub forma quadam ſubſtantiali eam contineri: quumque vnius eſſentiæ generatio alterius ſiue prioris ſit deſtructio, negari non poteſt omnem generationem corruptionem aliquam

lib. 1. Phyſ. tex. 82.

Materia prima.

Ex nihilo nihil fieri.

Generatio & corruptio.

aliquam præcedere, & omnem corruptionem nouam ſubſequi generationem, ſicut pulli generatio eſt oui corruptio : quod noſter philoſophus conſiderans omne ouum ſcilicet è gallina, & viciſſim omnes gallinas ex ouis naſci, nec abſolute horum alterum primum eſſe : generationis in vniuerſum, ac ſic totius Mundi inde colligit æternitatem. De motu ſi-

Motus. Ariſt. 8. Phyſ. tex. 4. Subiectum motu prius

idem ille argumentatur. In omni motu res quæ mouetur prior eſt, vtpote ſubiectum. Si enim motus principium habet, neceſſe eſt primi motus ſubiectum, quod prius in eo eſſe diximus, aut generatum aut ſempiternum eſſe. Generatum eſſe nequit: ſiquidem quum generatio ſine motu fieri nequeat, huius motus primus aliquis ac rurſus hoc prior alius dabitur, atq; ſic in infinitum progreſſus fiet. Sin vero primi illius motus ſubiectum æternum ſit, ſed omni motu deſtitutum: credibile eſt vel in re mobili vel motore aliquod fuiſſe impedimẽtum, per quod ſteterit quo minus in omni illa ſæculorum perpetuitate moueri potuerit, quo poſtea ſublato moueri tandem aliquando cœperit. Atqui ſine motu obſtaculum hoc amoueri non potuit, & ſic ante primum illum motum alius prior erit: quod quum dicere abſurdum ſit, illud efficitur, motum atque adeo ipſum Mundum æternum eſſe.

Tempus menſura motus.

Iam quomodo à Tempore idem probare conatus ſit videamus. Nullum tempus, ait, ſine Nunc quo præſens denotatur, eſſe poteſt. quod quidem nihil aliud eſt quam tẽporis quoddam vinculum, finis ſcilicet præteriti & initium futuri. Quare tempus nullum reperiri poteſt ante quod non

aliud fuerit, & poſt quod etiam non aliud futurum ſit; nec inſtans aliquod aſſignari poteſt quod primum ſit temporis principium. Æternum igitur eſt, vt & motus, ſine quo tempus eſſe nequit, quippe qui huius ſit menſura; & conſequenter tota hæc mundi machina, tamquam motus ſubiectum, principio carebit. Præterea quum videret Ariſtoteles omnes res quas Natura moliretur optimo quodam ordine cuiusilla admirabilis ſane omnibus in rebus eſt magiſtra, eſſe diſpoſitas, omnem autem ordinem in certa proportione conſiſtere: abſurdum exiſtimauit fateri Deum innumerabilibus ſæculis quaſi ignauiter quieuiſſe, ac non ita pridem de mundi conditione cogitationem ſuscepiſſe; nec cum Natura ſatis conuenire ſi quis nihil intereſſe dicat, ante an poſtmodo Mundus à Deo factus ſit: pariterque talem ordinem inſtituiſſe, non eſſe Naturæ operationem. Quæ enim ſecundum Naturam fiunt, ſimpliciter fiunt atque vno & eodem ſemper modo, vt in igne manifeſtum eſt qui ſurſum, & in terra quæ deorſum ſemper conſtantiſſime tendit. Quod ſi quandoque ſimplex ille & ceteroqui immutabilis Naturæ curſus rumpitur: cauſſa nulla naturalis apparet, ac vix vlla probabilis reddi poteſt ratio, vt in monſtris aliisque Naturæ, vt ita dicam, peccatis. Huius vero quod mundus aliquando conditus ſit ſententiæ, nec vlla cauſſa apparet naturalis, nec vlla dari poteſt ratio. Quapropter ſuaipſius naturâ mundus æternus eſt. Sed & à Dei natura quæ ab omni mutatione quam longiſſime abeſt, hunc in modum ratiocinatur. Quæ

Natura diuinis magiſtra.

8 Phyſ. tex. 14.

Eod li tex. 53 & De gener. tex 56

ſemper

ſemper vna eademque eſt natura, nullam vnquam ſentit mutationem, ſed vnum idemque munus ſiue operationem ſemper obit. Quum igitur Deus vnus idemque ſemper maneat, nec vllam habeat mutationem aut varietatem, aut ab æterno ſemper Mundum condidit, & in futurum condet, aut nunquam condidit neque porro condet. neque enim illud quis dicere poteſt, condidiſſe aliquando, aliquando non: quum facere & non facere diuerſa ſint, & in eius qui facit eſſentia varietatem denotent, quæ in Dei naturam nequaquam cadit. Quod ſatis ille firmum argumentum putat, cur credamus Mundum hunc æternum eſſe, neque vmquam fieri cœpiſſe. Sed & alterum ex eadem Dei natura argumentum ad Mundi probandam æternitatem ſumit. Diuinæ Maieſtatis ſubſtantia, inquit, actus eſt ſimpliciſſimus, ſine omni potentia: qui ſi non vno atque eodem modo ſemper ſe haberet, ſed interdum operaretur, interdum non operaretur, ſequeretur, magni illius architecti naturam vtriusq; ,actus ſcilicet atque potentiæ capacem eſſe. Quod vt ab omni ratione eſt alienũ; ita eidem contentaneum videtur, Mundum ab æterno fuiſſe. A motu circulari idem probare conatur, cum cuius naturæ è diametro pugnat principium habere; ſiquidem nec terminum habet vnde incipiat, nec terminum in quo finiatur motus, ſed idem ſemper in principio eſt, medio atque fine: vt in cœlorum motu videre eſt, in quibus quum rotundi ſint, punctum quoduis principium, medium atque finis conſtitui poteſt, quandoquidem primus circuli motus principium

Deus immutabilis.

12. Metaph text. 30.

Motus circularis.

8. Phyſ. text. 76.

cipium est, medium & finis ipsius motus: qui primus motus si ortum habeat, generatio ipsius, quæ motus est, primus erit motus primi motus: quod valde est absurdum. Quocirca quum in motuum ortu progressus in infinitum non detur, necesse est dicere motum circularem primum motum esse, sempiternum, sine principio, medio & fine. A cœli itidem natura idem opinioni suæ stabilimentum quæsiuit, quod generatum esse negat, hoc argumento. Si, inquit, cœlum generatum esset, corruptioni etiam esset obnoxium: quandoquidem corruptionem contrarij gignit excessus, generatio etiam motus est à contrario ad contrarium procedens. Cœlo vero nihil esse contrarium inde probat, quod omnis passionis atque mutationis quoad substantiam acqualitatem expers sit, atque inprimis rotunda figura præditum, quæ ex omnibus contrarietati maxime aduersatur. Præterea sic argumentatur, optimam & perfectissimam intelligentiarum dispositionem esse orbes suos siue circulos cœlestes resque illis subiectas mouere. hac enim ratione bonitatem & perfectionem suam illis communicare: quod Bono ac Perfecto maxime proprium est; atque ex hoc fonte ceteræ caussæ omnes, efficiens ac finalis, fluunt. Si igitur mundus ab æterno non fuisset: intelligentiæ per innumera sæcula ociosæ atque ita imperfectæ fuissent. Addit idem: Deum & Naturam ijs in rebus quæ fieri possunt semper id facere quod est optimum. atqui vt sit mundus, & quidem sempiternus, multo esse melius quam vt non sit aut aliquando intereat: idque esse ex earum rerum ge-

Cœlum nõ generatum

1. De cœlo. tex. 20.

Intelligentiarũ perfectio.

8. Phys. 4. & 56.

Esse melius quam non esse.

rum genere quæ esse possunt. Quod enim de nouo factum sit, potuisse etiam prius, atque ab æterno fieri: quum Dei potentia non varietur, vt maior aliquando sit aliquando minor. Quemadmodum igitur melius est esse, quam non esse; ita melius etiam esse semper esse quam non semper esse: ac proinde melius esse vt Mundus semper sit atque fuerit, quam non semper sit aut fuerit. Tandem communem quoque hominum consensum Aristoteles ad probandam suam hanc opinionem adfert, vno ore atque animo fatentium Cœlum Dei esse domicilium atque sedem: quod vt diuinę inhabitantis maiestati cõueniat, oportere quoque ipsum, vti Deus æternus est, æternum esse. Magnus sapientiæ magister Plato materiam primam æternam, Mundum vero de nouo conditum esse censuit, quum philosophus se probare quam Mosaicis oraculis fidem habere mallet. Vt vero scopulum illius antiqui philosophorum decreti, Ex nihilo nihil fieri, effugeret, Chaos ab æterno fuisse commentus est: atque ita cum Hebræis in eo quod Mundũ in principio temporis conditum fassus est, idem sensit; cum Græcis vero in eo quod elementorum confusioni æternitatem ac magnum illum Deum Demogorgonem adiunxit, qui rudem illam atque indigestam molem separarit, atque elementa suis quodque locis descripserit ac distinxerit, vt eleganter Ouidius his versibus canit:

1. De cælo 22. Cælum Dei sedes.

Platonis de Mundi origine opinio

Hanc Deus & melior litem Natura diremit.
Nam cælo terras & terris abscidit vndas,
Et liquidum spisso secreuit ab æthere cælum:
Quæ postquam euoluit cæcoque exemit aceruo

Dis-

Dissociata locis, concordi pace ligauit.

Alia ratione motus Plato materiam æternam, mundum vero de nouo conditum esse statuit. Quia enim duas in Mundo res videbat, quarum prima materia est substantia quædam informis omnibus Theatri huius nostri partibus communis; altera vero formarum, tam secundum totum siue vniuersum quam secundum eius partes impressarum, diuersitas: hanc rerum formationem tam quoad totum quam singulas partes non potuisse ab æterno fluere, sed certum originis initium habuisse arbitratus est. Informe enim formato necessario prius esse: veluti ligneam spheram adspiciens proculdubio illud sibi statim imaginatur, lignum forma illa globi cœlestis prius caruisse quam indutum fuisse: ita vt Mundi formatio nouitatem suam siue ortum, materia vero informis illius quod Chaos dicitur æternitatem demonstret. Eidem par quoque & iustum videtur, vt quemadmodum stupenda hæc Mundi machina patrem habet vniuersalem, immortalem scilicet Deum rerum omnium opificem, ita matrem quoque habeat omnibus sui partibus cõmunem, quæ chaos est informatum; atque horum vtriusque filius fetus mundus sit. *Mundus cuius sit filius.* Idem naturæ rationem hoc postulare ait, vt corpus formatum è materia informi factum sit; sic vt cœlum etiam, stellas, solem aliosque planetas, quorum tantam pulcritudinem suspicimus atque admiramur, omnia denique corpora in sublunari hac regione ex informi materia condita esse affirmare non dubitet. Hanc Platonis opinionem ex antiquis philosophis nonnulli *Platonis opinio refellitur.*

 ita re-

ita refutarunt. Naturæ quidem ordine informe formato tamquam subiectum re cuius subie-ctum est, prius esse fatentur; non tamen propter-ea temporis ordine præcedere, quum informe sine forma subsistere nequeat, immo forma illud ipsum sit per quod informe reperiatur. Necesse igitur esse vt aut materia & forma (id est, res omnes quæ hoc Mundo continentur) vel ab æter-no sint, quæ Aristotelis est sententia; aut tam hæc quam illa ex nihilo creata sit, quod Chri-stiani & fideles omnes persuasum habent. Ari-stoteles materiam primam temporis quidem or-dine forma priorem esse concedit; sed anterio-ritatē hanc, vt ita dicam, in potentia tantum, non vero ipso actu consistere affirmat. Idem magistri sui Platonis sententiā alia ratione refellit, suā ve-ro de materiæ ac formę æternitate opinionē con-firmat, hac scilicet, quod primam materiam non vniuerso Mundo sed huius tātum inferiori parti quæ ex quatuor elementis composita est, com-munem ponit. In hac materiam quidem primam æternam describit, nullam tamen ei formam co-æternam esse dicit, sed vnamquamque per gene-rationem nouam fieri, rursusque aliam per corruptionem quasi renasci ait; atque ita multo-rum ac diuersarum formarum successionē cum perpetuo generationis & corruptionis ordine introducit, ita vt vnumquodque & denuo fiat generabile, & denuo corruptibile. Quod ad cœ-lorum attinet naturam, idem Aristoteles Plato-nem in eo reprehendit, quod materiam eos sub-stantialem habere existimârit: quasi essent præ-diti, nō minus quam cetera hæc corpora subluna-ri

Informe si|ne forma | nō inuenī|tur.

Aristoteles | Platonē re|prehendit.

Materia | prima Mū|do elemen|tari tātum | communis.

Cœlum nō | habet ma|teriam se|cundam.

ria generationi atque corruptioni obnoxios fore putat. quapropter cœlum, solem, lunam, cęterasque stellas corpora æterna esse, ac materiam motui locali non vero generationi aptam habere censet. Platoni quidem nihil minus credibile visum fuit quam materiam primam corporum cœlestium non eandem esse quæ mundi huius inferioris, quum nihil sit quo prædicta materia prima multiplicari, aut ab altera illa diuersa effici possit. Quæ illum ratio impulit vt diceret cœlos è materia informi de nouo factos esse, non secus quam mundum hunc elementarem. Quod autem cœlorum materia non, vti elementorum, corrumpatur aut dissoluatur, id non eorum naturæ, sed Dei omnipotentiæ ac muneri hanc eis prærogatiuam largientis, adscribendum. Sic enim in Timæo loquitur: *Mundus, si ipsum intuearis corrumpi potest, quia quod compositum fuit dissoluitur tandem. At Mundum corrumpi Deus non vult. Meum autem consilium, inquit Deus, plus potest ad immortalitatem tui quam natura ad interitum.*

Cœlū qua ratione incorruptibile secūdum Platonem.

Plato in Timæo.

Duo

Duo Aristotelis & Platonis falsa prin cipia siue axiomata refutantur: vnum, Deo ad mundi fabricationem materia opus fuisse; alterum, Dei operationes Naturæ necessitate obligari.

CAPVT IX.

Opinio Arist. et Pla. reprehensa.



ECENSITAE hactenus tam Aristotelis Mundum totum, quam Platonis Chaos siue materiã primam æternam statuentis opiniones ab Hebræorum synagoga explosæ, & ab vniuersa Christianorum schola impietatis damnatæ, immo non ab omnibus tantum philosophorum ac theologorum familijs, verum etiam omnibus temporum nostrorum sectis repudiatæ sunt: vtpote quarum vtraque & sacrorum librorum oraculis, & ipsius etiam Peripateticæ philosophiæ decretis repugnet. Quod si Aristoteles primum Mosis librum, cui Genesi titulus est, legens dicere ausus est, *Plura esse eo in libro quæsita quam inuenta, & ex inuentis pauciora firmata*: quis neget verba hæc quæ Ioannes Franciscus Picus de libris Aristotelis quibus cœlorum naturam explicare conatus est, scripta reliquit, multo plus rationis ac veritatis habere? Sunt vero hæc: *Plura sunt in opere De cœlo supposita quam probata, & ex his quæ probantur pauciora validis argumentationibus communita.*

Arist. Genesim carpit.

Picus li. 6. Exam. c. 9.

Erro

Error hic tanti Philosophi circa mundi æternitatem è duobus principijs siue axiomatis falso suppositis natus est, quorum vnum est Deum naturæ quadam necessitate operari, ac veluti Iouem in fabulis Adrastiæ legibus teneri; alterum, immortali huius theatri architecto materiam esse necessariam, nec sine ea quidquam ab ipso effici posse. Quarum vtraque propositio quum falsissima sit, atque ipsius etiam Philosophiæ decretis aduersetur: facilè quoque conclusionis falsitas elucet. Veræ enim demonstrationes, vt ipse docet Aristoteles, è veris propositionibus conficiuntur. Horum vero vtrumque, quod tãquam totius disputationis fundamentum illi posuerunt, à veritate abhorrere, vel inanibus palpari queat. Etsi enim in rebus his vilibus atque abiectis eum videmus ordinem constitutum, vt non nisi in aut cum materia quidquam operari possint; valde tamen absurdum immo impium sit Deum ipsum Naturæ à se conditæ legibus subijcere: immo nisi in Deum contumeliosi esse velimus, fatendum est Deum omnipotentem in operando admirabilioribus ac longè alijs vti rationibus quam ijs quæ in elementis & eorum operationibus cernuntur, vt è diuerso hoc modo tanto melius conspici possit quantum inter infinitam rerum omnium creatoris atque incomprehensibilem potestatem, & rerum creatarum vires certis limitibus circumscriptas intersit. Quare ridiculum est, vt inquit Algazel, Dei actiones rerum harum inferiorum viribus metiri velle: quamuis Auerroes Arabs hanc popularis sui doctrinã pręfracte semper respuerit, quod ingenij

Arist error vnde natus.

2 Post Analij 3.

Aristotelis rationes soluuntur.

Deus Naturæ nõ est subiectus.

Algazelis dictum.

genij sui angustijs illud non caperet, quomodo in ijs quæ Deus ageret atque operaretur nec materia nec vlla voluntatis nouitas siue mutatio requireretur. Præterea illud considerandum est, si Deus nihil sine anteiacente materia operari aut struere posset, necessario affirmandum fore, summam Dei potentiam materia constringi ac finiri: quod rationi ac veritati valde repugnat. quis enim ille fuit qui hos limites atque regiones diuinæ omnipotentiæ posuit? Non equidem hos, puto, Deus sibiipse præscripsit, multo minus alius quispiam prior atque superior: neque materia ipsa facere hoc potuerit, quippe quæ, etiam ex ipsius Philosophi opinione, Deo posterior est. Nihil igitur absolutam Dei potentiam constringere potuit; eidemque sine vlla materia per modum creationis operari facile fuit. Operari enim esse sequitur, & qualis est cuiusque rei essentia, talis quoque eius est actio. Quare quum Dei natura atque essentia, non ab vllo alio dependeat, & nihil ipso prius inueniatur aut præsupponatur: idem quoque in operationibus suis nullo præiacente indiget subiecto, sed ex nihilo facere aliquid, immo omnia potest. Et quemadmodum illa opinio omnium hominum animis insita est atque innata. Deum primum esse ENS, perfectum, à nullo dependens, αὐταρκὲς, solum sibi sufficiens, nullaque reegens: ita quoque negari non potest eundem suisipsius viribus ad quæcumque opera edenda contentum esse, nec vllo egere subiecto. Id quod alia etiam ratione probari potest. Nam Deus ad operandum aut materiam & subiectum requirit, aut carere eis potest.

Auerrois error.

Dei potentia non est materia astricta.

Operatio essentiam sequitur.

Arist. 2. Mor. c. 18.

Si ca-

Si carere potest, potest etiam ex nihilo aliquid formare: sin eis opus habet, materia prima à Deo nó procedit, vt in arte fieri videmus, quæ ad operandú corpus naturale requirit, ac propterea corpus naturale ab arte nó dependet, itidéque in Natura, quæ materia opus habet: ac proinde materia à Natura minime dependet. Quod si dicas vllam rem esse quæ à Deo quoque non dependeat, non modo Aristotelis doctrinæ repugnaueris, sed etiá diuinæ maiestatis, qua res omnes complectitur, vim penitus eneruaris ac debilitaueris, vt doctissime disputat Eusebius, eorum errorem solidis rationibus demonstrans, qui existimant materiam à Deo non esse productam. Quin ipse quoque Aristoteles Deo creationé concedit, quando libro 12 τῶν μετὰ τ. φυσ. docet alium posse esse hominis producendi modum quam qui per semen fit. quamuis enim semen prius sit eo homine qui è semine illo nascitur; tamen si rem ipsam simpliciter consideremus, hominem semine priorem esse, vt & actus potentia, & perfectum imperfecto. Sed ipsius verba adscribam, quæ sic habent: *Semen ex alijs prioribus perfectis est. neque semen primum est, sed quod perfectum est. veluti hominem dicere quispiam posset semine priorem esse, non illum quidem qui ex eo generatur sed alium ex quo ipsum semen est.* Vnde quis recte collegerit, ad hominis tamquam hominis generationem semine opus non esse, quum homo semine simpliciter prior sit. est igitur alius hominis producendi modus, is scilicet qui per viam creationis operatur. Insuper, si verum est quod pro indubitato ponit Aristote-

Arist. quomodo creatione Deo concedat.

Metap. 12. tex. 40.

Infinitum actu in creatis nihil.

ſtoteles, Infinitum concedi non poſſe, nec actu in rerum natura inueniri: illud quod fatendum erit, Mundum in tempore liberrima Dei voluntate conditum eſſe: alioqui ſi ab æterno fuit, negari non poterit quin innumerabilibus illis & infinitis ſæculis quæ noſtrum hoc præceſſerũt, infinitus hominũ numerus fuerit, quod quidẽ (Infinitum dico) Ariſtoteles tam multis rationibus refellit. Quocirca in omni perfectorum animalium genere, quæ nõ niſi per ſeminis propagationem naſcuntur, neceſſe eſt tandem ad vnum primum perueniri quod factum ſit per modum creationis, non generatum; niſi ipſa quoque Ariſtotelicæ philoſophiæ decreta euertere velimus. Sed quid multis opus eſt verbis? Annon ipſe Ariſtoteles libro 1. Metaphyſicorum affirmat Deum omnium rerum cauſſam eſſe? quo nihil verius dici ab eo potuit. Si enim extra Deum quidquam eſſet, equidem cauſſam illud nullam, ſed à ſe ipſo eſſe ſuum habebit: quod fieri non poteſt, quum nihil vſpiam ſit quod non à Deo dependeat. Nunc iacto hoc tamquam veritatis fundamento, amplius dico, multas res eſſe quæ materiæ ac motus beneficio eſſe ſuum naturaliter à Deo accipere non potuerint, vt materiam primam, vt cœlos, vt intelligentias. verum eſt igitur per modum creationis à Deo accepiſſe. Nec Philoſophum audio dicentem, materiam primam, ſphæras cœleſtes & intelligentias eſſe ſuum ab æterno à Deo habere: quandoquidem nec hoc creationem tollit, cuius vi ex nihilo aliquid producitur: tamq́ue illud creari ſiue è nihilo gigni dicitur, quod ab æterno factum eſt

Deus rerũ omnium cauſſa.

Quæ per modũ materiæ & motus eſſe ſuum non habeant.

etiam quod à nouo fit. Quid, quod Aristoteles ipse affirmat, omnes formas naturales, hominis excepta, subiecto destitutas intermori quoque? quod vero euanescit atque in nihilum abit, è nihilo quoque compositum esse oportet. Proin corruptio nihil aliud est quam formæ quæ in nihil abit destructio, nec generatio aliud est quam formarum è nihilo productio: quod ita intelligendum est, formas eas non aliunde quam à caussa efficiente deriuari. Atque illud ipsum quod *Ex nihilo nihil fieri* vulgò dicitur, Aristoteles ad materiam, non ad caussam effectricem restringendum alibi monet: similiterque Empedoclem reprehendit quod amicitiam, quam caussam mundi efficientem statuerat cum materia confuderit. Alexander Aphrodisiensis ex nihilo formas produci apertè dicit: quæ si non è nihilo generarentur, *Oporteret*, inquit, *ex aliquo gigni: & sic generationis esse generationem.* Quare quum forma vnum sit principiorum naturalium, quod non aliunde quam à seipso dependet (nam si ab alio subsistentiam haberet, principium non esset, ex ipsius Aristotelis doctrina) atque in nihilum resoluatur: idem de materia dicendum erit, in nihilum scilicet abire, quum & ipsa tam Naturæ sit principium quam forma, ac per se ipsam non minus quam illa subsistat. Idem ab arborum, saxorum, metallorum, atque ipsius terræ probatur materia, quæ ignis vi in cinerem conuertitur. Est vero cinis materiæ primæ non multum absimilis, quum omnium rerum formis, omniumque formarum semine siue principio pariter priuatus sit: ac quia corpus est tam quantitate

Arist. li. 5. & 7. Met.

Arist. 1. Phys.

Cinis quid.

quam qualitate, colore scilicet, siccitate ac salsedine præditũ, fateri sane oportet corpus esse naturale, materia atque accidentibus constans. Et quoniam cinis idem in minuta corpuscula resoluitur, quæ philosophi atomos vocant; atomi vero indiuidui sint, & quasi puncta, quæ à nihili natura quam proximè absunt : dicendum sane fuerit materiam in nihilum conuerti. Etsi vero Aristoteles vult corpus omne naturale, non quidem quatenus naturale, sed quatenus quantum est, in infinitum diuidi posse, ne in nihilum aliquid resolui fateri cogatur : tamen in eo & se & alios decipit Qui enim corpus ponit finita quantitate præditum ac duobus extremis circumscriptum ; non est dubium quin continue aliquid auferendo atque diuidendo tandem ad finem atque nihilum perueniat, quippe in eo quod finitum est ac terminatum : alioqui illud absurdum admittere cogetur, res finita magnitudine siue quantitate circumscriptas in infinitum excrescere, & corpus actu finitum corpora actu infinita comprehendere ac continere. Nec ad rem quidquam facit, immò ridicula admodum est quam Aristoteles adfert distinctio, corpus naturale in infinitum diuidi posse non quatenus sit naturale, sed quatenus quantum sit : quod perinde est ac si dicat, animal in infinitum videre non in quantum aures, sed in quantum oculos habeat; qui quum finiti sint, animal quoque in infinitum cernere non poterit. eadem ratione quum magnitudo siue quantitas quæuis finita sit; numquam erit vt, quantumuis sæpe multiplicata, infinita euadat. Etsi vero Mathematici, qui animo

Corpus naturale an in infinitũ diuidi possit.

quan-

quantitatem à materia abstrahunt ac separant, omne corpus quantitate præditum in alia corpora itidem quanta in infinitum necessario diuidi aiunt; alioqui si corpus mathematicum non inidquod quantum est diuidatur, dicendum in superficies diuidi, has in lineas, lineas in puncta; punctum vero, vt ab Euclide definitur, *id sit cuius pars nulla est*: itaque illud absurdi consequuturum vt corpus suis constans partibus, è punctis quæ nullas habent partes, atque ita magnitudo è rebus omni magnitudine destitutis, & quantitas è re quantitatis experte conflata sit: semper tamen eos sapienter facere existimaui, qui è duobus inconuenientibus minus eligendum putant. Quare sicut minor est error dicere corpus naturale finitæ magnitudinis siue quantitatis, actu ipso in multa milia partium indiuiduarum secari posse, & non plures: ita non tam grauiter errare censendus erit qui idem de corpore mathematico statuet, corpus scilicet in superficies diuidi, superficies in lineas, lineas in pũcta, & sic tandẽ in nihil. Quin etiam vix video quomodo Academici erroris reprehensionem effugere queant, qui corpus naturale à mathematio aliud ac diuersum esse statuerunt, ita vt tam hoc quam illud per se subsistat. Si enim corpus mathematicum propriam suam habet substantiam siue hypostasin, illam habebit vel in corpore sensibili, vel extra corpus sensibile. Si in corpore sensibili; corporum sequetur & dimensionum penetratio, nec vlla erit differentia. quod si extra corpus physicum exsistit, suamque ac propriam habet subsistentiam, necesse erit extra Mundum hunc

Punctum quid.

Corpus mathematicũ an & quale.

hunc locum aliquem dari in quo corpora sint mathematica à corporibus physicis secreta, quia in hoc Mundo vacuum non reperiatur, sed omnia physicis corporibus sint repleta. Vnde facilè intelligi potest, nullo in loco corpus aliquod exstare mathematicum, à physico corpore nisi imaginatione quidem separatum. Iam alterum illud Aristotelis quale sit videamus, Deum eiusque operationes Naturæ necessitate illigantis: quo nihil fieri potuit à tanto philosopho absurdius, nec quidquam magis temere dicam an impiè contra diuinam maiestatem decerni. Primum enim illud certum est voluntatem vltimum suum finem necessariò ac per se appetere, ceteras vero res non nisi quatenus ad vltimum illum finem viam sternunt ac perducunt: quarum rerum ordo si eam habet necessitatem vt sine eo voluntas finem illum adipisci nequeat, equidem necessario illas quoque appetet; sin hæc ab eis abest necessitas, caussa nulla est cur necessario ad illas voluntatem ferri dicamus. Atqui obiectum & finis diuinæ voluntatis aliud nō est quam Dei bonitas & essentia, in qua ipse in omni æternitate æuum beatum agit, atque agere etiam poterat sine vllo rerum creatarum adminiculo, quæ diuinæ bonitatis ornamentis, conseruationi atque augmentationi nec adiungere nec detrahere quidquam possunt. Quare quod Deum ad rerum creationem incitauit, non necessitas fuit, sed liberrima voluntas. Hoc inde confirmatur, quod negari non potest Deum caussam esse efficientem omnium rerum. Quod igitur in rebus creatis boni est, multo perfectius idem

Deus naturæ necessitate non obligatur.

Finis diuinæ voluntatis quis.

Deus rerū omniū caussa effectrix

mul-

multoque excellentius in Deo reperietur: quandoquidem, vt est apud Aristotelem, Propter quod vnumquodque tale est, illud magis est tale. Quare Deus perfecta bonitate gaudere ac frui volens, seipso fruetur, non vero rebus externis & imperfectis, quum in ipso omnia longè sint perfectissima, tamquam in eo à quo omnia dona, omnes thesauri, omnes perfectiones denique quas humanum ingenium imaginari sibi potest, deriuantur. *Iacob. 1.* Nec vlla argumentum hoc eget probatione, quum vel manibus palpari queat hominis ipsius voluntatem necessario ad beatitudinem ferri (Beatitudinis vero nomine comprehenditur omne id quod aliquo quocumque bonarum aut expetendarum rerum genere continetur, exclusa omni malorum contagione) *Beatitudo quid.* nec potest hanc voluntas non velle, quum bonum ipsius sit obiectum, vti est: ceteras vero res eadem voluntas non necessario appetit, vtpote in quibus vel species aliqua mali, vel certe non omne bonum reperiatur. Eodem modo Dei voluntas quum in suaipsius essentia omne Bonum, immo bonorum omnium superabundantiam quandam infinitam habeat inclusam: credendū sanè est non posse hanc non ipsum velle, non vero creaturas, in quibus nulla perfecta bonitas sed delibatio tantum & vmbra quædam eius apparet. Ad illud vero quod iam dicturus sum quid responderi possit non video. Numquid manifestū est ex omnibus perfectionibus quibus natura hominum ornata est arbitrij libertatem nō esse postremam? Quod si in Deo omnes quæ vspiam in creaturis sunt perfectiones multo excellentiores esse

res esse credimus: cur non fateamur quoque voluntatis hanc libertatem in Deo creante versus res creatas, quam in homine creato versus creaturas, multo magis reperiri? Quid magis impium, magis etiam furiosum, quam homini liberam tribuere voluntatem, Deo adimere velle? Subtilissimus Scotus demonstrare volens Deum in operando nulla Naturæ necessitate obligari, sed pura voluntate omnia gubernare, hoc inquit nisi teneatur, Philosophiam omnem euersum ac sublatum iri. Si enim verum est, in quo omnes Stoicorum, Peripateticorum & Theologorum scholæ consentiunt, Deum ENS esse simplicissimum & per se necessarium: illud quoque fatendum erit, etiamsi omnes creaturæ, omnia elementa, omnes cœli, omnes intelligentiæ, quidquid denique præter Deum est, auferantur atque tollantur, Deum tamen nihilominus suum ipsius esse habiturum, nec quidquam inde amissurum: alioqui Deum non fore ENS simplex atque omnino necessariū, si sublatis elementis, cœlis, alijsque rebus nō esse possit. Quod si Deus creaturas necessario vult, non poterit non eas velle: & quia in Deo Esse atque Velle idem sunt, auferendo à creaturis voluntatem, à Deo quoque τὸ εἶναι siue exsistentia auferetur: vnde sequeretur Deum non esse ENS simpliciter, & in omnibus ac perfecte necessarium. Præterea, si Deus ex libera voluntate non potest agere; non poterit etiam ex nihilo aliquid creare. Quod enim è nihilo creari potest, indefinitum est & indeterminatum, vt etiam ipsum nihilum nulla omnino meta aut termino est definitum:

Scotus in 1. Sentent. dist. 8. q. 5.

nitum

nitum: vnde illud sequetur, si Deus voluntatis agat necessitate, indefinite semper atque indeterminate acturum: quod non dicam falsum est, verum etiam impossibile. Si insuper Deus infinita virtute ac potestate est præditus; quæ agit, agit nulla Naturæ necessitate obstrictus. Quæ consequentia sic probatur. Si Deus ex Naturæ necessitate agens tantum agit quantum potest, necesse erit dicere, Deum qui infinitam habet virtutem dum necessariò agit, infinite simul agere, atque ita infinitos mundos, infinitos cœlos, infinita maria, infinita animalia, infinitos homines, aliaque infinita condidisse. Quum enim agens infinitum sit, proculdubio multo plura efficere poterat quam hactenus effecit, multoque plura efficere potest, quam in dies singulos efficit. Quod quum non fecerit nec faciat; vel cæco manifestum sit, Dei omnes actiones à liberrima voluntate promanare, & ab omni necessitate esse immunes. Vnde horum alterum necessario concedendum est, aut Dei omnes actiones atque opera à libera profluere voluntate, aut Deum non esse infinitæ virtutis atque omnipotentiæ: quorum hoc sine exsecrabili impietate atque sacrilegio ne cogitari quidem possit. Et profectò pro insano habendus est qui infinitam Dei virtutem atque omnipotentiam negare ausit, quæ si non aliunde inde certe elucet quod & ex nihilo creare aliquid potest, vt infra dicemus; quam ad rem infinita sane virtus est necessaria; & res omnes à se creatas conseruat & tuetur: ad quod certe non minor quam ad ipsam creationem requiritur potestas. Illud vero ad quod

Agens naturale agit quantum potest.

quod nullo modo responderi potest, quodque omnem planè tollit dubitationem, hoc est, quod tale aliquid quod Altissimi virtuti limites aut terminos ponat, esse omnino nihil, immò ne cogitatione quidem fingi possit; quum Deus actus sit primus, & à nullo dependens. Idque philosophica ratione sic demonstratur. Quidquid finitur, aut intrinsecus finitur respectu principiorum essentialium, materiæ scilicet & formæ, vt videre est in substantijs compositis quæ subiecti alteratione soluuntur; vel intrinsecus, respectu agentis, quod in substātijs simplicibus, vt in intelligentijs, locum habet. Atqui Deus omnipotens neutro horum modorum finiri potest, quum simplicissimus sit, & primum agens in omnibus rebus. Quare infinita eius est virtus atque potentia.

Dei virtuti nihil limitare potest.

Postquam ergo abunde probauimus, Deum ex nihilo creare aliquid posse, nec eius actiones vlli necessitati subiectas esse, sed è liberrimæ voluntatis fonte promanare: iam hoc addamus, Fieri non posse vt res vlla æterna sit quæ caussam sui primam habeat voluntariam. Quum igitur mundus caussam primam habeat voluntariam, Deum videlicet: æternus profectò esse non potest: siquidem τὸ εἶναι ipsius siue exsistentia ab alterius arbitrio & voluntate dependet: quidquid vero ab alio voluntarie dependet, deseri aliquando potest, quo sane casu deficiat ac pereat necesse est: quandoquidem nulla res à se ipsa conseruari, vt nec creari, potest. Hinc est quod Auicenna & Alexander Aphrodisiensis affirmant, Mundum non modo à nouo creatum esse,

esse, sed etiam, si æternus sit, primam caussam nullam fore. Auicennæ verba hæc sunt: *Creatura nihil est & ex nihilo. secundum esse quidem à prima caussa est. prima autem caussa nulla esse potest, si mundus sit æternus.* Quinimmò in rebus æternis nec prima nec secunda nec vltima caussa dari potest; alioqui æternæ non erunt. Mundus verò primam habet caussam, ergo non est æternus. Minor propositio Aristotelis est, multis locis ab eo vsurpata, quibus primam esse caussam affirmat. *A prima caussa*, inquit alibi, *dependet cœlum & tota natura.* Nunc porrò Aristotelis argumenta, quibus Mundi æternitatem probare voluit, expendamus, & quam facile solui possint ostendamus.

Arist. li. 2. Metaphys.

Argumenta Aristotelis & Platonis ad Mundi æternitatem adstruendam allata rationibus è philosophia petitis confutantur, & vtriusque erroris fontes aperiuntur.

CAPVT X.

PRIMI argumenti quo materiæ primæ æternitatem probare voluit, antiquum hoc axioma, Ex nihilo nihil gigni, Aristoteles fundamentum posuit; vnde ita argumentatur. Si materia prima facta esset, omnino ex alia quapiam re facta esset, quum Ex nihilo nihil

fieri poſſit: quæ tamen ratio falſiſſima eſt, ſiquidem Deus quæcumque vult etiam ex nihilo facere poſſit. Alter eiuſdem error quem in ſecundo committit argumento, ex eodem fonte promanat. Quia enim materiam æternam eſſe præſuppoſuerat, fateri etiam neceſſe habebat formā quoq; per generationē & corruptionē eſſe æternā: quandoquidē materia eſſe nō poſſit, niſi ſub aliqua forma. At negata materiæ æternitate, quam creatā eſſe à Deo dicimus, etiā hæc quam Ariſtoteles adfert de æterna generatione & corruptiōe ratio concidit. Non minus ab eo in eodē genere peccatur, quando materiā æternā facit: vetere enim philoſophorū opinione innititur, nullā fieri poſſe productionem quæ non ſit vel motus, vel motus ſocia & comes: quod tam facile negatur quam aſſeritur. Prima enim materia, primum mobile, omniſque ſtellati orbes & circuli cœleſtes à nouo producti ſunt, non motu aliquo phyſico ſiue naturali, & è præparato ſubiecto, ſed creatione ex nihilo. Qua ratione illud itidem argumentum refellitur quo Cœlum æternum eſſe probare conatur, quia ſit incorruptibile. pro fundamento enim hoc ponit, nihil poſſe generari niſi è ſubiecto & contrario: quod itidem falſiſſimum eſt, quum Deus quidquid vult ex nihilo creare poſſit; qua quidem in creatione nec ſubiectum, nec motus phyſicus, nec tempus, nec contrariorum compoſitio concurrunt, ſed ſolum Dei verbum ad quæuis producenda ſufficiens eſt, qui, vt ſcriptura loquitur, *dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt*. Atque hæc Dei actio non tempore, aut temporis inſtanti ſiue

Deus ex nihilo ali quafacere poteſt.

Motus non eſt æternus

τῶ Νῦν mensuratur, quum mundus vna cum tempore productus sit & creatus: nec ante id tempus tempus fuit, sed sola æternitas. Simili modo illud argumentum diluitur quo temporis æternitatem voluit demonstrare, dum ait, pręsens, quod est τὸ Νῦν siue Nunc, finem esse pręteriti, & initium futuri: quandoquidem motus æternitatem negando, simul illud negatur, τὸ Nunc intermedium esse siue vinculum inter præteritum tempus & futurum: nõ aliter quam dicere lineam quampiã finitã esse cuius finis non apparet, idẽ est ac si dicas, omne punctũ quod in illa sit linea esse principiũ & finẽ illius lineę. Quo circa argumẽti huius cõclusio inualida est, vtpote in qua illud quod in quęstione versatur, vtrum scilicet tẽporis aliquod fuerit principiũ an non, assumitur. Quod si tẽporis aliquod fuit initiũ, hoc certe intermedium inter pręteritũ & futurũ esse non potuit, sed principiũ tantum est futuri. Quod vero philosophus ait, aut asserendam esse Mundi æternitatem, aut eius architectum imbecillitatis atque imperfectionis esse damnandum, tum demum locum haberet, si Deus Optimus Maximus Naturæ necessitate obligaretur: quod supra à nobis est confutatum, atque ostentum omnia Deum agere atque operari ex arbitrio liberrimæ voluntatis. Quare Dei actiones nequaquam cum rebus naturalibus comparari debent. hæ enim iugo Necessitatis subiacent; illæ vero supra omnem sunt Necessitatem ac Naturæ legem, vtpote eius qui ipsius Naturæ parens est & conditor. Etsi vero cur tunc primum & non ante Deus Mundum condiderit certa reddi ratio nõ

Tempus an & quando cœperit.

Dei & naturæ actiones differũt

 potest;

potest; non tamen recte inde quis inferat Mundũ esse æternum: siquidem etiam aliarũ rerum multarum caussæ in occulto latẽt, quas tamẽ propterea non negamus, nec si quis velit, negare possit. Nec bene argumentatur Aristoteles, quando ex Dei natura immutabili Mundi æternitatem voluit deducere. Ait enim, de nouo Mundum condere mutationem denotare ac varietatem in eius qui condit essentia. Deus enim qui per intellectum agit, effecta producit non ex sua essentia (alioqui enim res omnes diuinam habituræ sint essentiam; nec possit ipse immediatè caussa esse & earum rerum quæ corpus habent & quæ carent corpore) sed secundum leges quas diuini intellectus sui norma præscripsit, & immutabili voluntate ab æterno stabiliuit. Quocirca etiamsi magni huius Theatri effector æternus sit, non tamen opus quoque illius propterea æternum est: quum Deus ab æuo non æternum mundum facere, sed nouũ ac primùm quasi nascentẽ condere determinârit. Ratio vero à motu circulari sumta, qua Aristoteles Mundum sempiternum esse persuadere nobis conatur, nõ dicam vana, sed risu profectò digna est. Quis enim nescit, motum circularem ratione mobilis quod in gyrum agitur consideratum, certam principij & finis in motu distinctionem non habere? Etenim quum corpus aliquod sphærica figura mouetur, totum vno tractu simul ac semel mouetur, ac rursus consistit, ita vt eius motus nec principium aliquod certum nec finis dari possit. Idem licet de annulo, de rota molari, deque omnibus ijs rebus dicere quæ in gyrum circumaguntur.

Deus Mundũ cõdendo an mutetur.

Motus circularis an Mũdi æternitatẽ demonstret.

Verum

Verum in motu principium & finis considerari debent non ratione mobilis, sed motoris, Dei scilicet altissimi; qui in æternitatis suæ arcanis illud determinauit ac voluit, vt cœlorum cursus semel initium sumeret. hic vero circularis motus qui vniuersum hoc circumit, aut principium habuit cum cœlo ipso, aut à superna Intelligentia sumsit, quæ quidem quam primum cœlestis illi orbes à Deo conditi sunt, in eis circumuoluendis potentiam suam exercere cœpit; ita tamen vt ad vnumquemque orbium sua apposita sit & adiuncta Intelligentia, quæ illam moderetur & gubernet. Etiamsi ergo motus circularis ratione orbis qui mouetur tertium aliquod principium non habeat, vnde initium sumat: habet nihilominus originem quoad spiritum mouentem, qui non semper orbem illum circumegit, sed à certo quodam principio circumagere illum cœpit. Iam quod Aristoteles communem hominum consensum ad probandã Mundi æternitatem allegat, cœlum æterni illius Motoris domicilium esse statuentium, parui est momenti, actum demum valeret, si ter maximus ille Deus cœlo opus habuisset vel ad sui conseruationem, vel ad habitationem: sed quum idem ENS sit simplicissimum, & perfectè atque omnino necessarium, nec domicilio eget ad vsum, nec vlla pulchritudine ad ornatum, sed in sola suaipsius essentia ab æterno omni bono ac perfectione fruitur ac gaudet. Non maius illud argumentum pondus habet quod a cœli natura, omnis mutationis atque alterationis experte, sumit Aristoteles. Hinc enim illud tantum efficitur, cœlum

Deus an cœlo opus habeat.

Cœlũ alterationis expers nõ probat Mundi æternitatẽ.

motu physico ingenerabile esse atque incorruptibile: non tamen inde recte quis concluserit à Deo per creationem non esse productum. Quod vero Deus idem opifex ac creator omnium rerũ, & actus purus sine omni potentia dicitur, duobus modis intelligendum est; vno, respectu creatoris, altero, respectu rerum creatarum. Nam quoad creaturas, quis neget actum illum reipsa sine vlla potentiæ admistione agnosci? At in Deo actus hic potentiæ expers considerari non potest nec debet, nisi secundum determinatam ipsius voluntatem. Quapropter facere aliquid quod ante non fuerit nullam varietatem aut mutationem in creatore, sed tantum in creaturis importat: atque inde dicitur Deus à nouo creare respectu scilicet rei quæ à nouo creatur, non autem creatoris in quo nulla omnino nouitas considerari potest. Sed & parum Aristotelis opinionem iuuat Intelligentiarum natura, quarum perfectionem in dispositione quadam orbes suos mouendi consistere dicit, quam si non semper exercitarint, dicendum imperfectas eas fuisse. hoc enim ita verum futurum erat, si talis Intelligentiarum dispositio Deo ad perfectionem & finem beatitudinis suæ consequendum necessaria fuisset. Deum vero qui per se solus atque absolute beatus atque seipso contentus est, finem aut vllam perfectam beatitudinis dispositionem in motu aliquo naturali qui ad creaturas, quarum ipse auctor est, respectum habeat, ponere voluisse, vel cogitare impium fit atque abominabile. Etiamsi ergo nullæ fuerunt Intelligentiæ, nulli cœli, nulla terra, immo ne vna qui-

Deus quomodo dicatur Actus sine potentia.

Deus sine creaturis idẽ semper.

quidem omnium creaturarum; idem tamen Deus fuerat, pari bonitate, pari beatitudine, pari perfectione qua iam est, sine vllo omnino detrimento. Quare ineptum est quod idem noster philosophus ait, melius esse Mundum semper fuisse quam principium aliquando habuisse: immò contrarium plane verum est, melius scilicet esse vt mundus in principio temporis à nouo conditus sit: non quod supremus ille architectus non æqualem semper & ad tanti operis effectionem sufficientem habuerit potestatem; sed quod creaturæ repugnat æternam esse vti creator eius est, & concessa Mundi æternitate, multa absurda consequuntur, vt supra demonstrauimus: quod denique ad manifestandam Dei gloriam Mundus conditus est, cuius vt & infinitæ eius potentiæ, voluntatis liberrimæ, & liberæ atque absolutæ à rebus creatis independentiæ multo plura ac præclariora signa in noua huius Mundi fabricatione quam omni illa Dei æternitate cernuntur. Atquæ hæc ad falsas illas duorum celeberrimorum philosopho-rum rationes confutandas dicta sunto.

Melius mũdũ nouum exstitisse quam æternum.

Alijs rationibus atque argumentis demonstratur Mundi hoc Theatrum ab omnipotente illo architecto à nouo ante annos 5565. esse constructum.

CAPVT XI.



ENE regius inquit Propheta Dauid, Mundum omnibus linguis omnibus gentibus ac nationibus ortus sui initium atque originem palam facere. Ac primum hoc in ipsis elementis conspicitur. Terra enim in Aquam transit, Aer in Ignem, ac rursum Aer in Aquam: & sic deinceps. Hæc vero permutatio sine tempore fieri non potest; tempus vero mensura est motus: iam vero vbi motus est & mensura, æternitas locum non habet. Mare placidum modo stat, modo fluctibus intumescit: modo Austrum modo Aquilonem sentit. Leuissimus aer interdum placide per apertos cœli campos discurrit; mox vero vehementi cum impetu à volante AEoli turba impulsus ruit atque agitur. Luna modo cornua præferens, modo globosum corpus ostendens, varietate sua mare modo auget modo minuit, ac seminibus terræq; frugibus vires infundit. Sol alter ille & maior Mundi oculus, luminisque dispensator, orbis sui maximi ambitum vicenis quaternis horis conficit, & modo recedens, tum autem vbi tropicum Capricorni attigit, & tamquam ad desideratam metam peruo-

Vbi motus ibi nulla æternitas.

Luna.

Sol.

peruenit, ad nos rursus accedēs, binas in singulis annis, ab extremo contrarias facit reuersiones, quarū interuallo tum quasi tristitia quędā cōtrahit terram, tum vicissim lætificat, vt cum cœlo hilarata videatur, fruges omnes ac terra nascētia tam viua quam inanima, calore suo fouens & ad maturitatem perducens: immò virtute sua intima terræ, etiam montium altissimorum viscera penetrans, varia metalla, aurum in primis, miserum humanæ auaritiæ fomitem, coquit ac perficit: tum tempora atque horas constantissimo suo cursu distinguit. Quid de ceteris dicam stellis? quæ & ipsæ circa terram feruntur, & cum tempore cursus suos absoluunt; cum tempore etiam in corpora hæc inferiora diuersas influentias ac vires infundunt: adeo vt ea omnia quæ in cœlo admiramur, tempus producat, tamquam instrumentum. Vbicumque igitur instrumētum est, ibi necesse quoque est esse dominum qui eo vtatur, spiritum qui inuenerit, & artificem qui moderetur id & gubernet. Si præteritorum temporum monumēta euoluamus, comperiemus religionem & diuini Numinis cultum a Caino & Abele primū profluxisse, qui supremo illi Deo religiose sacra fecisse legūtur, & Enochū primum fuisse qui modum ac ritum Dei inuocādi tradiderit, nec vllam antiquioris religionis memoriam exstare: quod tamen omnino futurum erat, si Mundus non idem cum Adami creatione initium habuisset; quum eius studium hominibus à natura ita insitum sit vt ea plus quam ipsa ratione à ceteris animalibus differamus. Si etiam litterarum characteres & mutua epistolarum commercia, hominum societati tam commoda

Tempus omniū Naturæ operationum instrumentum.

Religionis initium.

moda atque fructuosa, à quo primum inuēta sint scire quis velit, facile ei satisfieri possit. Primam enim litterarum inuentionem antiquissimus scriptor Philo Abrahamo assignat, eisque Chaldæos, Assyrios & Phœnices vsos scribit. Harum vsum postea Moses Hebræis tradidit; nouas deinde, si diuo Hieronymo credimus, Esdras inuenit, qui omnes fere Testamenti Veteris libros descripsit. E Phœnicia in Græciā litteras intulit Linus Chalcidensis; sed Cadmus Agenoris filius nouas postea alioque charactere signatas commentus est, sexdecim numero, quibus Troiano bello Palamedes quatuor adiecit, & totidem post hunc Simonides Melicus. Quid? nonne legimus, Mennona quendam ante litterarum inuētionem AEgyptijs per animalium effigies scribendi vsum, vt in obeliscis videre fuit, tradidisse? Ex quo illud apparet Mundum tum adhuc quasi nouum fuisse; hominesque postea demum rem tam necessariam lōgo vsu adinuenisse. Consuetudo hæc per animalium effigies scribendi apud AEgyptios eo vsque durauit quoad Mercurius litterarum eis vsum dedit, is scilicet qui quintus fuit, vt Lactantius scribit, cui in regno Vulcanus Nili filius successit. In Latium vero Nicostratam, quæ Carmenta postea agnominata fuit, Euandri Arcadis matrē, eas primum aduexisse constat. Certum quoque est in illis veluti nascentium litterarum primis incunabulis, antequam charta inuenta esset, homines in palmarum folijs, postea in læuibus arborum, vt fraxini, platani, vlmi ac similium, corticibus siue libris scribere consueuisse, ijs scilicet qui inter

Litteræ à quo primū inuenta.

Hieroglyphica.

Scribendi modus.

lignum

lignum & exteriorem corticem, eximia subtilitate, sunt intermedij. Postea tenuissimis è plumbo folijs ac linteis etiam certo liquore, qualis pictorum est sandaracha, præparatis, vti cœperunt: nec pennis, sed arundinibus aut calamis (vnde id hodieque pennis nomen manet) scribere solebant. Papyri quoque mentionem Plinius facit, quæ fiebat ex frutice eius nominis, iuncis, quoad ramos, non multum absimili, qui in paludibus AEgypti & ad Nili, atque etiam Euphratis in Syria ripam nascitur. Papyrum vero hanc post Alexandri Magni victoriam, condita in AEgypto Alexandria ante chartarum vsum ab eo rege inuentam esse, M. Varro auctor est. Antiqui etiam in quadratis tabulis cera læuigata obductis scribere consueuerunt; postea membranæ, quæ pelles sunt siue corium pecorum, & à membrorum tectu nomen habent, in vsu esse cœperunt, quas Varro Pergami primum inuentas esse perhibet, vnde vulgo Pergamenæ dicuntur. atque harum vsus etiamnum est, ac credo, semper erit, quod multo durabilior sit quam charta illa qua hodie plurimum vtimur è linteis contusis facta: quamquam hæc, præsertim quæ è candidis fit ac subtilibus linteis, multo commodior sit atque vsitatior, multo etiam viliori precio, vtpote quæ passim fit, comparari possit. Victum etiam quo vno omnium hominum vita sustentatur, itidem à mortalibus inuentum, & non multa ante sæcula ad eam quam nunc videmus à pristina illa asperitate lautitiam redactum legimus. Arcades enim ante glandibus, Tirinthij & Argiui pyris, ficubus Athenienses, atque aliæ gentes

Plinius lib. 3. cap. 12.

Varro li. 7.

Cibus apud antiquos qualis.

gentes alijs fructibus victitasse perhibentur; donec Ceres & Triptolemus panis è frumentorum granis siue farina conficiendi modum commonstrârunt, panis inquam, quo non diuitum, non pauperum mensæ hodie carere possunt. Quod si Mundus ab æterno fuisset, atque hominum genus semper extitisset: quis credat cibū tam gratum tamque salubrem, atque adeo ipsius vitæ comitem, in sæculorum illa æternitate incognitum mansurum fuisse? Omnium quoque artium & scientiarū certa principia monstrari possunt: immo paucos ante annos multę res pulcherrimæ & ad vitam maximè vtiles inuentæ sunt. Eo quidem tempore quo Orpheus & Linus vixerunt, tanta hominum ruditas ac barbaries fuisse legitur, vt per syluas & solitudines vagarentur, nullis scientiarum, nullis virtutum præsidijs instructi: hos vero primos eloquentiæ vi cœtus hominum coegisse, ita vt tum demum casæ ac domus ædificari, vrbes condi, ac certis legibus gubernari cœperint: ex quo satis patet tenerum tum adhuc fuisse & nouum hoc mundi Theatrum. Idem è priscorum imperijs & opibus cōijcere licet, quæ primis illis temporibus in pecorum atque armentorum multitudine consistebant. Vnde illud est quod omnes historici Mundi septem ætates, vt Hæbræi voluerunt, vel sex ponunt, vt Eusebius & plerique scriptores antiqui tradunt: qui omnes affirmant fuisse aliquod Mundi principium, primosque eius inhabitatores fuisse Adamum & Euam. Prima ætas ab Adamo ad Noæ vsque tempora numeratur, & continet 1656. annos, secundum Philonis, Bedæ & Hie-

Artium et sciētiarum principia.

Mundi ætates.

Prima mūdi ætas.

& Hieronymi ſupputationem, & communem Sacræ ſcripturæ textum; ſecundum vero ſeptuaginta interpretes, Euſebium & alios hiſtoricos, bis mille ducentos ſeptuaginta duos; ſecundum Alphonſum Aragoniæ regem, bis mille octingentos octuaginta duos. Secundæ ætatis initium ab eo tempore ſumitur quo Noe ex Arca primum egreſſus eſt, ad Abrahami vſque natiuitatem, ac fuit, vt Euſebius & Iſidorus volunt, nongentorum quadraginta duorum annorum, Hebræi vero ducentos tantum nonaginta duos ponunt, idque Philo & Ioſephus volunt; ſed Auguſtinus mille ſeptuaginta duos ponit. Tertia ætas ab Abrahami natiuitate cœpit, & in Dauide, ſecundo Hebræorum rege, deſinit: eaque, vt omnes vno ore conſentiunt, nongenti quadraginta duo anni continentur. Quarta ætas à Dauidis temporibus ad captiuitatem Babylonicã numeratur, ac quadringentos octoginta quinque annos vt omnes vno ore conſentiunt, includit. Quinta ætas ab eo tempore quo Nabuchodonoſor Hieroſolymarum vrbem vi cepit, ac Iudæos Babylonem captiuos abduxit, vſque ad Domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti natiuitatem quingentis octoginta nouem annis comprehenditur. Sexta ætas eſt quæ feliciſſimum illum Chriſti aduentum eſt conſequuta, in qua nos hodie viuimus: quæ eadem vltima erit, rebusque omnibus ac Mundo huic finem adferet, vt ſuo loco videbimus. Atque ita à mundi principio vſque ad præſentem annum, qui eſt à nato Chriſto milleſimus ſexcenteſimus & ſextus, anni quinquies mille quingenti ſexaginta octo elapſi ſunt. Scripturæ et-

Secunda ætas.

Tertia ætas.

Quarta ætas.

Quinta ætas.

Sexta ætas.

turæ etiam ſacræ non diuiſas tantum inter Noë filios Mundi regiones, quæ ante diluuium deſertæ iacuerunt, teſtantur: immo omnium regnorum atque vrbium primordia antiquis literarum monumentis prodita ſunt. Et Hieroſolymas quidem, vt è præcipuis aliquot commemoremus, Canam condidit is qui Melchiſedech quoque appellatus, & ſacerdos fuit Altiſſimi: qui eo in loco templum primum extruxit. Vrbs hæc primum Solyma dicta, & à Cananæis inhabitata vſque ad Dauidis regnum, qui eiectis Cananæis & Iebuſæis, Hieroſolymæ poſtea ei nomen dedit. Initium vero habuit anno milleſimo nongenteſimo vndequinquageſimo poſt Mundum conditum anno, annis bis mille & duodecim ante Chriſtum natum. Roma caput Mundi à Remo ac Romulo & ſocijs eorũ paſtoribus, annis ſeptingentis quinquaginta tribus ante Chriſti aduentum condita fuit, vt ex Euſebio, Plutarcho, Plinio & Cornelio Tacito videre licet. Lutetia Pariſiorũ quæ Galliæ regum eſt metropolis, vt Carion Hiſtoricus affirmat, poſt Troiæ excidium à Paride eſt condita, qui vna cum AEnea & Francone Hectoris Troiani filio in Galliam, euerſa patria, veniſſe dicuntur. Neapolis, quæ Parthenope etiam dicta fuit, à rege Diomede annis ante Chriſtum natum mille centum & quadraginta fundata eſt. Eodem tempore Verona originem habuit, vt ſcribit Sicardus epiſcopus Cremonenſis. Prima Parmæ fundamenta Criſus Troianus, Pallantis comes, poſuit. Anconam vnde Marchiæ Anconitanæ nomen, Dolopes è Theſſalia oriundi exſtruxerunt, annis ante Chri-

Vrbium origines. *Hieroſolyma.* *Roma.* *Lutetia.* *Neapolis.* *Verona.* *Parma.* *Ancona.*

ie Christum natum mille septuaginta quinque, post Mundum vero conditum bis mille octingentis octoginta sex annis. Taruisium à Troianis ædificata est annis ab orbe condito bis mille octingentis & nonaginta. Perusium a Vibio Achęorum duce circa annnm bis millesimum nongentesimum initium sumsit. Pisa Græcis, Pisa Arcadiæ vrbe profectis, originem debet. Florentiam Sillæ milites nonaginta ante Christum natum annis condiderunt. Patauium originem suam ad Antenorem Troianum refert, circa annum à Mundo condito quater millesimum octuagesimum primum ædificari cœpta. Aquileia, quæ fere prima fuit & antiquissima Italiæ ciuitas, at in ruinis hodie iacet, Equilinum Troianum conditorem agnoscit, qui vixit circa annum ab orbe condito quater millesimum trecentesimum octauum. Troia, vel potius Ilium, omnium quæ vmquam fuerunt, Homeri præsertim carminibus, vrbium celebratissima, à Troe cuius pater fuit Erichthonius, auus Dardanus, primum instaurata fuit, quũ ageretur annus à prima Mundi creatione ter millesimus octuagesimus quadragesimus tertius. Thebæ à Busiride, vt scribit Diodorus, anno ter millesimo septingentesimo quadragesimo, id est, centum annis ante, conditæ fuerunt. Genuæ primum conditorem Paulus Perusinus historicus Genuinum Phaetontis comitem auctorem facit, eumque anno ter millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo vixisse scribit. Mitylenæ, Lesbi ciuitas, vt vult Eusebius, à Xantho Iropi filio circa annum ter millesimum sexcentesimum octuagesimum nonum origi-

Taruisium. *Perusium.* *Pisa.* *Florentia.* *Patauium.* *Aquileia.* *Troia.* *Thebæ.* *Genuæ.* *Mitylenæ.*

Rhodus. originem accepit. Rhodiorum ciuitatem, quæ toti Insulæ nomen dedit, Telchini & Cariaci condiderunt, vt est apud Pomponium, anno Mundi ter millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono. *Carthago.* Carthaginis fundamenta, quæ de vniuersi orbis imperio cum Roma diu certauit, (Tunetum hodie) prima iecit Dido, si Eusebio & Virgilio credimus, circa annum quater millesimum centesimum duodecimum. *Alba.* Albæ conditor Syluius fuit AEneæ filius, anno quatermillesimo centesimo septuagesimo sexto. *Syracusæ.* Syracusæ nobilissima Siciliæ ciuitas, ab Archio quodam sub Pachyni promontorio conditæ sunt. *Nicomedia* Nicomedia vrbs Asiæ à Nicomede eius prouinciæ rege circa annum quater millesimum quingentesimum decimum quintum nomen simul & originem accepit. *Constantinopolis.* Byzantium, quæ Constantinopolis hodie, Eusebius scribit à Pausania Lacedæmoniorum rege, annis ante Christi incarnationem sexcentis sexaginta tribus, originem sumsisse. *Ostia.* Ostiam maritimam Italiæ ciuitatem non procul à Tiberis in mare influentis ostio, Ancus Martius eodem anno ædificare cœpit. *Narbona. Tolosa.* Narbona & Tolosa Galliæ vrbes à Toloso Troiano alijsque Aeneæ comitibus initium sumsere, trecentis duodetriginta ante Virginis partum annis. Eodem anno *Moguntiacum.* Moguntiacum Moguntius ex eadem gente exsul instaurasse creditur. *Antiochia Laodicea.* Antiochiæ & Laodiceæ, quarum vna in Syria, altera in Phrygia sita est, pomœria Seleucus Antiochi filius descripsit. *Treueris.* Treuerim Galliæ Belgicæ quondam, hodie Germaniæ vrbem, Abrahæ temporibus æqualem nonnulli scribunt, ita vt mille nongentis qua-

dra-

draginta septem annis ante Christum natum con-dita feratur. Celeberrima Venetiarum vrbs, vt Riccobaldus Ferrariensis historicus narrat, ab Aquileiæ, Altini, Concordiæ, Brixiæ, Bergomi, Mediolani, Patauij, Vicetiæ & Veronæ ciuibus, cruentissimo bello durante latibula vitæ ac fortunis suis circa id litus quærentibus, condita est, anno reparatæ salutis quadringentesimo quinquagesimo sexto. Vicetia, Strozzij Ciconiæ qui Italica lingua opus hoc primum conscripsit, patria, conditores habet Gallos Senonas, vt & Verona, Brixia, aliæque eo in tractu ciuitates (sic enim Polycrates libro sexto scriptum reliquit) annis ante Christum natum mille centum & quadraginta. Bergomum Brenni milites annis ante Christum natum trecentis quinquaginta condiderunt, vt Iustinus, Polycrates & Paullus Perusinus scribunt. Mantuæ initium & nomen Manto dedit Tiresiæ vatis filia, post euersas ab Alexandro Thebas. Placentia nomen & originem à Placentulo quodam Troiano, si Bencio Alexandrino credimus, accepit, eo fere tempore quo Debora populo Israelitico ius dixit. Albam Pedemontij vrbem, vt idem Bencius auctor est, Troilus quidam Troianus construxit. Taurinum Galliæ cisalpinæ vrbem Phaeton solis filius Mosis temporibus exædificasse à Paullo Perusino scribitur. Vercellas Galliæ cisalpinæ oppidum, teste Sichardo, mulier quædam Troiana Venus nomine & Elicius eius filius, ante Troiæ excidium condiderunt. Lugdunum Galliæ vrbs à Plancio Ciceronis discipulo Octauiani Augusti tempore ædificari cœpta est, vt Eusebius scribit. Fer-

Venetiæ. *Vicetia.* *Verona.* *Brixia.* *Bergomū.* *Mantua.* *Placentia.* *Alba Pedemontij.* *Taurinum* *Vercellæ.* *Lugdunū.*

Ferraria. bit. Ferrariam Gothi muris circumdederunt, eo tempore quo magnæ illæ Venetiæ originem sumserunt; nomine à ferro, quod tributi nomine Rauennati ecclesiæ dependere solebat, indito. Alexandria Alexandrum Magnum conditorem agnoscit, ad æternam victoriæ memoriam ab eo rege exstructa, annis ante Christum natum, vt Iustinus vult, trecentis viginti. Paullo post hanc Antiochia Syriæ vrbs nobilissima condita est, Plinio auctore. Sed quid multis opus est exemplis? quæ infinita ferè adduci possint, si non hæc ipsa quoque fastidium lectori allatura metuendum esset. Verbo dicam, nullam esse in toto orbe terrarum vrbem, nullum oppidum, cuius non origo & prima fundatio perhiberi possit. Quo argumento quid efficacius, quam cœpisse aliquando Mundum, & paullatim tot populis insessum, totque vrbibus excultum fuisse? Iam si artium initia quærimus, nonne constat Grammaticam, omnium bonarum litterarum fontem, à Prometheo in Græcia inuentam, & à Crate Mallote misso ad senatum ab Attalo rege, inter secundum & tertium bellum Punicum, studium eius Romæ illatum? Rhetoricam Tisias, Corax Syracusanus, & Gorgias Leontinus primi tradidisse dicuntur. Logicæ inuentores Cleanthes, Chrysippus, Daphita, Euthydemus, & Dionysidorus fuerunt. Memoriæ artem Simonides Melicus primus certis characteribus consignauit. Geometriæ fundamenta Euclides iecit. Musicæ Sappho Lesbia, vel, vt alij volunt, Thersander aut Pithoclides auctores feruntur. Medicinam Serapio, chirurgiam Apis rex AEgypti, Nauem

Alexādria

Antiochia

Artiū initia atque inuētores.

Noa,

Noa, Lyram Mercurius, Arcas citharam, Piseus Tyrrhenus tubam inuenit. Vitium colendarum modum & vini vsum Bacchus hominibus tradidit. Astrologię repertor fuit Anaximander Milesius, picturæ Cleanthes. Leges primus tulit Rhadamanthus. Herbarum virtutem Chiron mortales edocuit. Horologium Thales excogitauit. Ciuitates muris Tharso primus cinxit. Turres Cyclopes primi excitârunt. Belligerandi artem Ninus; monetæ cudendæ, AEginetæ tradidisse, alij denique alia inuenisse dicuntur. Sed omnium veterum inuentorum artem duo superant à Germanis non ita multos ante annos reperta. Primum bombardæ siue tormenta bellica, quibus post hominum memoriam nihil terribilius ab humano ingenio excogitari potuit, vtpote non ad hominum tantum, verum etiam vrbium exitium factis. Alterum longè nobilius atque ad hominum vitam vtilius, immò diuinum planè inuentum Moguntia nobis dedit, artem scilicet typographicam à Ioanne Gutenbergo, equestris dignitatis viro ibidem repertam, ex qua magna librorum omnis generis copia ac disciplinarum omnium puritas ac perfectio ad nos manauit. Decimo sexto deinde anno, qui fuit salutis humanæ millesimus quadringentesimus quinquagesimus octauus, quidam Conradus nomine, homo itidem Germanus, Romam primo diuinam hanc artem in Italiam attulit: Volaterranus vero duorum fratrum mentionem facit, & libros qui primi typis illis excusi fuerint hos nominat, D. Augustini De ciuitate Dei, & Diuinas Lactantij Firmiani Institutiones. Quid? non-

Ars tormentaria.

Typographia inuentum.

nonne Hispani anno M. CCCC. XCVI. nouum orbem inuenerunt? contra Lucretij, Lactantij & Augustini opinionē qui Antipodas esse negarunt. Quibus omnibus argumentis Aristotelis de Mundi æternitate commentum vel potius somnium efficacissime refellitur. Neque enim vel mediocri iudicio atque ingenio præditus illud credere possit, homines tanta ingenij sollertia atque acrimonia tot sæculorum myriadibus, immò in illa, si Dijs placet, temporis æternitate non potuisse reperire ea quæ quater his mille, vel centum, immo decem retrò annis inuenit. Et sane quid aliud restat quam vt volandi, inuisibili modo ambulandi, vitæque in longissimum æuum producendæ ars excogitetur?

Quarum rerum inuentio restet.

Contra eos qui plures vno Mundos esse statuerunt; deque ea cælorum reuolutione quæ Annus magnus & vertens, & mundanus à veteribus philosophis dicta fuit.

CAPVT XII.



INGENS profecto est humani ingenij confidentia, adeo vt cœlestia etiam quæque supra omnem naturam sunt rimari ausit, atque scire expetat quæ Deus inter arcana sibi reseruauit. Quid mirum igitur, si tamquam alter Phaeton aut Icarus, cœlestis illius solis calore colliquefactis ac solutis pennis, in errorum mare

Curiositas in diuinis rebus vitanda.

mare præcipitetur: & quum æternæ illius lucis currum regere ac ſplendorem ferre nequeat, Dei in ſe, fines ſui muneris transgreſſus, concitet indignationem, ac fulmine ictus in perpetuæ damnationis tartarum deijciatur? Quæ enim hæc eſt amentia, hominem tanta corporis grauitate in imo hoc Mundi loco à Deo collocatum, omnibusque naturæ inſtrumentis ad volandum deſtitutum, è cera alas ſibi fingere, eoque aſcendere velle quo Deus ipſi aditum præcluſit? Quid hoc aliud ſit, niſi gigantum more, diuinæ voluntati bellum indicere? quo nihil fieri poteſt ab homine magis execrabile atque exitioſum.

Hominũ temeritas ingenij ſublimitatis index.

Hæc nihilominus humani ingenij temeritas eiuſdem nobilitatem atque alti[illegible] Dei munere conceſſam, arguit: quc[illegible] nale à libero arbitrio regitur, à De[illegible] ſenſum traditur, atque ita Sata[illegible] vitiorum fit mancipium; econ[illegible] um rectum teneat, ſeque totum v[illegible] bijciat, omnia bona, atque ipſius e[illegible] tæ atque gaudij fructum à Deo i[illegible] aſequitur. Sic veteres illi philoſoph[illegible] graue videbatur quidquam inexcuſſum [illegible] nquere, immo probroſum non poſſe rerum omnium rationes reddere, alium quemdam locum vltra magni huius Theatri confinia mentis cogitatione ſibi finxerunt, in quo plures ſint Mundi machinæ, non minus quam hæc cœlo ac terra conſtantes. Hæc opinio Anaximandri fuit & Anaximenis, antiquiſſimorum philoſophorum: quam poſtea multi alij quoque, vt Diogenes, Leucippus, Democritus & Epicurus, amplexi ſunt, ac

Mundi an plures.

nonne Hispani anno M. CCCC. XCVI. nouum orbem inuenerunt? contra Lucretij, Lactantij & Augustini opinioné qui Antipodas esse negarunt. Quibus omnibus argumentis Aristotelis de Mundi æternitate commentum vel potius somnium efficacissime refellitur. Neque enim vel mediocri iudicio ... ingenio præditus illud credere possi... tanta ingenij sollertia atque acrim... ...rum myriadibus, immò in illa, si ... poris æternitate non potuisse r... ...uater his mille, vel centum, im... ...ò annis inuenit. Et sane quid aliud ... ...olandi, inuisibili modo ambulan... longissimum æuum producendæ ars...

Quarum rerum inuentio restet.

Contra eos qui plures vno Mundos esse statuerunt; deque ea cælorum reuolutione quæ Annus magnus & vertens, & mundanus à veteribus philosophis dicta fuit.

CAPVT XII.



INGENS profecto est humani ingenij confidentia, adeo vt cœlestia etiam quæque supra omnem naturam sunt rimari ausit, atque scire expetat quæ Deus inter arcana sibi reseruauit. Quid mirum igitur, si tamquam alter Phaeton aut Icarus, cœlestis illius solis calore colliquefactis ac solutis pennis, in errorum mare

Curiositas in diuinis rebus vitanda.

mare præcipitetur: & quum æternæ illius lucis currum regere ac splendorem ferre nequeat, Dei in se, fines sui muneris transgressus, concitet indignationem, ac fulmine ictus in perpetuæ damnationis tartarum deijciatur? Quæ enim hæc est amentia, hominem tanta corporis grauitate in imo hoc Mundi loco à Deo collocatum, omnibusque naturæ instrumentis ad volandum destitutum, è cera alas sibi fingere, eoque ascendere velle quo Deus ipsi aditum præclusit? Quid hoc aliud sit, nisi gigantum more, diuinæ voluntati bellum indicere? quo nihil fieri potest ab homine magis execrabile atque exitiosum. Hæc nihilominus humani ingenij temeritas e iusdem nobilitatem atque altitudinem Dei munere concessam, arguit: quod quidem si male à libero arbitrio regitur, à Deo in reprobum sensum traditur, atque ita Satanæ omniumque vitiorum fit mancipium; econtra vero si clauum rectum teneat, seque totum voluntati Dei subijciat, omnia bona, atque ipsius etiam æternę vitæ atque gaudij fructum à Deo immortali consequitur. Sic veteres illi philosophi, quibus graue videbatur quidquam inexcussum relinquere, immo probrosum non posse rerum omnium rationes reddere, alium quemdam locum vltra magni huius Theatri confinia mentis cogitatione sibi finxerunt, in quo plures sint Mundi machinæ, non minus quam hæc cœlo ac terra constantes. Hæc opinio Anaximandri fuit & Anaximenis, antiquissimorum philosophorum: quam postea multi alij quoque, vt Diogenes, Leucippus, Democritus & Epicurus, amplexi sunt, ac

Hominũ temeritas ingenij sublimitatis index.

Mundi an plures.

multo ineptioribus delirijs cumulârunt: Mundos ſcilicet numero infinitos eſſe, maiores alios, alios minores; horum rurſus alios ſole & luna illuminari, alios cœleſte corpus vel ſidus nullum, alios plura quam in hoc noſtro ſint, habere: horum vero omnium magnam eſſe inter ſe diſcrepantiam. Alios enim creſcere, alios contrahi ac minui, alios etiam omnibus plantis, animalibus atque habitatoribus eſſe deſtitutos. Sed omniũ maxime ridiculum hoc eſt, quod hos mutua ruina & attritu, dum alter in alterum cadit, non aliter quam vitrea vaſa, corrumpi ijdem affirmârunt. Metrodorus eò amentiæ progreſſus eſt vt dicere auſus ſit, non minus ineptum eſſe cogitare in infinito vacuo vnum ſolum eſſe mundum, quam credere in agro aliquo ſpacioſo ac fertili vnam tantum frumenti ſpicam reperiri. Eorundem commentum fuit Mundos hos ex atomis naſci. Quum enim atomos, vt ſupra diximus, pro rerum omnium principijs poſuiſſent, qui per vacuum perpetuo moueantur: fortuito horum concurſu non hunc vnum ſolum in quo nos habitamus, ſed infinitos atque innumerabiles alios effici dixerunt, quorum nulli inter ſe ſint æquales ac ſimiles, nec tamen quidquam eis deſit. Sed ne ſine ratione inſaniuiſſe viderentur, ſuam opinionem tali argumẽto probârunt. Quia, inquiunt, infiniti numero ſunt atomi, ſimiliterque vacuum infinitum eſt, ac cõcurſus ille atomorum, è quo generatio exſiſtit, accidentalis eſt ſiue fortuitus, non vero ab vlla cauſſa efficiente proficiſcitur: neceſſe erit, vt quemadmodum in hoc vacuo in quo Mundus eſt, is

est, is ipse Mundus natus est, ita in alia vacui parte ex alijs atomis coniunctis alius Mundus, ac rursus in alia alius efficiatur. Sic igitur quum atomi infiniti, & vacuum infinitum sit; casu quoque infinitos mundos resque infinitas esse productas, in quibus perpetua sit generationis & corruptionis vicissitudo, eamque ita in æternum duraturam, sine vlla caussa efficiente extrinseca, atque Naturæ ordine, sed casu tantum, atque, vt philosophi loquuntur, ex accidenti. Delirantium hæc somnia & imaginarias Chimæras multi è philosophis cordatiores refutârunt atque exterminârũt, vt Pythagoras Samius, Thales Milesius, Anaxagoras, Parmenides, Melissus, Heraclitus, Zeno Citieus: sed præ ceteris Plato eiusque discipulus Aristoteles, qui validissimis rationibus demonstrârunt vnum tantum esse mundum, eum scilicet quem nos inhabitamus. Harum aliæ sumtæ sunt à ridiculis absurdis atque inconuenientibus, quæ Mundi illam multiplicitatem consequutura erant; aliæ vero ex ipsius Naturæ fontibus haustæ sunt, quę Mundi vnitatem veluti digito monstrat atque irrefragabiliter euincit. Ac primum Mundum vnum tantum esse Mundi definitio euincit, quod scilicet id sit quo res omnes continentur, & extra quod nihil reperitur. Quod si extra Mundum hunc aliquid aliud est: non is profecto res omnes cõplectetur. Præterea, si plures essent Mundi, Mundus hic non vnius illius & solius architecti imago & quoddam veluti simulacrum, non totum sed pars, non perfectum quid sed imperfectum futurus erat. Quod si Naturæ vim ac ratio-

Arist. 1. Metap. 49.

Arist. 12. Metap. 38.

tionem inſpiciamus, fieri equidem nullo modo poteſt vt plures vno ſint Mundi. Si enim præter hunc alij ſunt, aut ex iiſdem elementis quibus hic erunt compoſiti, aut ex ijs quæ alterius ſint naturæ & qualitatis. Si elementa illa alterius ſint naturæ; non illi re, ſed nomine tantum huic noſtro ſimiles erunt. Sed nec illi alia natura prædíti, neque ex alijs corporibus formati eſſe poſſunt, quum plura quam quatuor elementa eſſe nequeant, Terra videlicet, Aqua, Aer & Ignis: & ſi alij Mundi ex elementis & corporibus natura à noſtris his diſcrepante conſtarent, multò plura ſint elementa neceſſe eſt, quod fieri non poteſt. Plura vero quam quatuor elementa non eſſe, probatur ab eo quod quatuor tantum ſunt ſpecies motus & non plures: primus qui ſurſum fit, ſimplex; ſecundus qui eodem fertur, nō ſimplex; tertius qui deorſum fit, ſimplex; & quartus qui itidem deorſum fit, non ſimplex. Motus ſimplicis aſcenſionis eorum eſt corporum quæ ſimpliciter leuia ſunt, vt ignis; motus aſcenſionis non ſimplicis in aere cernitur, qui etſi ſurſum quoque fertur, tamen ad ignis motum, qui multo leuius eſt elementum, comparatus, ſimplex quodammodo non eſt. Motus deſcenſionis ſimplex terræ eſt, non ſimplex aquæ, quarum hæc etſi reſpectu aeris grauis ſit, tamen ad terram comparata ſimpliciter grauis dici non poteſt. Idem à qualitatibus probatur, quæ plures quam quatuor non ſunt, calor & frigus, ſiccitas & humor, quæ non niſi quatuor modis coniungi poſſunt, calor ſcilicet cum ſiccitate, vnde Ignis; calor cum humore, vnde Aer generatur; frigus

Elementa an plura quam quatuor.

Motus elementorum

Quatuor prima qualitates.

frigus cum humore, è qua copulatione Aqua; & frigus cum siccitate, e qua Terra est concreta: neque vlla alia ratione qualitates hæ, vtpote sibi inuicem contrariæ, commisceri queunt. neque enim fieri potest vt vnum idemque corpus eodem temporis momento calidum sit, & frigidum, aut siccum atque humidum. Quare quum singula elementa duas qualitates habere oporteat, eæ vero non nisi quatuor illorum quos iam commemorauimus, modorum aliquo coniungi possint; manifestum quoque est plura quam quatuor elementa non dari; & per consequens alios illos Mundos non nisi ex ijsdem quatuor elementis constare posse. Alios vero Mundos ex illis ijsdem quatuor elementis formatos esse itidem impossibile est. Sicut enim hoc in Mundo elementa vel ad centrum tendunt, vt Terra, vel ad circumferentiam, vt Ignis: ita fatendum sane erit idem in alijs mundis fieri, vt scilicet terra ad centrum deorsum, ignis ad circumferentiam sursum feratur. Si igitur terræ atque ignis elementa omnibus in mundis vnam atque eandem vim habent ac naturam, ad vnum idemque centrum atque circumferentiam tendant necesse est, alioqui non eadem sed diuersa erunt. Quare vel circumferentia & centrum alterius vel huius mundi proprius erit elemētorum locus. Propriū vero ignis ac terræ locū esse huius mundi circumferentiā atque centrum, ex eorundē elementorum effectis manifesto colligere licet. Si enim centrum huius terræ non proprius esset terræ locus, numquam illa in eo consistet, sed ad alterius mundi centrum feretur.

Locus elementorum proprius quis & vbi

 tur.

tur. idem in igne futurum erat, qui itidem deserta huius mundi circumferentia ad illam alterius prouolabit. Si igitur plures sunt mundi, terra eorum ad huius cẽtrum, atque ignis ad huius circumferentiam tendet; atque ita vnus tantum mũdus efficietur. Vt vero elementa ab vno mundo ad alterum transeant, fieri non potest. terra enim vbi alterius mundi centrum deseruerit, & versus hunc ire cœperit, circumferentiam petet, atque ita sursum contra motum suum naturalem mouebitur: similiter ignis ad circumferentiam illam contendet, atque ita deorsum feretur, quod naturæ ipsius quam maxime repugnat. neque enim idem corpus graue simul & leue vno eodemque tempore esse potest. Quapropter quum vnum tantum centrum sit ad quod grauia, & vna sola circumferentia ad quam leuia ferantur, nec in rerũ natura vlla alia elemẽta reperiãtur nec reperiri possint præter quatuor illa: recte cõcludimus vnum tantum esse mundum, nec vno plures esse posse, eũ scilicet quem nos inhabitamus. Porrò non esse alium præter hunc Mundum alia ratione demonstrari potest. Nam quum vniuersus hic Mundus extremi orbis circumferentia includatur; necesse omnino est vt ex omnibus corporibus sensibilibus ac naturalibus sit compositus, & consequenter extra illam circumferentiam nullum sit corpus: alioqui illud extra suum locum naturalem futurum sit, qui intra circumferentiam est & centrum: nec motu naturali ciebitur, qui triplex tantum est, circularis quo cœli, sursum atque deorsum, quo elementa mouentur: qui motus extra circumferentiam illam locum

Elementa ab vno mũdo ad aliũ transire nõ possunt.

Motus naturalis quotuplex.

locum non habent. Quocirca quum extra illam circumferentiam corpus non ſit, multo minus locus erit; qui ſi ibi ſit, vacuum admittendum erit, atque ita dicendum à Natura fruſtra aliquid effectum, quod de ea ne ſuſpicari quidem licet, vt Ariſtoteles confirmat. Non ergo plures ſunt mundi, ſed vnus tantum isque perfectus reperitur, quemadmodum quoque vnus tantum isque perfectiſſimus auctor eius eſt, princeps & gubernator; extra quem nec locus eſt, nec vacuum, nec tempus. Locus non eſt, quum locus ſine corpore eſſe nequeat: ſi vero corpus ibi non eſt, nec motus erit, ſi motus non eſt, tempus quoque excludetur, vtpote quod menſura eſt motus. Age tamen, ſi curioſe nimis & hoc ſcire cupias quid extra Mundum ſit, paucis indicabo. Id quod extra vltimam Mundi eſt circumferentiam non eſt in loco, nec eo opus habet; ideoque ab omni temporis, cetera omnia conficientis ac conſumentis, iniuria tutum eſt, omnis mutationis, alterationis, paſſionis expers, & vt verbo dicam, æternum: vtpote quod à ſeipſo vitam habeat ſufficientiſſimam atque excellentiſſimam, principio ac fine carentem, à ſe ſolo dependens, immò à quo omnia creata ſunt, à quo eadem dependent, deriuantur ac conſeruantur. Hoc vero quid aliud ſit quam immortalis, inuiſibilis atque omnipotens ille Deus? In multis tamen horum philoſophorum opinio ab aliorum placitis diſcedit. Ariſtoteles quidem acerrimus Naturæ indagator Mundum hunc, vti ſupra multis explicauimus, æternum eſſe, nec vmquam finem habiturum ſtatuit. Mathematici quidam & Aſtrologi contra affirmârunt, Mundum, quã-

Extra Mundum quid ſit.

An cælorũ motus Mũ-

Mundus destruatur & renouetur. uis vnus sit & solus, tamen ante hunc alium fuisse, quo per diluuium vniuersale destructo, nõ multo post nouum restauratum & quasi renatum esse, idque infinitis vicibus factum, ac porro factum iri. Ratio ab ipsis allegata hæc erat. Aiunt, caussam huius à corporibus cœlestibus, eorum motu, luce, varijs aspectibus & positionibus, in quibus de tempore in tempus reperiuntur, proficisci: ac quemadmodum cœlestium aliqua corporum coniunctio aut stellarum positio atque exortus pluuias nonnumquam affert, aliàs siccitatem atque incendium, interdũ bellum, sæpe pestilentiæ luem, aliaque eiusmodi quorum hominum hanc tam sedem quam vitam plenam videmus; ita tam validam tamque potentem dispositionem ac coniunctionem posse contingere, cuius vi Ignis elementum exasperatum totum ferè hunc Mundum comburat ac con-

Incẽdium. sumat, quod Incendium illi dixerunt; econtra ab alijs aspectibus & siderum positionibus tantam pluuiarum vim effusam, vt his auctum Aquæ elementum magnam terræ partem obruerit atque inundarit: atque hoc cataclysma siue

Diluuium. Diluuium appellàrunt. Quia vero intelligebant illud statim quæsitũ iri, vnde deleto Mundo, noui homines rursus exstiterint, & à quo creati sint, addiderunt, quando horum alterum factum sit, numquam totam terram conflagrasse, nec totam aqua obrutam, sed partem eius aut montium iu-

Homines diluuio superstites quomodo gis atque altitudine, aut aquæ vicinitate ab vtroque periculo intactam mansisse, in qua pauci homines à fortuna reliqui facti, genus deinde mira fœcunditate propagarint, & in speluncis, syluis

& cam-

& campis vitam simplicem omnisque fraudis ac malitiæ expertem egerint; & sic Aureum illud sæculum, à Poetis tantopere celebratum, constituerint. Ijdem postea rerum ac cœlorum præsertim aspectu atque admiratione capti, quos cursus suos æquabili varietate constantissimè conficere, omniaque admirabili quodam ordine colligata esse longo vsu deprehenderant; & ipsius naturæ stimulis quæ sua sponte scientiæ appetens est, acti, caussas rerum diligentiori inuestigatione perscrutari cœperunt, quam illius sæculi ruditas ferebat: horum posteri deinde, augescentibus tam malitiæ quam ingenij viribus, cœptam hanc scientiarum arcem tam maiorum inuentis quam proprijs ingenij opibus mirifice exornârunt, ac demum posteris exædificandam tradiderunt. Quantum vero temporis ab vno diluuio aut incendio ad aliud diluuium atque incendium intercedat, non satis inter ipsos conuenit. Quidam enim septuaginta septem, alij quadraginta nouem, alij triginta sex, alij quindecim tantum annorum solarium milia ponunt: in hoc vero vna omnium est sententia, requiri, vt ad eundem locum, vnde semel profecta sunt, cuncta astra reuertantur, atque tum idem sit cœli status qui in præcedenti fuit diluuio: quod illi tempus *Annum magnum* & vertentem etiam appellarunt. Hic apud Macrobium ita describitur: *Mundani ergo anni finis est, quum stellæ oēs omniaque sidera à certo loco ad eumdem locum ita remeauerint, vt ne vna quidem cœli stellam alio loco sit quam in quo sunt, quum omnes aliæ ex eo loco motæ sunt, ad quem reuersæ, anno suo finem*

noui mūdi auctores.

Annus magnus quid.

Macrob. in somn. Scipionis.

nem dedere; ita vt luminaria quoque cum erraticis quinque in iisdem locis & partibus sint in quibus incipiente anno mundano fuerunt. Cicero idem paucioribus verbis exprimit: *Annus perfectus & absolutus perfecto numero temporis tum completur denique quum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerunt, quumque eum permensus est idem & semper sui similis orbis.* Neque heic stitit se horum hominum stultitia, sed longius progressa illud affirmare ausa est, omnes res, omnes actiones quas hodie ab imo ad summum cernere est, infinitis vicibus factas esseatque contigisse, rursumque infinitis vicibus redituras tam in ijs quæ substantialia quam quæ accidentalia à philosophis vocantur: quum omne etiam accidens à vera aliqua caussa proueniat, quamuis caussæ illæ magna ex parte abditæ sint nobisque incognitæ, Ex quorum opinione illud sequitur eos homines qui iam viuunt, præteritis quoque sæculis vixisse, futuris quoque eodem nomine, cognomine, patre, patria, opibus, amicitijs, paupertate, miserijs & calamitatibus, ceterisque rebus quas olim in vita experti sunt, victuros. Ne vero nihil dicere atque tam magni anni spacijs frustra Mundi terminos includere viderentur; pro veris, primis & immediatis caussis earum rerum quæ velut in orbem redeuntes ac recurrentes, in hæc inferiora superne defluunt, cursum & positum siderum posuerunt. Vnde necessario hoc illis fatendum erat, quando idem cœli futurus sit cursus ac positus qui ante diluuium fuit, eadem quoque effecta productum iri. Quare auctor huius operis Strozzius

An homines ijdem superiorib. sæculis vixerint, & futuris victuri sint.

nius Ciconia, qui ætatis anno tricesimo septimo, salutis vero nostræ reparatæ anno millesimo sexcentesimo quinto Venetijs primũ ista cõscripsit; atque ego qui eadem eodem ætatis meæ anno, sed anno salutis post, Coloniæ Agrippinæ ex Italica lingua in Latinam transtuli, res easdem ijsdem in locis eodem ætatis tempore iam conscripsimus, & futuris quoque sæculis post magni illius anni conuersionem conscribemus. Hæc tam absurda tamq́ue ab omni ratione aliena opinio magni nominis philosophos habuit assertores, sed Platonem inprimis, qui affirmare non erubuit ante quindecim annorum milia se Athenis in eadem Academia docuisse, & post altera quindecim annorum milia ijsdem discipulis atque in ijsdem ædibus scholas habiturum. Platonem vero ita sensisse, ex D. Augustini verbis probari potest, qui libro 12. De ciuitate Dei ita scribit: *Plato philosophus in vrbe Atheniensi in ea schola quæ Academia dicta est, discipulos docuit. ita per innumerabilia retro sæcula, multum prolixis quidem interuallis, sed tamen certis, & idem Plato, & eadem ciuitas, eademque schola, ijdemque discipuli repetiti, & per innumerabilia deinde sæcula repetendi sint. Absit, inquã, vt nos ista credamus.* Sed ridiculam hanc Platonicorum opinionem vel potius somnium vniuersa Peripateticorum schola explosit, & Aristoteles inprimis falsitatis conuicit. Etsi enim fatetur caussas præcipuas maximeque vniuersales easdem semper manere: demonstrat tamen à caussa ad caussam descendendo, donec ad vltima in mundi hac infe-

Aug. li. 12. De ciuit. Dei. ca. 13.

inferiori parte effecta perueniatur, illarum tamē necessitatem in tantum euanescere atque ex vltimorum effectorum contingentia tantum participare, vt ista effecta postquam semel transierint, à priuatione ad habitum non redeant, atque in ijsdem indiuiduis atque ijsdem caducis ac mutabilibus conditionibus non amplius deinde habeant locum. Sed & illa ratio quam Platonici ab artium & scientiarum post incendium vel diluuium inuentione sumserunt, sine ratione est. Præsupponunt enim, gentem illam quæ casu aut singulari quadam fortuna diluuium vel incendium euaserit, asperam fuisse, inexpertam, sine monumentis atque vlla maiorum memoria, cum omnibus quæ his è diametro aduersantur. Sed fabulæ huius ac delirij vanitatem nulla vel vmbra veritatis vestitam, posteri non intellexerunt tantum, sed etiam deriserunt, inprimis Iudæorum Rabbini ac theologi, qui dogma hoc, ea scilicet quæ sunt quæque fiunt in hoc mundo à cursu & positu siderum, non à voluntate diuina, profluere ac gubernari, manifestæ vanitatis atque erroris condemnarunt.

De

De Cabaliſtarum atque Origenis quoad Mundi durationem atque reſtaurationem, paradoxis; vbi ſimul docetur quid Cabala ſit, & antiquiſsima aliquot temporum apud Chaldæos atque AEgyptios monumenta explicantur.

CAPVT XIII.



PALMAM ſcientiæ antiqui Iudæorum Rabbini, Eleaſar, Moſes AEgyptius, Simon, Iſmael, Iodan, Nachinan, alij, ceterarum gentium philoſophis concedere nequaquam voluerunt. Quocirca vt eorum opinionem qui per aſtrologiam ac philoſophiam quid Deus ante iacta Mundi huius fundamenta egerit ſcire ſe profeſſi ſunt, irriſerunt; ita nouo quodam commento altioris eruditionis exiſtimationem conciliare ſibi conati ſunt, quo immenſæ illius æternitatis arcana è cœleſtibus diſciplinis hauſta atque cognita ſibi affirmârunt. Occultam hanc ſcientiam *Cabalam* Hebræa lingua nũcuparunt, quæ vox Receptionem ſignificat, quod ſcientia illa nullis litterarum notis conſignata, ſed ex ore ac ſermonibus ab vno ad alium deriuata & quaſi per manus tradita eſſet. Huius primum illi auctorem Moſen faciunt, quem eamdem in monte Sinai, præter leges quinque libris inſcriptas, ex ipſo Dei ore accepiſſe aiunt, cum *Cabala quid.* expreſſo

expreſſo mãdato ne ſcriptis eam conſignaret, ſed illis ſeptuaginta tantum ſapientibus qui ad legis cuſtodiam electi erant, ore ac verbis communicaret; à quibus ſic deinceps ea ad poſteros propagata ſit; tandem vero poſt captiuitatem Babylonicam ab Eſdra Dei iuſſu ſeptuaginta libris conſcripta, quos tamen legere nemini præterquam ſapientibus ad id munus electis, fas erat. Rem vero ita ſe habere ex ipſius Dei verbis Eſdram hoc modo alloquentis, probare conãtur:

Cabala à quo primũ conſcripta.

Eſdra 14.

Reuelans reuelatus ſum ſuper rubum, & loquutus ſum Moyſi quando populus meus ſeruiebat in AEgypto, & adduxi eum ſuper monte Sina, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta & finem, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abſcõdes. Eodẽ in loco iſta ſequũtur: *Exactis quadraginta diebus loquutus eſt Altiſſimus dicens; Priora quæ ſcripſiſti in palam pone, vt legãt digni atque indigni; nouiſſimos autem ſeptuaginta ibros conſeruabis vt tradas eos ſapientibus de populo tuo. In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen. Et feci ſic.* Porro Cabalæ huius beneficio Moſaicæ legis medullam altiſſimaque Dei ſecreta reuelata ſibi doctores illi aiunt; atque ex ijs illud cognitum, infinitos à Deo per ſucceſſionem continuam Mundos creatos, atque ab eodem rurſus deſtructos ac dirutos, hanc ſcilicet regionem inferiorem quæ infra lunam eſt, ſepties milleſimo, ſuperiorem vero illam vndequinquagies milleſimo quoque anno. hoc inſuper addiderunt, ſex illis annorum

Cabaliſtarũ de Mundo opinio.

norum de septem milibus Chaos in quatuor elementa diuisum res omnes nouas gignere ac producere, ijsque finitis in se rursus omnia colligere; septimo vero millenario quiescere, ac mille illo annorum ocio ac quiete ad nouam germinationem vires colligere seque præparare; atque ita continuam quandam Mundorum successionem & hactenus fuisse & porrò futuram; tandem vero septies renouato ac quasi renato hoc inferiori orbe, exacto quadraginta nouem milium annorum cursu, ipso quinquagesimo millenario cœlos quoque solutum iri, omniaque in antiquum chaos & primam materiam reditura: tumque Deum omnibus beatis mentibus ac spiritibus ad se receptis, moli huius vniuersi confusæ quietem indulturum; postea vero pro immensa ipsius sapientia ac potestate, renouatis rebus omnibus, multo pulchriorem Mundum multoque iucundiorem conditurum. Atque hanc ob caussam Angelorum creationis in sacra scriptura vbi Mundi creatio describitur, non fieri mentionem, quippe qui in Mundorum præcedentium creatione immortales remanserint. Hinc etiam Salomonem in Sapientiæ libro materiam ante Mundi huius creationem cōfusam supponere, atque alibi dicere, *nihil esse sub sole nouum*. Ijdem Rabbini vt fidem facerent, paradoxa hæc ex ipsa Mosaicorum librorum medulla esse sumta, cumque ijs optime conuenire, dixerunt sex illis creationis diebus sex annorum milia quibus Mundus duraturus sit, significari; septimum vero diem quo Deus quieuisse dicitur, septimi millenarij esse figuram, quo Mundus in antiquum

Cabalistæ quomodo S. Scriptura suam opinionem confirmēt.

chaos redactus ac destructus, ocium sit acturus: huius vero sententiæ rationem è regij psaltæ prophetæ Dauidis verbis sumunt, qui mille annos in Dei conspectu vni diei æquales esse canit. Addiderunt: septem illas festi septimanas quadraginta diebus præcise inclusas, quibus populus Iudaicus memoriam suæ ex AEgypto egressionis celebrauit, septem Mundi huius sublunaris in quadraginta nouem annorum milibus reuolutiones præfigurare; quinquagesimum vero sacrificij solemnis diem, quem Deus ipse eximium esse voluit ac celeberrimum ac sanctissimum vocauit, destructionem ac nouam huius totius Vniuersi communicationem adumbrare. *Numerabitis ergo*, inquit Deus, *ab altero die sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic afferetis sacrificium nouum Domino.* Subiungit deinde: *Vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum. omne opus seruile non facietis in eo legitimum, sempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus vestris.* In eandem sententiam ijdem illud interpretantur quod Deus in Leuitici libro senis annis terram colere, septimo vero quoque anno ociosam relinquere Iudæos iussit. Sic enim ait: *Sex annis seres agrum tuum & sex annis putabis vineā tuā colliges q; fructus eius, septimo aut anno sabbathu erit terræ requietionis Domini: agru non seres & vineā non putabis.* Terra vero per Chaos denotarunt quod Hebręis & Chaldęis illa voce dicitur: per senos annos quib. laborare & terrā colere licebat, senos annos quibus res gene-

Leuit 25.

nera-

nerabiles producũtur; per septimũ vero quietis ac cessationis, septimũ millenariũ intelligi dixerũt, in quo omniũ elementorũ cõfusio sit, omnesque proprietates inter se commisceantur. Similiter quando Deus mandat, vt exactis septies septem, id est, quadraginta nouem annis, quinquagesimus quisque qui Iubilæus dicitur, singulari religione multisque cæremonijs agatur, quinquagesimum milienarium significari affirmant, quo tam cœlestis illa quam sublunaris & inferior hæc mundi regio corruitura simul ac noua exoritura sit: eoque in sacra scriptura præcipi vt perfecta eo anno omnia quiete perfruantur, serui manumittantur, debitores nexu soluantur, terra non fodiatur, aretur aut pastinetur, fructus communes sint, omnes denique possessiones, non obstante vllo pacto, ad pristinum dominum reuertantur. Verba scripturæ sunt: *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem,* &c. & paullo post: *sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Iubilæus. reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque rediet ad familiam pristinam: quia Iubilæus est & quinquagesimus annus.* Erroribus his de Mundi duratione ac successione, præter ea quæ hactenus à nobis adducta sunt, hominum ambitio maximè occasionem præbuit. Quum enim quæuis gens generis sui origini à vetustate decus atque ornamentum quærere vellet; factum est vt infinito ferme præteriti temporis spacio, generis sui primordia descripserint. Plato in Ti-

Populorum quorundã antiquitas

mæo è ſacerdote quodam AEgyptio intellexiſſe ſe ait, AEgyptios annorum octo milium hiſtorias in monumētis habere conſignatas. Eudoxus Zoroaſtrum ſex annorum milibus Platone antiquiorem facit. Hermippus vero quinque annorum milibus aute bellum Troianum vixiſſe ſcribit. Chaldæi, vt Cicero ſcribit, quater centum ſeptuaginta milium annorum memorias apud ſe exſtitiſſe gloriati ſunt: quod idem Diodorus Siculus teſtatur, qui Chaldæos dixiſſe ait, ſtellarum curſus per quatercentum & tria annorum milia ad Alexandri Magni vſque tempora à ſe obſeruatos, totidemque annorum apud ſe ephemerides exſtare. Vulcanum Laertius dicit Nili AEgyptij fuiſſe filium, & ab eius ætate ad Alexandri tempora ſpacium quater centum octo milium octingētorum ſexaginta trium annorum intercurrere: toto vero hoc tempore, quod inprimis notatu dignum videtur, trecentas ſexaginta tres ſolis, lunæ vero octingentas triginta duas ecclipſes ſiue defectiones contigiſſe, ab ijſdem AEgyptijs memoriæ eſſe proditum. Modeſtius aliquanto Mela mentitur, AEgyptios iactare trecentos & triginta reges ante Amaſim ſe habuiſſe; quorum omnium imperiorum tempora, vt in chronicis eorum ſiue annalibus proditum ſit, tredecim annorum milibus includantur. Addit rem non minus ridiculam quam incredibilem, poſt AEgyptiorum gentem conditam ſtellas quater curſus ſuos compleſſe, ac ſolem bis eo loco vbi exortus ſit occidiſſe, atque aliud iter primo contrarium plane atque oppoſitum, ingreſſum eſſe. Ab ijſdem memoriæ proditum eſt, intra Oſiridis, Iſidis,

Zoroaſter.

Chaldæorum vetuſtas.

Vulcanus.

Ægyptiorū vana iactatio.

dis, & Alexandri Macedonis, qui Alexandriam in AEgypto condidit, tempora, decem annorum milia interfluxisse; quamquam alij viginti tria milia ponant. Deos quoque & Heroas in AEgypto paullo minus decem & octo annorum milibus regnasse ijdem fabulantur: ex his vltimum fuisse Ochum, qui post Isidem regnum tenuerit. Post Deos & Heroas ab hominibus circiter decem & quinque annorum milia in eadem gente imperatum, ad centesimam scilicet & octuagesimam vsque Olympiadem, quo tempore in AEgypto Ptolemæus I. regnare cœpit. Quid opus est verbis? Tam Chaldæorum quam AEgyptiorum in prodenda generis sui origine ac vetustate incredibilis fuit ambitio atque vanitas, quæ eos homines qui de Mundi principijs scripsere, in multos errores induxit. Sed in his minus hoc mirum quam in Origene, qui itidem existimauit ante Mundum hunc alium fuisse, & post hunc alium fore, rursusque alium, perpetuo quodam ordine successionis. Sic enim ait: *Nobis autem placet & ante hunc alium fuisse Mundum, & post istum alium futurum. Vis discere quod post corruptionem huius Mundi alius sit futurus? Audi Esaiam loquentem: Erit cœlum nouum, & terra noua, quæ ego facio permanere in conspectu meo. Vis nosse quod ante fabricam huius Mundi in præterito fuerit? Ausculta Ecclesiastem: quod est quod fuit? ipsum quod erit: & quod est quod factum est? ipsum quod futurum est: & non est omne nouum sub sole quod loquatur, & dicat, Ecce hoc nouum est. Iã enim fuit in sæculis pristinis quæ fuerũt ante nos.* Atque hęc quidem de pluribus Mundis perpetuo

Origenis error de Mundi origine.

Origenes Periarch.

quodam ordine sibi inuicem succedentibus opinio apta est ad refutanda illorum maledicta qui in concilio Niceno Spiridioni alijsque episcopis obiecerunt, valde absurdum videri, Deum in infinita illa æternitate ante quatuor vel quinque annorum milia demum Mundum hunc tam breui tempore duraturum condidisse. Quid enim antea egisset? aut quid tandem facturum esse? Quibus Spiridio respondit, æterni supplicij loca tam curiosis hominibus, ne nihil ageret, fabricatum esse. Verum enimuero theologi plerique omnes contra prædictam opinionem, vnum solum Mundum in principio temporis à Deo conditum, atque vniuersum hominum genus ab Adamo & Eua protoplastis esse propagatum, senserunt: idque ex ipso quoque sacræ scripturæ textu euinci potest, vbi dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terrã.* Ac profecto de sententiæ huius veritate dubitare nefas omnino videtur. Qui enim Mundorum illam multiplicitatem allegant, quid aliud faciunt quam quod Dei arcana, præsertim quoad temporum, quæ Deus occulta nobis esse voluit, cognitionem, inutili curiositate rimantur? sic videmus illud tempus quo Messias siue Seruator noster in Mundum venturus esset, patriarchis & prophetis,, quamuis id multis precibus ac lachrymis requirerent, Deum reuelare atque aperte ostendere noluisse. Similiter Dominus ac Deus noster Iesus Christus vltimum Mũdi diem, quo ipse ad iudicandos viuos & mortuos venturus est, discipulis indicare noluit; quamuis vehementer illi rogarent, idque multis ab eo precibus contenderent, his verbis: *Dic nobis quan-*

Quid Deus ante conditum Mundum egerit

Genes. 1

Temporũ quorundã cognitionem Deus sibi soli reseruauit.

Matt. 24.

quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis sæculi? Qui etiam vt ostenderet quam grande illud esset secretum, *De die*, inquit, *illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus pater.* Quocirca idem postquam a mortuis resurrexisset, atque ab Apostolis rogatus esset quando regnum Israelis restauraturus esset, Patrem æternum illius sibi temporis cognitionem reseruasse dicit. *Non est vestrum*, inquit, *nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate.* Ac profecto, vt disputationem hanc concludam, multo & modestius & securius illos facere arbitror, qui in res occultas tam anxiè non inquirunt, nec mysteria excutienda sibi sed humiliter adoranda censent: quæ sane modestia longe Deo gratior est & acceptior quam arrogans humani ingenij curiositas, & nescio cuius cœlestis eruditionis persuasio.

Matt. 24.
Marc. 14.

DE SPIRITIBVS ET INCANTATIONIBVS

PRIMAE PARTIS LIBER II.

De Sadduceorum, Epicureorum, & veterum Peripateticorum, Spiritus atque Angelos esse negantium, opinione.

CAPVT I.



AM vt singulas huius nostri Theatri partes obeamus, atque contemplemur, ordo postulat, ac primum supracœlestem illam, in qua Deus est atque intelligentiæ siue mentes beatæ. Et Dei quidem naturam atque essentiam, quantum humani ingenij angustijs capi potest (etsi profecto capi nõ potest) priori libro aliquo modo explicauimus, omisso tamẽ sanctissimę Trinitatis mysterio, de quo alibi erit dicendi locus, vbi scilicet de Christo vero Deo atque homine agemus: nunc vero ad substantias spirituales progrediemur, quæ vtrum essent vel minus, inter veteres diu multumque disceptatum fuit, Neque sane leuis hæc

uis hæc est & parui momenti controuersia siue quæstio: siquidem è spirituum tam exsistentia quam essentia firmissimum argumentum sumi poterit, Animas nostras etiam corporis hoc destructo domicilio victuras, immò immortales esse: sicut è contra si spiritus esse negemus, vix equidem illud vitabimus, quin Animas vna cum corporibus extingui fateamur. Et Angelos quidem esse ac substantias spirituales corporis expertes, communis omnium nationum, sapientum, ac legum consensus probat: hancque sententiam non à Platone tantum profecta Academia, verum etiam vniuersa Stoicorum schola amplexa est. Epicurei tamen, Sadducei, atque è Peripateticis quidam contra senserunt, quamuis Aristoteles, qua fuit singulari in rebus dubijs & obscuris prudentia, eam disputationem de industria quasi refugerit, ne absurdi aliquid statuendo doctrinæ laudem tot tamque erudite scriptorum librorum ope partam perderet, vel minima etiam labe contaminaret. Verebatur enim, ne si Spiritus esse statueret, neque id satis validis atque apertis rationibus ex suæ philosophiæ decretis ostendere posset, discipulis esset risui, ac Sapientis nomen tantis laboribus acquisitum amitteret: sin contrariam opinionem esset sequutus, magistri ei Platonis, magna tum admodum, verenda erat auctoritas, qui inde quoque gloriam nominis sui multum auxit, quod hanc de Spiritibus doctrinam asseruit atque illustrauit. Quinimmo non nesciebat, si Spiritus esse negare vellet, impietatis à plerisque omnibus, vtpote qui hoc vno dogmate leges omnes, omnē religionem ac-

Animæ immortalitas à Spirituū essentia probatur.

Aristoteles de Spiritib. quid senserit.

nem atque sacra funditus tollat, accusatum iri. Argumenta vero quibus illi Spiritus non esse persuadere voluerunt, diuersi sunt & varia. Primum illud fuit, quod dicerent, si Spiritus essent, animam eosdem, atque etiam membra ad huius actiones necessaria habituros, quę non nisi ex elemento aliquo solidiori, vt aqua & terra, formari possint. quare futurum vt conspici quoque, nec minus animalia quam cetera dici possint. Porrò existimabant, si Spiritus sint, fieri non posse quin magno sint numero; sique nocturna illa visa ac terriculamenta, atque admirabiles præstigiæ à Spiritibus proficiscantur; quum omnes mundi prates Spirituum plenę sint, fore, vt vix aliud quidquam præter spectra, lemures, mormones, quæque terrorem hominibus afferant, conspiciatur, ac quotidie multo plures effectus subitanei ac casus magis admirabiles atque inexspectati contra Naturæ cursum omni fere tempore omnibus hominibus eueniant. At spectra illa rara esse: quin etiam præstigias eiusmodi atque euenta magis caussis naturalibus occultis quam vlli alij rei adscribi posse: quorum caussæ quum occultæ nobis sint, ipsaque res inusitata, admirationem atque stuporem in animis gigni. Exempli gratia. fieri sæpe Vt strepitu terreamur: at eum à sorice, fele aut cane excitari posse, aut opinionis ac phantasiæ errore fingi; sæpe etiam trabem siccitate vel humiditate abscedentem aut se mouentem gemiscere veluti; aut rem non visam prius ventoque commotam animum subito terrore ita complere, vt quod non est sibi imaginetur. Eodem

Rationes cur non sint Spiritus.

dem modo si lumen aliquod vel ignis nocturnus conspiciatur, vel eum à cœlesti lumine accensum, vel hominum mathematices peritorum industria atque arte excitatum. Neque enim nouum esse, vt ab eiusmodi hominibus, loca, tempora & constellationes atque in vniuersum Naturæ vires diligenter obseruantibus, illis inprimis qui Magiæ scientiam profitentur, res ijs omnino quibus Naturæ vires incognitæ sunt, admirabiles, ac quarum captus supra vulgi est ingenium, efficiantur. Sic homines quosdam male disposito corpore, luna decrescente grauissimis cerebri doloribus vexari; qui propterea Lunatici dicantur. Hæc Naturæ miracula quosdam Spirituum operationibus adscribere, eam ob caussam vt tanto pluris à vulgo fiant, & quod volunt tanto facilius consequantur. Suo insuper errori e sacra scriptura præsidium Sadducæi quæsiuerunt, in qua quum ceteræ res omnes, cœlum puta, terra, animalia, atque ipse homo creatæ legantur, nulla tamen Angelorum, quorum tantam nobilitatem, tantam sublimitatem esse illi volunt, creationis fit mentio, quam, si facta esset, Moses qui cetera tanta sedulitate persequutus est, nequaquam omissurus fuerit. Præterea quamuis è quibusdam legibus colligere liceat Spiritus esse; id tamen eò magis factũ esse vt terrore quodam & religione homines ad pietatem obligarentur, eaque quæ sensibus capi nequeunt tanto facilius crederentur, quam vllo aliquo alio respectu. Platonem quidem acceptam ab alijs opinionem hanc inter discipulos disseminasse, vt tanto excellentior atque admira-

Sadducæorum spiritus negantium argumenta.

Stoici cur ſpiritus eſſe crediderint.

mirabilior magiſter haberetur, vtpote qui ea ſciret quæ alij neſciebant. Stoicos vero Socratis quem plurimi faciebant, auctoritate impulſos, ſed in primis vt oſtenderent eſſe in animis noſtris diuini aliquid, Spiritus eſſe non abnuiſſe: tum etiam quod animaduerterent opinione hac vitam perſuaderi multo iucundiorem, dum ea tractantur quæ in vniuerſum ad hominum animos oblectandos, ſed maxime ad conſolandos afflictos, & à miſeriarum, quibus non dico multorum ſed omnium hominum vita propoſita eſt, ſenſu abducendos mirificam vim habent. Atque hanc potiſſimum cauſſam fuiſſe cur Platonici tam friuolum cõmentum, immò craſſum mendacium aſſerere atque in vulgus ſpargere non erubuerint, quod exiſtimarent licere tale aliquid comminiſci quod nec ipſis nec alijs noceret, ſed multo magis vtroſque iuuaret. Peripateticorum quoque nonnulli ijſdem fere rationibus Stoicos irrident. Aiunt, ſi ſpiritus eſſent, ſiue illi cœleſtes, ſiue terreſtres, ſiue aerei dicantur, hominibus aut amicos aut inimicos fore. ſi amici ſint, aut diuitias, aut imperia, aut ſapientiam largiendo, aliquando aliquem hominum adiuturos: horum vero nihil fieri. imperia enim & opes induſtria, virtute ac fortitudine; ſcientiarum verò atque artium cognitionem indefeſſis laboribus atque vigilijs, tum ſigulari quadam ingenij felicitate acquiri. Sin eos inimicos eſſe dicamus, fieri non poſſe quin multas quotidie offenſiones homines ab eis accipiant, ij præſertim qui maledictis eos proſequuntur ac contemnunt, vt Epicurei, Sadducei, atque illi ipſi qui hoc argumento vtun-

Peripateticorum rationes cur Spiritus non ſint.

Spiritus an homines iuuent.

Spiritus an hominibus noceant.

o vtuntur Peripatetici. Atqui horum neminem ab eis vel occisum, vel præcipitatum, vel aliquo alio modo offensum compertum. Valde autem ineptum esse quod nonnulli afferant, etiamsi hominibus inimici sint atque infesti, tamen vt corpuscula pusilla & tenuia, ita exiguas ad nocendum homini vires habere. Hoc enim si vel maximè verum sit; quid vetabit, inquiunt, quo minus Spiritus saxum aliquod aut tegulam sua sponte ad casum pronam de tecto in prætereuntis Sadducei alicuius caput deijcere possit? aut quum aquæ se crediderit, eum summergat? aut in præupto aliquo loco herẽtem, vento commoto præcipitet? Quod si vel horum nihil efficere Spiritus queant; quum tamen ex Platonicorũ sententia animalia agere atque rapere possint, facile eis fore equum quem Sadduceus aut talis aliquis inscenderit, in furorem agere, atque ita sessorem effusum occidere. Horum vero nihil fieri: sed cõtra, si Sadduceus Angelomastyx in mansuetum, Platonicus vero Spiritibus quotidie sacrificans in ferocẽ atque indomitum imponatur equũ, non dubium fore quin Platonicus ephippio excussus vngulisq; proculcatus adstantibus ludibrio futurus sit, Sadduceus vero suauiter ac sine periculo quò velit feratur. Quare Platonicis in re tam dubia atque obscura aut apertis argumentis probãdum, esse Spiritus, aut hunc nodum soluendum: deinde eorum naturam verioribus ac solidioribus rationibus describendam. Quod quum tam ipsi quam Socrates facere hactenus neglexerint: facile intelligi quę de Spiritib. à Platonicis circũferantur, meras esse atque inanes ociosorũ hominum

num nugas. Socratem quidem & Platonem sibi amicos, sed magis amicam esse veritatem: neque se facturos vt vel Platoni, vel Socrati, vel cuiquam alij gratificando, quidquam virtute, in cuius studio vitæ omne tempus posuissent, indignum committant. Illud denique adiungebant, Platonicæ huius opinionis stultitiam omnibus esse manifestam è Magorum & eorum qui Spiritus inuocant siue adiurant, actionibus. Hos enim paucis ac summissis verbis, quorum sonus vltra viginti pedum interuallum vix percipi queat, Spiritus euocare, seque ab eis auditos profiteri: quod tamen nullo modo fieri possit. Sic enim fatendum, aut Spiritus semper in omnibus esse locis, quod impossibile est, quum solus Deus eodem tempore omnibus in locis præsens sit; aut interna humani animi sensa solo intellectu sine vlla præsentia & sine vllis verbis ab eis cognosci. Perinde enim esse si quis exclamet, nec tamen ob distantiam loci exaudiatur, ac si taceat. E quibus atque alijs etiam rationibus illud effici voluerunt, non esse Spiritus, aut vllas mentes à corporibus separatas; sed omnem hominis felicitatem in rebus terrenis & virtute consistere.

An Spiritus vocem hominis percipiant.

De Platonis Spiritus esse profitentis opinione, deque nouem naturæ intelligibilis ab eodem constitutis gradibus: deque Socratis dæmonio.

CAPVT II.

PLATO quique cum eo faciunt, Plotinus, Porphyrius, Iamblichus & Proclus, Spiritus esse crediderunt, veterem Mercurij Trismegisti & Byti eius expositoris, quem vatem ipsi & prophetam nominant, & antiquorum Sacerdotum, ac postremo Socratis, qui annis quinquaginta ante Platonem vixit, opinionem sequuti. Nullum quidem Plato argumentum adfert quo Spiritus esse probet; sed tamquam rem certam atque indubitatam sumit: vel quod argumenta ad id probandum satis valida non habuit, vel quod omnium illi hominum, aut plurimorum saltim hac in re consensui tantum tribuit, vt peccare sibi atque ipsi veritati iniuriam facere videretur, si id quod ipsa natura quodammodo dictat rationibus probare, atque ita in dubiũ reuocare vellet. Quare vnius Socratis testimonio contentus, quem mori potius quam mentiri aut falsum dicere voluisse scribunt, nulla alia argumenta quærenda sibi putauit. Idem Plato naturam intelligibilem nouem gradibus distinguit: in quorum

Socratis testimonium.

Natura intelligibilis gradus secundum Platonem.

primo Deum, secundo Ideas quos Deos secundos nominat, tertio Animas corporum cœlestium quas Intelligentias vocant, quarto Archangelos, quinto Angelos, sexto Dæmones, septimo Heroas, octauo Principatus, & nono Principes posuit. Hominum animas idem in nullo horum graduum collocauit. Aiebat enim has pro ipsarum qualitatibus vel virtutibus locum sortiri, sic vt bonorum animæ ad Angelorum; malorum & sceleratorum ad Dæmonum cœtus adscribātur. Platonici quidam, vt Hermias & Proclus inter Deum & animam rationalem ingentem creaturarum immediate à Deo productarum numerum posuerunt, quarum alias intelligibiles, alias intellectuales dixere: quibus tamen nominibus Plato passim promiscue vtitur. Plotinus vero, Porphyrius, atque etiam fere è Platonicis doctissimi quique, inter Deum & Mundi animam nihil aliud esse censent, quam creaturam solam immediate à Deo productam, quam Dei filium appellant. Hæc omnium Arabum, atque in primis & Auicennæ, fuit opinio; nec ab ea Aristoteles eiusque sectatores abhorruerunt. Aiunt, creaturam hanc naturam esse incorpoream & intellectualem, ac quantum fieri in creatura potest perfectam, neque Deum vltra hanc quidquam aliud producere. Ab vna enim caussa perfectissima plures quam vnum effectum perfectissimum promanare, illudque quod perfectissimum sit plus vno esse non posse: siquidem si duo illa sint aut plura, necessario fatendum vnum eorum altero plus aut minus esse perfectum; ac si æqualiter essent perfectissima, vnum idem cum

Animarũ post mortẽ locus.

Creatura à Deo immediate creata, & qualis.

altero,

alterо, atque ita non plura ſed vnum tantum futurum. Atque iccirco ijdem opinionis huius aſſertores affirmant, etiamſi Deus ab æterno atque immediate ſolam hanc creaturam produxerit, eumdem nihilominus res omnes produxiſſe, quum in illa ipſa rerum omnium ideas atque formas produxerit. Ideam vero eſſe inſtar exemplaris & formæ quam magnus ille Architectus in mente ſua habuit quando ad fabricandum hoc Vniuerſum acceſſit. Ijdem voluerunt, ædificij formam quam artifex in mente ſua habeat, veram magis eſſe magisque perfectam quam illud ipſum ædificium quod poſtea idem artifex è materia apta, ſaxis puta, lignis, & eiuſmodi, conſtruxerit. Præterea in Creatura illa tam perfecta ſolis, lunæ, ſtellarum, elementorum, animalium, hominum, totius denique Mundi ideam ineſſe dixerunt; quæ quidem idea, vt exempli gratia, ſolis aut lunæ, multo ſit ipſo ſole ac luna perfectior; & ſic in ceteris etiam rebus. Ex hac Mente vniuerſum huncMundum ſenſibilem productum, eiusque eſſe imaginem & ſimulacrum ideale atq; intelligibile. Quumque exemplar ad cuius imitationem factus eſt, perfectiſſimum ſit ſupra omnes creaturas; ipſum quoque Mundum hunc ſenſibilem, quantum Natura eius fert, perfectum eſſe. Quoniam vero omne animatum perfectius eſt eo quod anima caret, & in primis illud in quo ineſt mens & ratio bruta animantia longiſſime antecellit: Platonici Mundo animam longe omnium animarum perfectiſſimam, vt ſuo loco explicabimus, tribuerunt. Plotinus, Porphyrius & Iamblichus quatuor creaturarum ratione prædi-

Idea quomodo à Deo producta.

Mundi anima secundum Platonem.

tarum ordines fecerunt: quorum primus Deorum est, secundus Dæmoniorum, tertius Heroum, quartus Hominum. Hos omnes mente ac corpore præditos dixerunt; quarum illa in omnibus sit immortalis, hoc vero in Dijs cœleste, in ceteris elementare: addentes, Deos quidem absolute bonos esse; sed Dæmonum, Heroum atque hominum partim bonos esse partim malos. Bonos quidem dæmonas bonis hominibus contra malignorum dæmoniorum insidias atque insultus præsidio esse, & ad bene agendum eosdem incitare. Inter Heroas & Animas Principatus ac Principes posuere; Dæmonia quidem generalia Deorum mandata exsequi, Heroas vero hominibus, præcipue vero in quibus excellentes naturæ dotes cum æterna nominis fama conspiciuntur, adiunctos esse & præpositos, dixere. Principatus regionibus ac prouincijs præesse; Principes eorum quæ ad generationem pertinent curam agere. Præterea Spiritus omnes supra nominatos qui sub luna habitent, vaporis aliquid habere, animisque labeculam aliquam adspersam: omnes vero oculorum sensui esse subiectos, Dijs exceptis, qui inuisibiles sint & incorporei. Heroes Genij sunt, quorum frequens est apud Virgilium mentio. Scribit Porphyrius magistrum suum Plotinum sæpenumero à Deæ Isidis sacerdote Romam fuisse inuitatum, addita pollicitatione suum se ibi Plotino genium commõstraturum: tandem Plotinum eò profectum, à sacerdote vero adhibitis consuetis cæremonijs Plotini Genium excitum visibili ipsi forma apparuisse, tumque sacerdotem alta voce exclamasse: *O beatum te Ploti-*

Quatuor creaturarũ ratione præditarum ordines.

Dæmones.

Heroes.

Principes.

Heroes quid.

Plotine! atque ex eo tempore Plotinum pro Genio non heroa aliquem, sed Deum habuisse. Quantum ad Dæmoniorum aliorumque Spirituum generationem attinet, idem Plato ait filios eos esse Deorum; eorum vero generationem explicari non posse. Addunt Platonici, omnes hos Spiritus à Deo creatos res suæ naturæ similes appetere. Sic primis Dijs, Angelis & cœlestibus Mentibus grata esse pura solius mentis humanæ sacrificia: econtra Dæmonas aliasque Mentes impuras quæ nobiscum conuersantur, maximopere victimis oblectari; quæ vero vtriusque naturæ sunt participes, thuris incensi, aliarumque rerum corporearum, quæ tamen puræ sint & odoratæ, oblationibus capi. Porro Spiritus hos siue Mentes sublunares ijdem aiunt rerum impossibilium maximeque terribilium minas timere, vt sunt, cœlum scindere, Deæ Isidis secreta reuelare, totum Mundum comburere, de statu ipsas deturbare atque euertere: id vero fieri multas ob causas. Primum enim etsi verborum terribilium ac minantium, quæ magnum quid ipsis videntur, terrorem percipiant, non tamen ita capaces esse vt intelligant res illas impossibiles esse, & exsequutione maiores. *Habent enim*, vt Iamblichus loquitur, *intellectum similem artifici egregio, qui quidem verba intelligit, & ipse rem cui præest, optime administrare tractareque nouit, ad alia tamen stupidus est.* Insuper quando eiusmodi minas perceperint, Deorum eas potentiam in memoriam sibi reuocare, quos multum timeant: tum indignari vehementer vbi tale aliquid audierint:

Spirituum generatio.

Spiritus qui quibus oblectētur & terreantur.

rint, non aliter quam boni ac probi homines turpibus atque obscœnis sermonibus aures commodare non sustinent, sed quamprimum sese proripiunt, etiamsi conuicia illa prohibere ac vindicare etiam facile possint. Tantopere vero Spiritus timere aiunt, ne secreta ipsorum reuelentur, ac quem tenent in mundi regiones principatus atque imperium disturbetur, vt vel ad minimum ea de re verbum, vtcumque difficilis factu videatur, contremiscant veluti, & propere aufugiant. Platonicorum insuper fuit sententia, omnibus hominibus vbi primum editi fuerint in lucem, ex inferioribus his spiritibus aliquem esse appositum, eiusdem qualitatis cuius sunt loca illa per quę anima in corpus descendens, cumque elementari corpore sese coniungens, transit: hunc animam cum corpore copulare ac continere, hunc docere hominem ac regere, & ad omnia bona opera tamdiu velut manuducere, quoad bonis & sanctis operibus illud meritus sit vt dæmonij loco vnum ex Dijs cœlestibus custodem habeat; non tamen à custodia abscedere dæmonium, sed ad Dei illius iussa paratum adsistere, eiusque imperium exsequi, & in erudienda varijsque dotibus ornanda eadem illa anima, & malignis dæmonijs, hominem ad malum impellere, atque à Deorum obedientia auertere perpetuo satagentibus, profligandis. Placet insuper his Academicis, prædictos Spiritus custodes omnibus hominum actionibus assistere, atque eas videre; quin etiam cogitationes atque intima animi nostri sensa perspecta & cognita habere: tum animam corpore solutam co-

Spiritus animi humani sensa secundum Academicos norant.

ram supremo iudice sistere, suoque testimonio factorum rationes quæ tum ab animis reposcantur, multum vel iuuare vel aggrauare. Scriptum etiam est apud Platonem, eosdem voce multis tam sanorum quam ægrorum, tam vigilantium quam dormientium animis prodesse: & in mortis articulo præsentes adstare, animosque nostros diuinitate sua commouere atque replere. Hinc illud esse Platonici aiunt, quod multi in ipso mortis agone, anima iam migrare incipiente, nescio quid diuiuum ostendere ac præ se ferre solent, quod nostram superet capacitatem. Id Socrati accidisse, qui ad alteram vitam migraturus iam mortique vicinus filium, singulari tum modestia vitæque innocentia iuuenem, plane immutatū atq; ad omnia scelera atque flagitia auersū iri prędixit: quod & euenit. Posidonius narrat, Rhodium quemdam morientem sex æquales nominasse, & dixisse qui primus eorum qui secundus, qui deinceps moriturus esset: atque euentum prædictionis respondisse. Pherecydes Syrus animam agens victoriam contra Magnesios prædixit. Porphyrius opinatus est non vnum aliquem sed multos Spiritus siue Genios vni soli homini additos esse custodes, quorum alius valetudinem ipsius curet, alius formæ pulchritudinem loargiatur, alius pectus constantia & fortitudine muniat, & sic deinceps. At Iamblichus aliter sensit, valde absurdum existimans vni homini vnum non sufficere genium siue dæmoniū, quum hoc illo tanto subtilioris ac perfectioris sit naturæ. Alij Spiritus hos diuersæ qualitatis esse censent, æthereos scilicet, aereos &

Mens morti vicina præstigia.

Pherecydes.

Porphyrij opinio de Spiritibus assistentib.

Spirituum diuersitas

aquaticos: eorum rurſus alios eſſe Saturnios, alios Martiales, alios Iouiales, & ſic deinceps. AEthereos ſiue Igneos ad contemplationem excitare, aerios ad vitæ communis negocia, aquaticos ad voluptatem; Martiales fortitudinem, Iouiales prudentiam, Venereos libidinem in animis accendere, Mercuriales ſapientiæ, Lunares fecunditatis ſemina præbere, Saturnios malum diſſuadere. Quare Socraticum illud dæmonium & ætherium fuiſſe ſiue igneum, & Saturnium; quippe quod contemplationi ac virtutis ſtudio totus vacauerit, illudque ſemper egerit vt diſſuaderet, ſuaderet vero numquam. Et profecto mira ſunt quæ de eodem ſcripta leguntur: præſto ſemper Socrati fuiſſe, malum diſſuaſiſſe, à periculis reuocaſſe, replicaſſe præterita, præſentia expoſuiſſe, reuelaſſe futura. Huius vocem audire ſe, & quoties vellet conſpicere quoque, Socrates ipſe profeſſus eſt. Idem Charmidi Glauconis filio exercitij cauſſa ad Nemeam ſyluam profecturo, iter diſſuaſit: qua ſpreta admonitione, vitam Charmides amiſit. Quum eidem menſæ cum Timarcho aſſediſſet, & Timarchus bis è conuiuio ſurgere volens, ſemperque à Socrate prohibitus, occulte tandem ſe ſubtraxiſſet, Niciamque interemiſſet; quum ad mortem duceretur Timarchus, Clitomacho fratri confeſſus eſt eò moriendum ſibi quod Socrati dicto audiens non fuiſſet. Idem etiam Socrates quum apud Delium male pugnatum eſſet Lachete prætore, fugeretque cum ipſo Lachete; vt ventum eſt in triuium, eâdem quà ceteri fugere noluit. Quibus quærentibus cur non eadem

Socratis dæmoniũ.

via

via pergeret, deterreri se à Deo dixit. Tum quidem ij qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt. Idem diuina præsagitione cladem exercitus in Sicilia, itemque mortem Neoni & Thrasyllo in militiã contra Ioniam & Ephesum proficiscentibus prædixit; multaque alia pericula huius dæmonij beneficio tam à se quam ab amicis depulit, quæ nimis longum sit hoc loco enumerare. Ex quibus illud colligere licet, verum Spiritum fuisse dæmonium hoc Socraticum, non vero, vt quidam opinantur, ipsius mentem. nam & vocem, vti diximus, emisit, & semper dissuasit; quod secus est in mente, quæ modo suadet modo dissuadet, pro rerum conditione. Sunt vero hæc ipsius verba quæ apud Platonem descripta exstant: *Adest mihi diuina quadam sorte dæmonium quoddam, à prima pueritia me sequutum. hoc enim vox est quædam, quæ quum fit, eius quod fit dissuasionem innuit, impellit vero numquam. Quodsi quis amicorum aliquid mecum quandoque communicat, venitque vox, hoc illa dissuadet, nec facere sinit.* Alias multas Spirituum qualitates Plato enumerat, quas hoc loco recensere necessarium non putamus.

Socratis dæmonium an mens ipsius.

De alijs veterum quorumdam Philosophorum paradoxis, omnia spiritibus plena esse, deque eorum concordia & discordia bonos atque malos effectus promanare; eosque mortales esse.

CAPVT III.

Asclepiadis de spiritibus opinio.



MVLTORVM inter antiquos philosophos fuit opinio, spiritibus res omnes plenas esse, atque ex eorundem concordia & discordia tam naturales quam accidentales effectus prouenire. Primus hãc Asclepiades medicus diuulgauit, qui in facienda medicina spiritum auctoris in arte illa conscribenda, spiritum medici, in præscribendo medicamento, spiritum pharmacopœi in componendo, spiritum ægroti in sumendo, spiritum denique herbarum atque aliarum ad medicinam aptarum rerum concurrere omnes in compositione ac mistura illa, dixit: qui hoc modo vniti, vbi corpus ægri subierint, malis eiectis spiritibus bonos restituant, ac concordiæ vinculo inter se colligent, vnde postea sanitas exsistat. Idem statuit Morbum vel infirmitatem nihil aliud esse quam spirituum discordiam, qui corpus etiam sanum ingressi, subito illud infirmum faciant. Discordia enim actos huc illuc diffugere, quumque in hominis corpore nutriendo minime consentiant,

stupi-

ſtupidum illud, ac mille doloribus plenum relinquere; eaque mutua pugna carnem atque oſſa ita contabeſcere, vt corpus tandem moriatur, ſpirituum alijs cibi ſiue nutrimenti vias intercludentibus, alijs corporis humores alterantibus; alijs vt igneis, ſanguinem, alijs, vt aereis, flauam bilem ſiue choleram, alijs, vt terreis, pituitam, alijs, vt ſubterraneis, atram bilem inficientibus atque corrumpentibus; vnde grauiſſimi capitis dolores, vitia ſtomachi, neruorum contractiones vel ſpaſmus, tremor, reſpirãdi difficultas, renium ardores, febres, catarrhi, peſtilentiæ, ac mille alia morborum genera oriantur. Quod ſi vero ſpiritus omnes, tam medici quam medicamenti, atque in quo ignei pariter ſunt, aquatici, terreni, & alterius qualitatis, bene omnes inter ſe conueniant; quam primum corpore recepti fuerint, malos ſpiritus, qui vel ex frigore, vel calore, vel humore, vel ſicco morbum gignunt, expellere, operasque mutuas in corpore nutriendo, augendo, & ad priſtinhm ſanitatem reducendo tradere, idem auctor eſt. At ſi quandoque medici ſpiritus ignorantia quadam medicamentum eligere neſciant in quo ſpiritus apti ſint ad eos ſpiritus qui ægrum corpus affligunt expellendos; fieri ſæpe vt non tantum non conualeſcat æger, ſed etiam moriatur. Quare communem illam ſententiam, qua dicitur, Medicum bonum ſanum etiam eſſe oportere, inde natam eſſe, atque hoc velle, quod Medici qui ſemper ſanus fuerit perfecti ſint ſpiritus, eoque perfecte omnia cognoſcant quæ ad reconciliandos & ſanandos ſpiritus in alio corpore inter ſe pugnantes, per-

Medicus qualis eſſe debeat.

Pulchritũdo corporis perfectis spiritus. tes, pertinent. Spirituum vero perfectionem pulchritudo atque amabilis corporis alicuius aspectus arguit: hincque est quod multi eos medicos qui distorto sunt corpore ac vultu deformi fugiunt, econtra vero eos eligunt qui decenti sunt membrorum compositione, & grato atque liberali aspectu. In pulchro enim corpore spiritus quoque habitant docti atque perfecti: in deformi vero rudes, insulsi, ignorantia alijsque vitijs pleni: qui non tantum non pristinã valetudinem ægro, verum etiam mortem sæpe, cum ægri spiritibus infeste confligendo, adferunt: e contrario vero perfecti medici perfecti spiritus infirmi spiritibus amice ac concorditer sese applicantes, & ipsos tandem in concordiam redigunt, & sic pristinæ sanitatis sunt auctores. Quocirca fides illa siue confidentia, quam æger habet in medico, sanitatem ei sæpe adfert: diffidentia vero atque auersatio non morbum tantum in longum alit, sed vitam interdum ægri extinguit: cuius rei caussa alia nulla dari possit quam mutua illa spirituum vel cõcordia vel dissidium. Rabbi Achiba & Cabalista Iudæus in eadem est opinione, omnia scilicet spiritibus plena esse, qui omnia operentur. Eos in terra si concordes fuerint semina producere, spicas fecundare, arbores folijs ac fructibus, terram floribus vestire, fructus percoquere ac maturare; sin discordes, herbis virorem, arboribus folia, floribus ornatum, omnibus denique terra nascentibus vitam quasi auferre. Spiritus sapiẽtes, vniti ac concordes faciunt scaturire fontes, currere flumina; stulti verò, insipientes ac discordes eadem exsiccant, aquam turbidam, insipidam,

Confidentia in medicum ægrũ sanat.

Achibæ Iudæi opinio.

dam atque amaram immo mortiferam reddunt. Aeris puri ac sereni nulla alia caussa est quam spirituum in eo concordia; quorum eorundē discordia & conflictu idem obnubilatur, excitantur tonitrua, fulgura crebra micant, effunduntur imbres, venti ac procellæ veluti turbine quodam feruntur, horribiles denique tempestates mortalium animos terrēt. Et vt boni & concordes spiritus sanitatem, vigorem, fecunditatem; ita mali & discordes omnis generis morbos, tristitiam, abortus, sterilitatem, mortem denique afferunt. Spirituū discordia exsiccat plantas, herbas extinguit, occidit pisces, volucres deplumat, omnia denique ex elementis composita interimit. Magus Abram Auenzara & Rabbi Azariel quærunt, vnde fiat, vt sæpe quis vno tantum hominis aspectu ita exardescat vt nihil fieri possit ardentius; sic vt non tantum benefacere ei, verum etiam filium, patrem aut fratrem sibi exoptet? Id à spiritibus proficisci aiunt, qui quum amici sint & conformes, tantopere mutua societate atque vnione delectentur. Vice versa accidit nonnumquam vt quis ab altero ita abhorreat, vt nec adspicere, nec quidquam commercij cum eo habere velit, non quod ab eo læsus, sed quod occulto illo spirituum dissidio ad odium eius incitetur, cuius amicitiam alij non modo non auersantur, sed & vltrò atque vnicè expetunt. Quot iudices reorum aspectu ita iritantur, vt sæpè nondum audita caussa condemnandi eos occasionem quærant atque optent? E contra quam multi alij iudicis munus, quum apud omnes honorificum, tum ad faciendam rem accommodatum, & tribunal

Amor subitus vnde nascatur.

Iudices vnde ament aut oderint litigantes.

tribunal refugiunt, ne in eum quem amant sententiam ferre cogantur? quod si declinare nequeant; quàm dolent? adeo vt ipsi damnati videantur. quæ caussa multos sæpe impellit vt gratiæ plus quam iustitiæ amori in iudicando concedant. Quoties fit vt principes nouitium aliquem aulicum diuitijs ac dignitatibus pęne obruant, at multorum annorum ministrum, qui capitis non semel pro hero periculum subijt, ne teruncio quidem iuuent? Poeta aliquis, philosophus, historicus aut alio in genere litterarum apprime eruditus poema aliquod aut librum vbi multorum annorum lucubrationibus conscripserit, & Principi alicui aut magnati dedicârit, operam atque oleum, quod dicitur, sæpe perdit, nec gratiam nec honorarium, quamuis à liberali ceteroqui principe, consequutus: econtra scurra aliquis & homo de triuio, ob ineptam inepte narratam fabulam, aut alium insulsum iocum, ingens ab eodem sæpe præmium reportat. Ecquæ rei tam inconuenientis tamque absurdæ caussa est? Saturnij, illi inquiunt, spiritus, paupertatis amantes, qui in docto illo viro reperiuntur, nec vt diues fiat permittũt, sed Iouialibus Principis illius & natura sua beneficis Spiritibus sese opponunt, eosque irritant, indicantes, vile esse quod bonus ille vir offerat opus, non cuius fertur auctoris, sed suppostititium & plagio compilatum, aut ab adulatione vel lucri spe profectum. At Mercuriales qui in altero illo sunt Spiritus, dum Principis Spiritibus opportune sese applicare student, facile gratiæ locum inueniunt, ac non beneuolentiam tantum, sed etiam

Principes cur alios plus alios minus ament.

dona

dona largiſſima eblandiuntur. Tandem, vt hoc concludam, ijdem illi eò dementiæ prolapſi ſunt, vt dicerent omnem illam in hoc hoc Mundo varietatem, omnes euentus, quæque extra ordinem contingunt, à concordia aut diſcordia Spirituum promanare. Verum hæc opinio fabuloſa eſt, & inepta, nec in Peripatetica aut Platonica etiam philoſophia vllum habet fundamentum: immò qui ſtatuerit diſcordiam & concordiam Spirituum cauſſam eſſe generationis aut corruptionis in rebus elementaribus, aut rerum in hoc Mundo contingentium, contra fidem profectò peccarit. Verum quidem eſt, pluuias, grandines, tempeſtates, atque alia eiuſmodi a Spiritibus excitari, id quod D. Auguſtinus quoque affirmat. Sic enim ſcribit: *Reſtat ea per angelica miniſteria moueri, ſimiliter ventos, pluuias, grandines, fulgura, tonitrua, tempeſtates, auras, iuſſu* Dei *per illos regi, qui dubitat, & ea ſenſibilia putat, hunc ratio ſtultum cum inſenſibilibus probat.* Idem Auguſtinus animalia Spirituum inſtigatione homini vel manſueta ſe præbere & ſubijcere, vel eius imperium fugere ac detrectare ait. Hæc enim ſunt ipſius verba: *Bruta quoque animalia vſibus humanis per illos obſecundare aut aduerſari qui non credunt, aut illa per rationalem intellectum hæc facere credunt, longè à ratione recedunt.* Et paullo inferius omnium rerum ſenſibilium atque inſenſibilium operationum cauſſam Spiritibus adſcribit. Sic enim loquitur: *Sed & cuncta quæ in rebus inſenſibilibus vel creaturis ſenſibilibus geruntur per illos adminiſtrari qui ambigit, multum à luce veritatis deſi-*

Aug. li. De cogn. vera vita, c. 6.

desipit. Sed idem monet, etiamsi vim suam atque operationem Angeli in naturæ rebus omnibus exserant; non tamen pro auctoribus aut creatoribus, sed tantum pro ministris diuinæ voluntatis habendos. Ait enim: *Angeli autem quos Platonici Deos libentius appellant, etiamsi adhibent vel iussi vel iniussi operationem suam rebus quæ gignuntur in mundo, tamen tam non eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum atque arborũ.* Neque enim spiritus vel boni vel mali quidquam agere aut efficere possunt sine permissione aut voluntate diuina; alioqui maligni spiritus omne hominum genus, immo omnes res à Deo creatas temporis momento oppressuri sint ac funditus euersuri. Idipsum testatur Augustinus, inquiens: *Sed nec boni angeli hæc, nisi quantum Deus iubet, nec mali hæc iniuste faciunt, nisi quantum iuste ipse permittit. nam iniqui malitia voluntatem iniustam; potestatem autem non nisi iuste accipit siue ad pœnam suam siue ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.* Et dæmones quidem instigare tantum & ad malum impellere, non vero humanam naturam cogere possunt, libero arbitrio à Deo donatam, quo voluntariè nobis vel exitium vel salutem possumus procurare. *Potest diabolus,* inquit idem Augustinus, *ad malum inuitare; non potest trahere. delectationem infert, non potestatem.* Hieronymus Cardanus in libro quodam de Dæmonijs tractans refert patrem suum Facium Cardanum, insignem incantatorem, spiritum coniurationibus ligatum triginta annorum spacio habuisse, eoque familiariter vsum, deque spirituũ natura accurate ab eodem edoctum, esse sci-

Angeli Dei ministri.

4. De ciuit. Dei, c. 24.

Spiritus sine Dei permissu nihil agere possunt.

Aug. ser. 7. de temp.

se scilicet eos mortales, quamuis longissimis vitæ spacijs hominem longè vincant. Inter alia narrat, sibi peractis solitæ coniurationis cæremonijs, domo egresso, quod fuit XIII. die Sextilis, anno MCCCCXCI. hora diei vicesima, septem homines sericis vestibus, pallijs Græcorum more, ceteroque amictu purpurei coloris vestitos, tum forma & statura humana augustiori, apparuisse. Ex his duos, ceteris, quantum videbatur, nobiliores, agmen præcessisse, vnum magnum admodum & rubicundo, alterum longe minorem & pallido colore. Coniectura ætatis ex facie sumta, visos fuisse quadraginta circiter annos natos. Rogatos ab incantatore qui essent, respondisse aereos se esse homines, & vt homines nasci atque mori, magis tamen esse longæuos, sic vt trecentos quoque annos viuant. addebant, naturam ipsorum Dijs cœlestibus magis esse coniunctam & vicinam quam hominum terrestrium; esse nihilominus inter ipsos & Deos differentiam & interuallum quasi infinitum. Præterea, tanto hominibus esse vel beatiores vel miseriores, quanto hi brutis animantibus: nihil ipsos latere. Scire enim vbi thesauri & libri aliaque in occulto lateant; non tamen propterea horum quidquam homini reuelare audere, ob legem inuiolabilem ea de re inter ipsos constitutam. Celeberrimorum hominũ qui in hoc Mundo vixerint genios infimo esse apud ipsos loco, eo scilicet quẽ inter homines equiso aut mediastinus aliquis tenet. Porrò quum subtilissimo sint corpore & tenui admodum, parum vel emolumenti vel incommodi ad vitam hominum adferre posse, nisi quod spectris, laruis

& præstigijs homines quandoque perterrefaciant. Scientiam tamen atque doctrinam, qua imprimis instructi sint, communicare nonnunquam. Gymnasia etiam apud illos esse siue Academias: alios ducentis, alios trecentis spiritibus erudiendis esse appositos. Vltra tres hoc incantatoris cum dæmonibus colloquium durauit, quo multa ac varia de Mundi huius structura ab eis est expiscatus. E prædictis illis duobus alter maior atque augustior Mundum ab æterno à Deo conditum negabat; alter econtra omnibus momentis creatum, atque adeo si vel vno momento creatio cessaret, totum statim dilapsurum affirmabat, multis locis ex Auerrois libris atque aliorum etiam qui tum nondum vulgati erant, neque etiam partim adhuc cogniti sunt, allegatis. Sed hanc de spiritibus opinionem, mortales scilicet eos esse, non primus Cardanus commentus est, sed ea antiquorum etiam philosophorum, atque in primis Platonicorum fuit. Rabbi Auot Nathan ait, dæmones tria habere cum hominibus communia, cibo atque potu, tum etiam Venere vti ac procreare, tandem mori. Similiter Porphyrius, Proclo teste, mortales esse dæmonas existimauit, & qui longissime, non vltra mille annos vitam producere. Idem Plutarchus in libro De oraculorum defectu scribit, spirituum vitam limitatam esse suisque terminis circumscriptam: qua de re mirabilem scribit historiam, videlicet Epithersen quemdam sibi narrasse, quum in Italiam nauigaret, & ad insulas Echinadas peruenisset, vesperi mari placido & tranquillo vocem esse auditam cuiusdam Thamum apppellantis.

Plutarchus De oraculorum defectu.

Erat

Erat autem is Thamus gubernator nauis AEgyptius, non omnibus vectoribus notus. qui quum bis appellatus tacuisset, atque ad tertiam appellationem respondisset, eum cuius erat illa vox, summa vocis contentione ita loquutum esse: Vbi ad Palodes delatus fueris, nuntiato Pana magnum diem suum obijsse. qua voce audita, primum omnes qui in naui erant, metu perculsos esse ac perterritos; deinde consultasse vtrum præstaret, eine voci obtemperare, an totam rem negligere. Re inter eos communicata & consultando agitata, ad extremum placuisse, vt Thamus quod iussus esset faceret, maxime si tum quum ad locũ illum peruenisset, malacia esset. itaque fecisse, & quã clarissima potuit voce proclamasse, magnum Pana obijsse. Vix dũ clamandi finẽ fecerat, quum ingentẽ auditum esse nõ vnius, sed veluti cõplurium hominũ gemitum. Hanc eandẽ ob caussam multi crediderunt oraculorũ defectũ dæmoniorũ morti adscribẽdum: immo vt corporis, ita animorũ vires senescere atq; ætatis vitio debilitari: vnde postea responsa dentur mutila ac plane nullius momenti. Pyrrho quidẽ regnante Apollinẽ Pythiũ tersissimis versibus consulentibus respondisse; postea vero soluta ac pedestri oratione, eaque inelegãte admodum atque imperfecta vsum. Sed hi omnes profecto, tum præcipue Cardanus, egregie à dæmonibus decepti sunt. quum enim spiritus à Deo creati sint immortales, nunquam profecto intermoriuntur. Credibile est eò tanta mendacia, præsertim quod ad mortem spirituum attinet, ab eis sparsa esse, vti animas quoque hominum mortales esse, miseris hominibus persuade-

& præſtigijs homines quandoque perterrefaciant. Scientiam tamen atque doctrinam, qua inprimis instructi ſint, communicare nonnunquam. Gymnaſia etiam apud illos eſſe ſiue Academias: alios ducentis, alios trecentis ſpiritibus erudiendis eſſe appoſitos. Vltra tres hoc incantatoris cum dæmonibus colloquium durauit, quo multa ac varia de Mundi huius ſtructura ab eis eſt expiſcatus. E prædictis illis duobus alter maior atque auguſtior Mundum ab æterno à Deo conditum negabat; alter econtra omnibus momentis creatum, atque adeo ſi vel vno momento creatio ceſſaret, totum ſtatim dilapſurum affirmabat, multis locis ex Auerrois libris atque aliorum etiam qui tum nondum vulgati erant, neque etiam partim adhuc cogniti ſunt, allegatis. Sed hanc de ſpiritibus opinionem, mortales ſcilicet eos eſſe, non primus Cardanus commentus eſt, ſed ea antiquorum etiam philoſophorum, atque in primis Platonicorum fuit. Rabbi Auot Nathan ait, dæmones tria habere cum hominibus communia, cibo atque potu, tum etiam Venere vti ac procreare, tandem mori. Similiter Porphyrius, Proclo teſte, mortales eſſe dæmonas exiſtimauit, & qui longiſſime, non vltra mille annos vitam producere. Idem Plutarchus in libro De oraculorum defectu ſcribit, ſpirituum vitam limitatam eſſe ſuisque terminis circumſcriptam: qua de re mirabilem ſcribit hiſtoriam, videlicet Epitherſen quemdam ſibi narraſſe, quum in Italiam nauigaret, & ad inſulas Echinadas perueniſſet, veſperi mari placido & tranquillo vocem eſſe auditam cuiuſdam Thamum apppellantis.

Plutarchus De oraculorum defectu.

Erat

Erat autem is Thamus gubernator nauis AEgyptius, non omnibus vectoribus notus. qui quum bis appellatus tacuisset, atque ad tertiam appellationem respondisset, eum cuius erat illa vox, summa vocis contentione ita loquutum esse: Vbi ad Palodes delatus fueris, nuntiato Pana magnum diem suum obijsse. qua voce audita, primum omnes qui in naui erant, metu perculsos esse ac perterritos; deinde consultasse vtrum præstaret, eine voci obtemperare, an totam rem negligere. Re inter eos communicata & consultando agitata, ad extremum placuisse, vt Thamus quod iussus esset faceret, maxime si tum quum ad locũ illum peruenisset, malacia esset. itaque fecisse, & quã clarissima potuit voce proclamasse, magnum Pana obijsse. Vix dũ clamandi finẽ fecerat, quum ingentẽ auditum esse nõ vnius, sed veluti cõplurium hominũ gemitum. Hanc eandẽ ob caussam multi crediderunt oraculorũ defectũ dæmoniorũ morti adscribẽdum: immo vt corporis, ita animorũ vires senescere atq; ætatis vitio debilitari: vnde postea responsa dentur mutila ac plane nullius momenti. Pyrrho quidẽ regnante Apollinẽ Pythiũ tersissimis versibus consulentibus respondisse; postea vero soluta ac pedestri oratione, eaque inelegãte admodum atque imperfecta vsum. Sed hi omnes profecto, tum præcipue Cardanus, egregie à dæmonibus decepti sunt. quum enim spiritus à Deo creati sint immortales, nunquam profecto intermoriuntur. Credibile est eò tanta mendacia, præsertim quod ad mortem spirituum attinet, ab eis sparsa esse, vti animas quoque hominum mortales esse, miseris hominibus per-

 suado-

suaderent: qui sane impius est atque abominabilis error. Cur vero oracula cessarint ac plane veluti extincta sint, non alia caussa est quam Christi Domini ac Saluatoris nostri aduentus, qui Satanæ atque idolis omnibus æternum silentium imposuit; tum principi dæmoniorum post excessum suum ex hoc Mundo, omne imperium ac potestatem nullo vmquam tempore restituendam ademit.

Oracula cur obmutuerint.

Spiritus esse, rationibus Philosophicis & naturalibus probatur.

CAPVT IV.



CERTVM est eum qui diligenti trutina rem ipsam expenderit, de Spiritibus & Angelis quin sint ambigere nõ posse. Etenim quum Deus incorporeus sit atque inuisibilis, atque in rebus corporalibus atque sensibilibus tot res intermedias produxerit, vti supra demonstrauimus: quis neget idem in rebus intelligibilibus ab eo factum? quæ & nobiliores sunt ac sublimiores, tum ad declarãdam creatoris omnipotentiam aptiores. Quocirca valde ab omni ratione alienum fuerit, altissimum illum Deum tot modis totque creaturis homini nobilitatem suam ac magnificentiam demonstrare voluisse; se ipsum vero tam arcta atque angusta conditione obli-

ne obligasse, vt inter se & hominem nullum intermedium animal rationale, homine multo perfectius, creârit, cuius opera in gubernanda hac Mundi machina vteretur. Sed quid opus est verbis, quum rerum ipsarum testimonia adsint? Cœlos quidem tâta celeritate moueri videmus, quanta aliunde nisi à spiritu quodam & mente, proficisci non posset. Annon corpus hominis videmus regi, & bene quidem regi non posse, nisi magistra ratio adsit? Quare si Deus tot spiritus siue intelligentias cœlestes creauit quot corpora sunt cœlestia, vt philosophi omnes concedunt, quæ diuersis, sed statis ac bene dispositis cursibus vniuersum hoc regunt, ac Dei voluntatem suúque munus in conseruandis huius Mundi rebus exsequuntur: credibile sane est etiam multos alios & quasi infinitos ab eo spiritus creatos esse, qui multo ipsi viciniores, & supra omnes sphæras cœlestes exaltati, incomprehensibilem illam gloriam & perfectam beatitudinem immensæ æternitatis contemplentur, atque ex hac diuinæ maiestatis contêplatione incredibile gaudiũ percipiât. Quod si vt philosophis placet, res omnes anima dotatæ sunt; fatendum quoque fuerit immensam aeris ab imo terrę globo ad lunam vsque pertingentis regionem itidem animatam esse. quare vel vnam, vel plures animas habebit. Vnam vero solam esse animam atque vnum tantum spiritum aeris, nemo sanus dixerit. nam si vna sola sit, ab vna quoque tantum parte, atque vno motu, non vero contrarijs motibus, quod fieri videmus, ciebitur. Primum enim mobile siue vltimum cœlum ab ortu in occasum

Corpora cœlestia à qu. moueantur.

tendit, omniaque secum circumagit, econtra sol, luna ac reliqui planetæ huic quasi obnitentes, ab occasu versus ortum feruntur. Idem in omnibus hominibus atque animalibus deprehenditur, quorum nullum eodem temporis momento contrario motu mouetur, nec moueri potest, neque enim dum progreditur, eodem tempore idem regredietur. quin ita omnes sentiunt philosophi, si vllũ animal nasceretur, partes corporis siue membra ita diuisa habens, vt contrarijs motibus ferri queant, subito id atque è vestigio moriturum; quum res hæc naturæ perfectioni plane repugnet, ac monstri plena sit. Ex quo patet aerem, quem in contrarias partes moueri videmus, à multis spiritibus siue naturis intelligentibus inhabitari, etiamsi modum aut formam huius inhabitationis scire nequeamus. Quæ tamen ita disputantur, non quod spiritus illi in aere, sed in cœlo empyreo creati sint, vt capite VIII. amplius dicetur. Præterea illud quoque consideratione dignum est, si aer spiritibus careat, Deo vel potestatem vel voluntatem creandi illos defuisse. non potuisse Deum illos creare, impius sit atq; nefarius qui vel cogitare ausit; nó voluisse, à ratione abhorret. Quum enim Deus terram atque aquam, quarum spacia aeris respectu angusta valde sunt, tot tantisque animalibus, ac rebus vita ac sensu præditis ferme innumerabilibus repleuerit: quis sana mente dubitet quin in spacioso hoc & immenso aeris campo, plus quam decem partibus terra atque aqua maiori, multæ ab eodem habitatorum legiones sint collocatæ? Quod nisi esset, idem larga aeris

Animal motu cõtrario moueri nõ potest.

Aër Spirituum plenus & cur

ga aeris

ga aeris ſpacia reſtrinxiſſet, econtra terræ atque aquæ pomœria veluti dilataſſet, ac terminos, vt tanto melius viuentium animarum veluti copias innumerabiles poſſent capere, protuliſſet. Quod quum ille non fecerit, ipſa ſane ratio euidenter oſtendere videtur, aerem viuentium animarum plenum eſſe. Sed & hoc non leuis eſt momenti, cur ſpiritus eſſe credamus. Quum enim Deus ille ſit æternus & incomprehenſibilis, qui vt cauſſa rerum omnium vniuerſalis omnia regit & à nemine regitur; homo vero, plantæ, beſtiæ, elementa, omneſque aliæ res ſenſibiles regantur tantum, non regant: ſtatuendum ſane videtur naturam quandam eſſe intermediam, quæ inferiora hæc gubernet, à ſuperioribus vero gubernetur: quæ ſanè alia nulla eſſe poteſt, quam mens quædam ſiue ratio intelligẽs. Et quemadmodum in Natura corpora quædam ſunt inanima, vt ſaxa, alia vero intellectum habent, vt homo; ita conueniens ſane videtur vt intellectus ſint ſiue ſpiritus corporibus carentes. Sed & ſpiritus eſſe ſomnia, ea præſertim quæ rerum futurarum vaticinium habẽt, demonſtrant. neque enim euentus tam apte rebus ipſis reſpondiſſet, niſi diuinitus per bonos aut malos ſpiritus, Deo permittẽte immitterẽtur atq; repręſentarentur. Plurimis exemplis antiqua hiſtoria referta eſt ſapientiſſimorum hominum, veraciũ ac minime ſuperſtitioſorum, Ariſtotelis, Platonis, Hippocratis, Galeni, Plinij, Socratis, Plutarchi, Diogenis Laertij, Themiſtoclis, Alexandri Aphrodiſienſis, Titi Liuij, aliorum: è quibus aliquammulta recenſere operæ precium videtur.

Somnia Spiritus eſſe demonſtrant.

Somnium Eudemi. Scribit Aristoteles Eudemum Cyprium familiarem suum iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quæ erat vrbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur. in eo igitur oppido ita grauiter ægrum Eudemum fuisse, vt omnes medici diffiderent. ei visum esse in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore vt breui conualesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consequuta, & conualuisse Eudemum, & ab vxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, quum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, prœliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, vt quum animus Eudemi ex corpore excesserit, tum domum reuertisse videatur. Galeni pater somnio admonitus vt medicinæ studio filium applicaret, quum obtemperasset, quam præstantem dedit medicum? qui diuinis scriptis artem illam mirifice auxit atque exornauit. Galeni. Idem Galenus acerrimos sentiens manus dolores, somnio commonefactus est vt venam siue arteriam quæ inter indicem est & pollicem incideret: quod quum fecisset, conualuit, vt ipse in libro De venæ sectione scriptũ reliquit: qui idẽ alio somnio monitum De videndi ratione quoque scripsisse se testatur. Sophoclis. Annon Sophocles quum ex æde Herculis patera aurea grauis surrepta esset, in somnis dæmonio monstrante, eum vidit qui furtum id

fecisset?

fecisset? quod semel ille iterumque neglexit: vbi idem sæpius; ascendit in Areopagum, detulit rem. Areopagitæ comprehendi iubent eum qui à Sophocle erat nominatus. is quæstione adhibita, confessus est, pateramque retulit: quo facto, fanum illud Herculis Indicis nominatum est. Quid vero Simonidis hoc quod sequitur somnio ad hanc de spiritibus quæstionem probandam inueniri potest certius? qui quum ignotum quemdam proiectum mortuum vidisset, eumque humauisset, haberetque in animo nauem conscendere, moneri visus est ne id faceret, ab eo quem sepultura affecerat: si nauigasset, eum naufragio esse periturum. itaque Simonidem redijsse, perijsse ceteros qui tum nauigassent, magna cum eorum admiratione quibus Simonides rem antea aperuerat. Apud Cælium in historia scriptum est, Ptolemæum I. dum Alexandriam muris cingeret, à iuuene venustissimo atque igneo in somnis admonitum vt statuam è Ponto eò transferret. sic enim fore vt ciuitatis illius diuitiæ in immēsum augeantur, ac in prospero diu maneat statu. neglecto primum somnio idem rex denuo & minacioribus etiam verbis, eadem de re est admonitus. Quare Timotheum quendam Atheniensem ad se accersiuit, exque eo quæsiuit cuiusnam dei putaret illam esse quam in Ponto quærere iuberetur, statuam. Is mercatorum quorumdam relatu cognouisse se dixit, apud Sinopenses antiquissimum esse templum, inque eo Iouis cognomine Opulenti statuam, quam somnium fortasse innuerit. Somnij cura iterum dimissa, idem iuuenis magis terribili spe-

Simonides.

Ptolemæi.

bili specie regi in somnis apparuit. Quare perterritus, & Delphico oraculo edoctus, Iouis eam esse statuam, legatos ad regem eius loci misit qui Iouis Opulenti statuam ab eo impetrarent. Qua denegata, eumdem illum iuuenem qui Ptolemæo antea apparuerat, Sinopensium regi in somnis apparuisse, & non minas tantum, sed etiã grauissimum morbum inflixisse, ita vt coactus rem omnem ciuibus enarrarit, & quamuis inuita tota ciuitate, Ptolemæi legatis honorificentissime ad nauim vsque deductis, prędictam statuam concesserit; cui aduectæ Alexandrini templum valde magnificum erexerunt. Aliud est non minus clarum apud Ciceronem perscriptum somnium. Quum duo quidã Arcades familiares iter vnà facerent, & Megaram venissent, alterum ad cauponem diuertisse, ad hospitem alterum. Qui vt cœnati quieuerant, concubia nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio, illum alterum orare vt subueniret, quia sibi à caupone interitus pararetur. eum primo perterritum somnio surrexisse, deinde quum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur. se interfectum in plaustrum à caupone esse coniectum, & suprà stercus iniectum; petere vt mane ad portam adesset prius quam plaustrum ex oppido exiret. hoc vero somnio eum cõmotum mane bubulco pręsto ad portam fuisse, quæsisse ex eo quid esset in plaustro; illum perterritũ fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta pœnas dedisse. Alexander

Arcadis cuiusdam.

xander philoſophus minime ſuperſtitioſus ſimile de ſe narrat, ſibi ſcilicet nocte quadam matris exſequias in ſomnis viſas eſſe; vnde magno cum dolore multiſque lachrimis expergefactus, rem ſocijs narrarit. poſtea notato tempore, eo ipſo die matrem ſuam, quam viuere adhuc omnes abſentes exiſtimabant, ſepultam eſſe, ex amicorum epiſtolis deprehendiſſe. Non minus notabile Syllæ fuit ſomnium, qui nocte quadam à ſomno expergefactus, percepta dæmonij voce (quod triſte fuit apud Romanos mortis augurium) ſubito exſiluit, conuocatiſque amicis & cognatis ſequenti mane teſtamentum ſine vlla mora ſcripſit, mortem non longe abeſſe, vtcumque ſano adhuc vteretur corpore, certus. nec euentus defuit: ſiquidem is ſequenti nocte febri extinctus eſt. Socrates, vt apud Pauſaniam eſt, ea nocte quæ diem illum quo Plato in ſcholam ipſius deductus eſt, præceſsit, cycnum cãdidiſsimum, dulciſsimo cantu omnem aerem vicinum mulcentem, in ſinum ſuum aduolaſſe ſomniauit: at vbi primum puerum aſpexit, ſomnio parentibus narrato, quid de illo ſperandum eſſet, veriſsimo euentu prædixit. Aſpaſia Hermotimi Phocenſis pulcherrimæ formæ filia, à patre pauperculo in magna rerum omnium inopia educata fuit. Euenit vt puellæ in mento tumor quidam atque vlcus naſceretur, quod non faciem tantum ac formam deturpabat, verum etiam incredibiles ei dolores adferebat. Quocirca à patre ad medicum, hominem doctum ac valde peritum, deductæ, idem ſpem priſtinæ ſanitatis fecit, poſtulata tamen ingenti mercede: quam quum pater exſoluere non poſſet, puellam

Alexandri philoſophi.

Syllæ.

Socratis.

Aſpaſiæ.

Ælianus lib. 12. var. hiſt.

puellam domum insanatã reduxit. Quæ quum luctu ac doloribus plena incœnata cubitum cõcessisset, in somnis mulierem videre sibi visa est, vt bono esset animo, & si sanari cuperet, rosæ partes contusas vlceri siue tumori imponeret, cohortantem. Id quum illa è somno excita fecisset, breui non valetudinem tantum pristinam recuperauit, sed etiam tantam formæ elegantiam ac venustatẽ nacta est, vt à Cyro Persarum rege, ac deinde ab Artaxerxe in coniugem ducta sit, vt AElianus scribit. Plinius rem admirationis plenam, quæ suo tempore contigerit, recenset: mulierem scilicet quampiam somniasse rosæ syluestris radicem, priori die in horto à se inuentam, & filio propinatam saluti fuisse. Qua de re ad filium in Hispania tum militantem statim ipsa perscripsit, vtque si quid morbi pateretur, eo pharmaco vteretur monuit. eo ipso tempore quo matris litteras filius accepit, à rabido cane morsus fuerat, iamque hydrophobia corripi & ad exitium vergere incipiebat: quum prædicto potu hausto, ex orco quasi est reuocatus.

M. Artorij. Duobus exercitibus, vno Octauiani Augusti & Antonij, altero Cassij & Bruti, in campis Philippicis aduersa acie stantibus, ea nocte quæ prœlium antecessit M. Artorius Augusti medicus in somnis à Minerua moneri visus est, diceret Augusto ne prœlio, quamuis æger, interesse detrectaret. Sic enim fore non tantum vt conualescat, sed etiam ingẽs effugiat infortunium. Quod vbi Augustus intellexit; statim è lectica in equum ascendit, & strenui imperatoris officio ac laboribus perfunctus, & morbum discussit, & mortis peri-

Sabell. li. 7. Ennead. 4.

periculum euasit. Lectica enim ipsius à Bruti militibus, dominum ea vehi existimantibus, deprehensa & concisa est. Calpurnia Iulij Cæsaris vxor maritum in somnis vidit multis vulneribus confossum iacentem. vnde territa, multis precibus maritum obsecrauit ne sequenti die in curiam ingrederetur. cui quum non obedisset Cæsar, a Cassio & Bruto ceterisque coniuratis crudeliter est interfectus. Sfortia, vt Iouius refert, anno salutis M C C C C X X V. pridie quam Orthona contra Braccium Aquileiam tum obsidentem moueret, sub ipsam auroram somniauit in rapidum flumen se delapsum, frustra auxilium ab ingentis staturæ viro, qualis S. Christophorus fere pingitur, in aduersa ripa stante, petere. Excitus, somniumque negligens, postridie dum puerum in flumen ad castellum Pescaram prolapsum iuuare vult, vnà cum equo tam alte cœno se immersit, vt armorum pondere grauatus eluctari non posset, atque ita in stagno suffocatus perierit. Idem M. Antonio Torello Guastallæ Comiti accidisse legitur, qui eiusdem periculi in somno admonitus, quum somnium itidem contemsisset, ac sequenti die natationis gratia, qua multum delectabatur, in lacum, in quo complures ipsius comitum natabant, sese immisisset, prius aqua haustus perijt quam sociorum quisquam opem ei ferre posset. Alcibiadis quod à Probo, Iustino & Plutarcho scribitur somnium? qui paullo ante necem, à Tismenio & Bagoa à Critia summissis, ipsi illatam, visus sibi est in somnis amicæ esse amictus amiculo. is deinde quum proiectus esset inhumatus, ab omnibusque

Calpurnia

Sfortia.

M. Antonij Torelli.

Fulgos. lib. 1. ca. 5.

Alcibiadis

que desertus iaceret, amica corpus eius suo texit pallio. Non minus admirabile fuit Crœsi quod apud Herodotum & Valerium Maximum exstat somnium. Nam è duobus filijs & ingenti agilitate & corporis dotibus præstantiorem imperijque successioni destinatum Atym, somniauit ferro sibi ereptum. Itaque quidquid ad euitandam denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella mitti. domi retentus est. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum. id quoque amoueri iussit. Gladio cinctis comitibus vtebatur, vetiti sunt propius accedere. euentum nihilominus somnium habuit. Quum enim ingentis magnitudinis aper vicinam regionem crebra cum agrestium strage vastaret, insitatoque malo regium imploratum esset auxilium: filius à patre extorsit vt ad eum opprimendum mitteretur. Dum ita acri studio interficiendi aprum omnes sunt intenti, Adrastus lanceam petendæ feræ gratia emissam in eum tristi errore detorsit: quo ictu exanimatus iuuenis somnio fidem fecit. Aterius Rufus eques Romanus, quum gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem retiarij se manu confodi vidit, idque postero die in spectaculo consessoribus narrauit. Incidit deinde vt proximo ab equite loco retiarius cum mirmyllone introduceretur; cuius quum faciem vidisset, idem dixit ab illo se retiario trucidari putasse: protenusque inde discedere voluit. Illi sermone suo metu eius discusso, caussam exitij misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compul-

Crœsi. Valer. Max lib. 1. cap. 7.

Aterij Rufi Valer. Max. ibidē

compulso mirmyllone & abiecto, dum iacentem ferire conatur, traiectum gladio Aterium interemit. Iulius Cæsar paullo antequam interfectus esset, vt Suetonius narrat, in somnis supra nubes se vehi, & Iouis manum tangere sibi visus est. Q. Catulus per quietem Iouem vidit in pueri cuiusdam manus Romani populi insignia tradentem. alia deinde nocte eundem puerum vidit in Iouis gremio recubantem: quem quum Catulus detrahere vellet, à Ioue admonitus est ne puero vim faceret, quem ad salutem Romani Imperij tuendam reseruasset. Sequenti die quum idem Catulus in Octauianum Augustum tum puerum adhuc incidisset, statim hunc eum esse quem in Iouis gremio cubantem vidisset, exclamauit. Cambysi, Persarum regi, vt scriptum est ab Herodoto, Smerdis fratris regio solio insidentis, & capite sidera tangentis species in somnis oblata est. Quare metuens ne à fratre regno deturbaretur, Prexaspem ad eum occidendum misit. nihil tamen effecit. alius enim Smerdes magus, Cyri filium se ferens, regnum occupauit: Cambyses vero dum equum conscendit, cultello in coxēdice vulneratus, miserabiliter mortuus est. Amilcar dux Carthaginiēsium quum oppugnaret Syracusas, inter somnium vocem audire sibi visus est nunciantem, futurum vt proximo die in ea vrbe cœnaret. Lætus igitur perinde ac diuinitus promissa victoria (sic enim aruspices interpretati fuerant) exercitum ad pugnam instruxit; in quo inter Siculos & Pœnos orta dissensione, Syracusani improuisa in castra irruptione, castra oppresserunt, ipsumque captum

Iulij Cæsaris.

Q. Catuli.

Cambysis.

Amilcaris.

captum & vinctum Amilcarem intra mœnia pertraxerunt. Aliud est apud Ciceronem, T. Liuium, Valerium Maximum, Plutarchum & alios Romanarum rerum scriptores, Atinij cuiusdam è plebe hominis tale somnium. Quum ludis votiuis bello Latino populus consedisset, seruus per circum, quum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis, idque ab eodem iussum esse eum senatui nuntiare: illum non ausum. iterum esse idem iussum, & monitum ne vim suam experiri vellet. ne tum quidem esse ausum. exin filium eius esse mortuum. eamdem in somnio admonitionem fuisse tertiam; tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse: quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum: quumque senatui somnium enarrauisset, pedibus suis magna cum omnium adspicientium admiratione, saluum domum reuertisse. Sexcenta alia eiusmodi exempla antiquis historiarum monumentis consignata proferre liceat, vt Ciceronis, Cyri, Phalaridis, Annibalis, Scipionis, C. Iulij Cæsaris, Augusti, Neronis, Pausaniæ, Themistoclis, Alexandri Magni, Xenophontis, aliorum, quibus referti sunt tam Græcorum quam Latinorum libri: sed hæc quæ commemorauimus sufficiunt ad demonstrandum, insomnia illa & visiones quarum apud SS. Patres Christianos frequens est mentio, non ab ijsdem ad conciliandam mendacio fidem confictas esse, sed vere atque infallibiliter ita contigisse. vnde certo certius intelligi potest Angelos esse & spiritus,

T. Atinij.

Cic. lib. 1. De diuina. Valer. Max. lib. 1. cap. 7. Liu. 2. Macrob. 1. Saturn.

ritus, mediæ inter nos & altiſſimum creatorem naturæ, quorum opera Deus ad conſolandos bonos, malos reprimendos ac puniendos, ac gloriam ſuam declarandam vtatur. Vnum tamen facere non poſſum quin ſuperioribus addam. id Hippocratis fuit medicorum principis, veritatis, ſi quisquam inter omnes ſcriptores, amantiſſimi. Is ait, nocte quadam quum ob morbum Democriti amici plenus curarum cubitum iuiſſet, Æſculapium in ſomno ſibi apparuiſſe, quem dextra apprehenſum multis precibus obteſtatus ſit vt ad ſanandum Democritum ire ſecum vellet; illum nihil ſua præſentia opus eſſe dixiſſe, ſed feminam profectionis comitem monſtraſſe. Illam manu ipſius apprehenſa, quum non procul à foribus Democriti abeſſet, ſubito diſparuiſſe, cum his verbis: Mane tecum Democritum inuiſam. Rogatam à ſe quænam eſſet, Veritatem ſe eſſe dixiſſe, illam vero alteram, quæ non longe inde deſtiterat, Opinionem vocari, & apud Abderitas habitare. Expergefactus Hippocrates ſomnium ſibi ita eſt interpretatus: non opus habere Democritum medico, quum Deus medicinæ ipſe inde diſceſſerit: Veritatem vero, Democritum ſanum eſſe, apud ipſum Democritum, Opinionem vero, Democritum ægrotare, apud Abderitas reperiri. Hæc ipſius ſunt verba: *Ego igitur, quum de ſomno ſurrexiſſem, mihi ipſe ſomniū interpretatus ſum, quod non indigeret medico Democritus, quādo ſane ipſe medēdi Deus inde diſceſsiſſet, veluti qui me dēdi occaſionē & materiā non haberet. Sed ipſa quidē veritas, quod Democritus ſanus ſit, apud Democritū manet, opinio vero, quod Democritus ægrotet,*

Hippocratis ſomniū.

reuera apud Abderitas habitat. Atque hæc vera esse, mi Philopœmen, credo, & sunt sane, & non contemno somnia, & maxime vbi ordinē cōseruant. Ea vero ita esse, experimento deprehensum est. Mirabitur fortasse aliquis, cur tot citatis è profanis scriptoribus insomniorum exemplis, ea quę in sacris litteris, & alijs Christianorum autorum libris plurima perscripta leguntur, prætermittam. Sed eorū reprehensionem effugere volui qui dicere poterant, Christianorum esse omnibus simpliciter quæ S. scriptura continentur fidem habere; mihi vero incumbere vt alijs etiam rationibus id quod probandum suscepi ostendam, quo Christianę doctrinæ veritas tanto magis elucescat. Si quis tamē & hæc addenda censet; plurima ei tam è veteris & noui testamenti libris quam SS. Patrum atque aliorum scriptis petere licet: vt sunt Eliæ, Iosephi, Nabuchodonosoris, Danielis, Dauidis, & aliorū insomnia, sed in primis Solomonis illud, quo Deo supplicans, toti Mundo admirabilem sapientiam est consequutus. Quid Euangelio? quam multa in eo diuina somnia memorātur? Iosephum Angelus in somno admonuit ne dubitaret B. Mariam virginem in sponsam acceptare, à Spiritu Sancto impręgnatam: eumdem in somnis Deus iussit cum infante & Maria matre in AEgyptū fugere; deinde mortuo Herode in Iudæam redire. Magos qui ad recens natum Saluatorem ab oriente venerāt, sanctus Angelus in somno deterruit ne Hierosolymas ad Herodem, sed per aliā viam in regionē suam reuerterentur. Complures aliæ visiones in ijsdem passim libris leguntur, vt senis illius Simeonis, vxoris Pilati, Petri & Paulli Apostolorum,

Cur auctor profanis exemplis vsus.

3. Reg. c. 3.

Luc. 1.

Matth. 1

Matth. 2.

Matth. 27.

rum, qui hoc modo & de rebus quibusdam cœlestibus & diuinis edocti, & Angelorũ ope ac ministerio è carceribus educti & compedibus liberati sunt. Sed præter hactenus à nobis allatas rationes alia sunt quæ Angelos esse & Spiritus euincunt: idque inprimis ex eorum operationibus alijsque prodigijs, quorum plenæ sunt historiæ, intelligi potest. Iulij Cæsaris temporibus Victoriæ simulacrum ab eodem in templo Mineruæ Elidensi positum & consecratum, humi deiectum atque euersum est. Antiochiæ in Syria bis in muris tantus hominum clamor, equorum hinnitus, clangor tubarum atque armorum sonitus est exauditus, vt vniuersa ciuitas hostem adesse iamq; irruptionem tentare rata, ad arma repente sit excitata. Idem Ptolemaide contigisse legitur, nec tamen vllum hominem aut equum visum. Pergami arma in adytis & subterraneis locis posita, sponte sonuerunt. Trallibus etiam in pauimento inter coagmenta lapidum in templo Victoriæ, vbi Cæsar statuam consecrarat, nata palma ostensa fuit. Quis hæc fecit nisi dæmones? quæ Cæsaris magnitudinem præsagientia huiuscemodi portentis Cæsari apud gentiles diuinos honores conciliare, atque ita in fœdissimum idololatriæ cœnum miseros multo profundius immergere voluerunt. Eorumdem opera effectum est, vt equi Cæsaris, ab omni pabulo abstinentes circa Rubiconis ripam tristes oberrarint, grandibus guttis, vt summus poeta ait, ora humectantes. Eisdē indicib. Capuæ ab ijs qui sepulcra demoliti fuerāt, in Capys à quo nomē & originē vrbs illa accepit, sepulcro tabula inuenta est cum hac inscriptione: *Quan-*

Prodigia à dæmonijs facta

Antiochia

Pergami.

Trallibus.

Cæsaris equi lachrymantur.

Capys sepulcrum.

ne: *Quando ossa Capys detecta erunt, Iulo prognatus manu consanguineorum necabitur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicabitur.* Ijdem dæmones in ludis ab Augusto Cæsaris honori post mortem consecratis, cometen, atque in eo stellam præfulgidam quasi animam Cęsaris in cœlum delatam, falsi iactatores per septem continuos dies ostenderunt. Multa alia de spirituum operationibus ac præstigijs in medium adferri possent, vt de Apollinis atque Isidis oraculis, quæ futura consulentibus prædicebāt, de Palladis simulacro, quod in vrbe Troia multo sudore manauit, deque *alijs* omnem humani ingenij captum excedentibus prodigijs atque ostentis; sed & hæc ad id quod volumus probandum satis sunt. Quę itidem in sacris litteris de eorum operationibus atque effectis scripta sunt omitto, vtpote quæ ita perspicua sunt vt omnem plane apud Christianos tollant dubitationem. Visibili enim forma Angeli passim apparuisse leguntur, vt Tobiæ filio, quem Angelus, cibū & potum vnà capiens, tam longo itinere duxit & reduxit, & præter alia multa beneficia patri ipsius cœco lucis vsum restituit. Non Angelus fuit qui vna nocte oēs Aegyptiorum primogenitos occidit? Cuius opera Danieli in leonum fouea sedenti cibus paratus fuit? Angeli profecto. Et Angelus fuit qui Lotho Sodomæ atque Gomorræ exitium nunciauit, vtque cum filiabus effugeret, monuit. Ad Abrahamum duo Angeli in hospitium diuerterunt, lotisque etiam pedibus manducarunt cum eo & biberunt. Angelus Balaamum absterruit ne in populum Israeliticum diras euomeret. Annon pythonissa spiritum sub

Angeli & eorum operationes è S. scriptura probantur.

Helisei

Helisei forma vi incantationis exciuit & videndum obtulit? Et Angelus, puto, fuit coruus ille qui prophetæ Heliæ latitanti victum apportauit. Iam paginæ fere omnes Noui Testamenti tam de bonis quam de malis Angelis loquuntur; vt de Gabriele, qui visibili forma Mariæ semper virgini quod in matrem Dei electa esset, annunciauit; de eo qui Christum Saluatorem nostrum in horto orantem confortauit; de eo qui compedes B. Petri Apostoli pedibus decussit, cumque è carcere eduxit; de eo qui Philippum Apostolum vt eunuchum reginæ Candaces baptizaret, asportauit; de illis qui à mulieribus & discipulis Christum in sepulcro quærentibus, candido vestitu amicti visi sunt; deque alijs, quos enumerare nimis longum hoc loco foret. Quid dicam de immundis spiritibus? qui quum humana corpora diu torsissent, omnipotente Dei ac Domini nostri manu in Euangelica historia passim eiecti leguntur: vt ille qui mutus erat & surdus: vt illi qui miserum Gergasenum per montes & syluas diu egerunt, atque ex homine exacti, porcos in mare præcipitarunt atque summerserunt. Vt iam nihil dicamus de plebeijs quibusdam hominibus, & vernaculæ linguæ vix peritis, qui tamen nescio quo spiritu incitati, & varijs linguis loqui auditi sunt, & futura multa prædixerunt, & aliorum secreta reuelarunt: vt Barth. Sibylla in Speculo suo narrat de muliere quadam hariolatrice, quæ Coroneæ, in Calabriæ ciuitate, Alphonso Aragonio eius regionis Duci, ea omnia memoriter dicere potuit quæ pridie cum Venetorum legato solus tractarat. Ex quibus omnibus liquido constare

à Nouo Testamento.

arbitror, Spiritus esse atque Angelos. quod si quis obstinate credere recuset; verendum sane fuerit, ne à teterrimis cacodæmonum legionibus in inferno cruciatus, magno id cum suo malo reipsa experiatur.

Epicureorum, Sadduceorum ac Peripateticorum rationes, quibus inducti, Spiritus vel Angelos esse negarunt, refelluntur.

CAPVT V.



EX ijs quæ hactenus à nobis dicta sunt, satis, puto, manifestus est Epicureorum, Sadduceorum ac Peripateticorum error, qui Spiritus non esse & ipsi crediderunt & alijs persuadere voluerunt. Nec vero vllius ponderis aut momenti sunt ab eis allatæ rationes. Quod enim dicunt, si Spiritus sint, necesse fore vt animam habeant & corpus, ac propterea visibiles sint: manifestæ falsitatis facile conuinci potest. Quis enim vel mediocriter in philosophia versatus nescit, substantiam reperiri intelligibilem, sine commistione aut applicatione elementorum? Nō minus friuolum est quod aiunt, si tantus esset Spirituum numerus, qui aerem ac cœlum repleret, fore vt laruis & præstigijs homines continuo terreantur. Idem enim qui res omnes creauit, easdem ita dispescuit ac distinxit, vt altera alteri nō sit impedimento, sed vt omnes pariter inter se con-

Substātia intelligēdi incorporea

Rerum naturalium ordo.

consentiant, atque admirabilem efficiant concentum, vt in aquæ elemento videre licet, quod licet multo sit maius terra, non tamen eam inundat aut submergit, sed intra fines à supero illo opifice constitutos se continet, per ipsius terræ viscera heic fontem, illic fluuium, alibi riuum, vel etiam lacum, tam ad hominum commoda, quam Mundi huius inferioris ornatum ebulliens atque effundens. Quid mirum igitur, si Spiritus, quamuis magno numero, nec terrore aliquo nec incommodo afficere possint homines, etiam à quibus deridentur ac maledictis proscinduntur, quum vis eorum ac potestas terminos à diuina voluntate præfixos transgredi nequeat? Hinc est quod in Iobi historia Sathanas dicit, vniuersum se Mundum circuisse; non tamen dicit vlli creaturarum se nocuisse: ad quod ei non voluntas sed facultas tum defuerat. nec vero in Iob prius extendere manum ausus fuit quam à Deo id permissum esset, qui etiam heic certos ei limites posuit, ac primum in fortunas tantum potestatem dedit, quando ait: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.* Denique quum hoc etiam Deus Sathanæ concessisset vt patientissime bonorum iacturam ferentis corpus quoque vexaret, ne animam ipsius tangeret mandauit. Vnde profecto liquet Luciferi ac satellitum ipsius potestatem certis limitibus à Deo esse circumscriptam: qui etsi vel vno momento Mundum vniuersum obire, tamen ne pilum quidem homini eripere, aut vlli creaturæ, nisi Dei permissu, nocere possunt. Quod si quandoque Deus permittit vt à Sathana aliquis torqueatur; non

Dei prouidentia.

Iob ca. 1.

Sathanæ potestas à Deo limitata.

Dæmones quibus medijs vtãtur ad nocendũ homini.

propterea cogitandum eſt id veneficarum, multo minus lunæ decreſcentis vi effici, quamuis homo vno tempore plus, alio minus exagitetur. Omnia enim temporum momenta inimicus ſpiritus captat & obſeruat, quum ne ſeipſum prodat, tum vt Lunam atque ſtellas, Dei, cui ipſe rebellat, creaturas, infamia hac & probro, quaſi homini noxiæ ſint, aſpergat. Præterea quum dæmones non quidquam niſi Naturæ vi operari atque efficere poſſint: hominis phanthaſiam augeſcente vel decreſcente Luna, aut ſub quocumque alio poſitu ſiderum perturbant maxime atque infeſtant, eo ſcilicet tempore quo cerebrum maxime aptum eſt ac diſpoſitum ad id quod imprimere ipſi cupiunt, recipiendum. Iam quod Angelorum creationis in libro Originum ſiue Geneſi nulla fit mentio, parum quoque ad Sadduceorum ac ceterorum opinionem iuuandam valet. S. Auguſtinus dicit, ſub Cœli ac Lucis vocabulis, non vero proprijs nominibus à Moſe eos expreſſos, ad populum illum verba faciente cuius maior ruditas erat quam quæ incorpoream Angelorum naturam capere poſſet. Quinetiam ſi prudẽtiſsimus idem legislator Angelorum hanc omnis corporis expertem & quamdam quaſi diuinam naturam explicaſſet; metus erat ne magnam ad idololatriam, ad quam populus ille ſponte ſua mirifice propendebat, feneſtram ei aperiret. Quam enim facile inductus idem populus fuit vt vitulum, ſerpentẽ æneum, atque alia pro Deo adorarit? Quid quod ipſius Moſis verba, quamuis tecte, Spiritus innuunt? Ait enim, Adamo & Eua in ſtatu innocentiæ paradiſum adhuc incolentibus, fuiſſe creaturã quamdã

Angelorũ creationis an in Geneſi fiat mentio.

rationa-

rationalem, omnibus animalibus à Deo supra faciem terrę creatis, astutiorem, à qua prima nostra omnium mater decepta & ad peccatum illecta fuerit. Hæc quis alius sit quam Lucifer cum socijs suis & ministris? Ad id quod Peripatetici obijciũt, si Spiritus sint, non posse eos incantatorum verba percipere, nisi omni in loco semper eos adesse diceremus (quod quum absurdum sit, immo impossibile, vana quoque esse quæ de Spirituum natura tradantur) facile responderi potest. Etsi enim verum est Spiritus semper in omni loco esse non posse: tanta tamen eorum est velocitas vt vno momento multa miliarium milia conficere, ac breui temporis spacio vniuersum Mundum circumire queant. Quocirca quum vno momento, quod sexagesima pars horæ est, omnia regna, omnes prouincias, omnes ciuitates obire, omnesque populos terræ globum inhabitantes visere possint; mirum non est excientibus ipsos atque in auxilium vocantibus prẹsto esse, eorumque carmina atque exsecrationes audire. Etsi vero tãta velocitas prima fronte impossibilis videatur, & humani ingenij captu, ac proinde etiam fide maior sit: certa tamen est, ac non solum paullo ante citato Sathanæ vniuersum orbem vno die circuisse se Deo respondentis exemplo, verum alijs quoque multis, quæ tam in S. scriptura quam doctorum virorum libris commemorantur, probari potest: vt scholaris illius quem Paullus Girlandus breuissimo temporis spacio in longinquam regionẽ alportatum affirmat; vt rustici cuiusdam, qui diabolo sub forma arietis insidens, ad eum locum vbi veneficæ ludos & choreas agitabãt, vnà cum vxore me-

Gen. 3.

Spirituum velocitas.

re momēto fere tēporis deportatus fuit, vbi quū casu Dei nomen inclamasset, dictocitius veneficæ omnes disparuerunt, ipse vero sub nuce illa Beneuentana, plus quam ce t m miliaribus à domo ipsius distante, solus atque nudus relictus fuit; vt Simonis magi, vt Apollonij Tyanei, atque aliorum, de quibus infra dicemus, quos infernales illi spiritus ad quascumque voluerunt Mundi plagas subito deportarunt. Sed & rationibus idem naturalibus atque in sensus incurrentibus adstrui potest, maxime autem velocissimo cœlorum motu, de quo sine stupore ne cogitare quidem mens humana possit. Quis enim non obstupescat octauam sphæram vicenis quaternis horis ab intelligentia sua siue angelo circumvolui? qui circuitus amplius quam quadringentos septuaginta miliarium geometricorum, quæ singula millenûm sunt passuum, miliones complectitur. Archimedes quidem & Ptolemæus è certissimis principijs demonstrarunt, solem à terra distare mille centum & nouē terræ semidiametris & dimidio. continet vero semidiameter tria milia septingenta & viginti miliaria, miliaria vero millenos, vt diximus, passus geometricos. terræ autem circuitus sexies id spacium siue magnitudinem, & quod excedit, septimam eius partem cōplectitur; sic vt in vniuersum à centro terræ vsque ad solem supra duos miliones ducenta sexaginta quinque milia, quadringenta & octoginta miliaria numerentur. Heic quidem illi substiterunt: at Arabes postea, Alfraganius, Albategnius & Thebit Campanus vlterius progressi sunt, terramque ab octauo coelo distare scripserunt

Cœlorum cursus admirabilis velocitatis

Terræ distantia à sole quāta

runt viginti mille octoginta vno terræ semidiametris & duodetriginta minutis; qui faciunt supra sexaginta quatuor miliones, octingenta tria milia centũ & octuaginta miliaria. Rabbi Rambam maiorem distantiam ponit: sed quum demonstrationes Astronomicæ etiam sensu colligantur, vt quod minus est sumamus, certum est & verissimis rationibus à Ptolemæo demonstratum, semidiametri ad arcum rationem eandem esse quæ est 52. ad 60. & ex Euclidis quæ est libro III. demonstratione sex circuli semidiametri hexagonum constituunt, ita vt semidiameter à centro terræ vsque ad octauum cœlum sexies in hoc eodem cœlo reperiatur. Ita efficiẽtur sexies sexaginta quatuor miliones octingenta tria milia centum octoginta miliaria; & tanto plus in circulo: qui sunt quadraginta octo gradus, si octonos gradus pro vnoquoque circuli hexagono sumamus, vltra sex semidiametros, qui cũ septima faciunt viginti duos miliones trecenta quinquaginta sex milia quadringenta & quinque miliaria: ita vt cursus octauæ sphæræ qui viginti quatuor horis absoluitur, comprehendat quadringentos sexaginta miliones centum sexaginta quatuor milia, trecenta octoginta quinque miliaria Quare eadem sphæra in vno minuto siue momento aut scrupulo, sexagesima scilicet horæ parte, emetietur sexcenta sexaginta milia miliarium, atque eo amplius, adsistentis Intelligentiæ siue mouentis Angeli, quem Hebræi Cherubin appellãt ope. E quo facile perspici potest quam inepta sit Peripateticorum argumẽtatio, incantatorum voces à malignis spiritibus exaudiri posse negantium

Distantia cœli octaui à terra.

Octaui cœli intelligentia Cherubin.

tium

tium, quod in omni loco esse non possint. Atqui momento transferre se queunt, idque sedulo faciunt, maxime vt apud eos sint qui animam & corpus ipsis deuouerunt: quos quidem adeo sollicite obseruant, vt, quemadmodum D. Petrus Apostolus inquit, tamquam leones rugientes circumeant, quem deuorent quærentes.

Quid Angeli & Spiritus sint: & primum de eorum opinione qui spiritus corporeos esse senserunt.

CAPVT VI.

Quid Angeli sint, scire difficile.



VID Angeli sint quæstio est valde obscura & difficilis admodum: vtpote ad quam explicandam naturalis scientia vix quidquam, vel potius, si verum fateri volumus, nihil, sacræ vero scripturæ parum adferunt adiumenti. Neque vero dubium est quin plura de Deo, ad significandam eius naturam & essentiam, quam de Angelis in sacra historia perscripta sint, eam scilicet ob caussam, quod ad animarum salutem Dei cognitio multo magis necessaria nobis sit quam Angelorum. Et quoniam scientia nostra in rebus naturalibus ad intelligendas quodammodo res spirituales ab effectis ad caussas procedit; Deus suam potius essentiam ac naturam in rebus naturalibus quam Angelorum, qui

opus

opus sunt manuum ipsius, ostendere voluit, vti superiori libro est à nobis demonstratum. Etsi vero lubrica est & difficilis præsentis quæstionis explicatio; non tamen ab ea homines abstinuerunt, sed quantum potuere ingenio consectati sunt, non argumentis quidem immediatis, certis & ad assentiendum necessarijs, sed probabilibus tantum & coniecturalibus: quæ tamen ipsa contemni nequaquam debent. *Præstat enim*, teste Philosopho, *aliqua probabiliter nosse de rebus superioribus & cœlestibus, quam de rebus inferioribus multa demonstrare.* Primum igitur dicimus, *Angeli* vocem non propriam eius substantiam denotare; siquidem quum quæ vel qualis res illa sit ignoretur, nomen quoque iuxta ignorari necesse est. Quod si naturam Angeli respicimus, nihil is aliud est, vt Ambrosius testatur, quam spiritus; si vero munus atque officium, Angelus recte dicitur, id est, nuncius & Dei legatus, qui iussa eius ad homines, & horum vicissim preces ad diuinam maiestatem perfert. Nouum tamen hoc nomen est, nec veteribus philosophis cognitum, qui *Spiritus* non *Angelorum*, sed *Intelligentiarum* & *substantiarum separatarum*, atque etiam *Mentium* nomine appellarunt; sicut econtra Platonici eos Spiritus, vti supra diximus, qui supra lunam sunt, *Deos*, qui vero infra, *Dæmonas* siue *Dæmonia* nominarunt: quod intelligi potest ex Apuleij libro cui titulum fecit, *De Deo Socratis*, Spiritū illum innuens Socrati familiarem, quem quod æthereum siue cœlestem & quidem Saturnium fuisse existimaret, propterea Deum appellat. D. Augustinus Ange-

Arist Met. cap. 9.

Angelus quid.

cap. 1. ad Hebræos. August. super psalm. 103. ser. 1.

Intelligentiæ.

Platonici quomodo Angelos nominârint.

Angeli naturam descripturus, inquit: *Angelus autem spiritus est, substantia incorporea, inuisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis: bonorum lucida & impassibilis; malorum tatra & passibilis.* Quare de Angelis scire aliud non licet, quam naturas quasdam esse siue substantias, omnibus his rebus inferioribus, atque etiam nobis ipsis præstantiores, nobiliores ac sublimiores: idque Theologi regij prophetæ Dauidis testimonio confirmant, qui hominis nobilitatem ostendere volens, ad Deum inquit: *Minuisti eum* (hominem) *paullo minus ab Angelis* quæ verba manifeste indicant, hominem sublimi Angelorum natura aliquanto esse inferiorem. Omnis quidem veterum sapientum schola censuit, esse in Mundo substantias quasdam perfectas & spirituales, quæ naturæ dignitate res alias omnes creatas antecellant: vtrum vero eæ corporeæ sint an in corporeæ, tam inter philosophos quã theologos etiam quosdam grauis fuit controuersia. Apuleius inquit, Spiritus animalia esse animo passibilia, mente rationalia, corpore aeria, tempore sempiterna. Platonicorum Academia statuit, omnem hanc substantiarum seriem omnesque hos Spiritus corpus habere, excepta prima illa creatura immediate à Deo producta, de qua superius aliquid est dictum. Hanc opinionem multi etiam ex antiquis ecclesię Doctoribus amplexi sunt, & inprimis Origenes, qui fieri non posse ait, vt quidquam præter sanctissimam Trinitatem, Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum sine corpore posit subsistere. Et alio loco, Angelos non secus ac homines anima præditos

Aug. de cogn. vera vitæ ca. 6.

Psalm. 8.

Angelos corporeas esse quinã statuerint.

Apulei. De deo Socratis.

Orig. c. 2. 3 periarchon c. 8. eodem libro.

ditos esse, affirmat. Idem Tertullianus sentit in libro, *De carne Christi*. Id ipsum vero sacris quoque litteris consentaneum esse inquiunt, quando dicitur: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Neque enim filios hos Dei, qui hominum filias vxores duxisse dicuntur, alios esse quam Angelos; nec facere hoc potuisse, si non è materia & forma fuissent compositi, ac corpus naturale vnitum habuissent. Alias deinde addunt rationes. & primum, res omnes, inquiunt, quæ suprema cœlorum sphæra continētur, naturæ finitæ sunt: quum finitus circulus res infinitas includere non posit. Quoniam ergo Angeli & Spiritus in hoc Mundo includuntur, necesse est vt naturæ finitæ sint. quidquid vero finitum est, certos suos habet terminos quibus circumscribitur, & locum quo continetur; incorporeum autem nec terminos habet quibus circumscribatur, nec locum quo contineatur. Ex qua ratione concludere licet Angelos & Spiritus corpora habere. Præterea, omnis, inquiūt, substantia, præter vnum Deum, potentiam habet finitam; omnis vero potentia finita distantiam habet terminatam: ex quo sequitur Angelos & Spiritus siue dæmonas locis terminatis ita contineri, vt nec vbique nec pluribus in locis vno & eodem tempore esse posśint, vt Scotus & Damascenus affirmant. Hoc vero ita probatur. Si, inquiunt, vlla substantia finita vno eodemque tempore in pluribus esse locis queat, absurdum hoc sequetur, rem vnam & eamdem eodem tempore quiescere simul & moueri; quod cōtra omnem

Genes. 6.

1. Argumentū. Angelos esse corporeos.

2. Argumentum.

Scot li 2. Sent. d 2. q. 11. Damas. li. 2. ca. 16.

nem est rationem, vt Aristoteles libro Physicorum Auscultationum IV. testatur. Tertium sequitur eorumdem argumentum, quod tale est. Si, inquiunt, substantia finita nulla alia meta circumscribi, nec vllum alium terminum habere potest quam superficiem; superficies vero soli corpori est propria, eique soli conuenit: fatendum sane fuerit, omnem substantiam finitam corpus habere: quo si careat, carebit etiam superficie, & consequenter infinita erit; nosque illud, quod supra præter & contra omnem rationem esse diximus, Mundo scilicet hoc qui finitus est, infinitum aliquid comprehendi, admittere cogemur. Quarto, sic argumentantur: Omne quod de loco ad locum mouetur, necesse est vt primum spacium se minus, deinde sibi æquale, tandem vero se maius transeat. atqui substantia incorporea, vtpote indiuisibilis, nec spacium se minus, nec æquale, nec maius transire potest. quod enim indiuisibile est, nec magnum nec paruum, nec maius nec minus dici potest. Fateri igitur oportet quidquid de loco ad locum mouetur, corpore esse vestitum: & quum Angelus moueatur, & de loco in locum transeat, corpus habeat necesse est. Nec vero vllo modo mens humana illud assequi & intelligere potest, quomodo Angelus de loco in locum se trãsferre queat, si medium interuallum non transeat. Quoniam ergo locus diuisibilis est, vt philosophiæ decreta volunt; Angeli quoque tam boni quam mali diuisibiles erunt, & per consequens corporei: alioqui sequetur, locum non esse locum, & corpus non esse diuisibile. In hanc sententiam, Spiritus

3. Argumentum.

4. Argumentum.

Arist. li. 1. De anima cap. 4.

ritus scilicet corpore esse præditos, à Porphyrio, Iamblicho, Psello, Aristotele, Plotino, Philopono, Olympidoro, Alexandro, Ammonio, Apuleio, Gaudentio Merula; & ex nostris Theologis à Tertulliano & alijs defensam, Augustinus quoque ire videtur, præsertim in Homilia quadam, vbi ita loquitur: *Constat quod omnis spiritus sit corpus & corporalis naturæ.* Et in Commentarijs super Genesin dæmonas corpora habere aperte dicit. *Angelis malis*, inquit, *mutata sunt in casu corpora in deteriorem qualitatem aeris spissioris.* Et alibi: *Tenuia Angelorum corpora in deteriora & spissiora transformata sunt, quibus ab igne pati possent.* Gregorius etia Angelos animalia ratione prædita vocat. Et Damascenus inquit: *Omne creatum comparatum ad Deum qui solus est incorporeus, crassu & materiale inuenitur: solus autem incorporeus & immaterialis est Deus.* Scotus vero, *Angelus*, ait, *nec vbique nec in loco infinito esse potest, nec in minimo, sed in adæquato substantia, qua maiorem habere non potest.* Si ergo Spiritus in loco est, corpus habeat necesse est; quandoquidem locus (quod ab Aristotele pro naturali atque indubitato principio vel axiomate est positum) corporum est proprius. Quare nec locus sine corpore (sic enim vacuum introduceretur) nec corpus sine loco dari potest. Atque hinc dicunt aliqui argumentum ad æternam atque infinitam Dei essentiam demonstrãdam sumi posse, quod Scotus nondum se reperire potuisse affirmat. Quum enim, vti supra dictum est, substantia incorporea infinita sit, Deus vero solus sit incorporeus; idem quoque solus

August in Genesin. lib. 3. de lib. arb.

Scot. lib 2. d. 2. q. 6.

Arist li. 3. Phys. c. 5.

Scot. lib. 1. Sent.

Infinita Dei essen-

tia qu mo doprobatur

solus erit infinitus. Similiter, quum sola substantia simplex sit infinita, Deus vero substantia sit simplicissima: necesse est vt idem solus sit infinitus. Deum vero simplicissimam esse substantiam sic probatur. Si Deus composita est substantia, ex alio principio se superiori compositus erit; siquidem vt nihil à se ipso fit, ita nihil ex se ipso componitur. Deo autem nihil est superius, sed solus ipse est independens; quumque infinitus ipse sit, omnia quoque in se habet infinita, vt vitam, potentiam, sapientiam, bonitaté, atque omnia eiusmodi quæ Deo tribui possunt. Quia insuper Deus simplex est substantia, indiuisibilis etiã est, immobilis atq; immutabilis; si indiuisibilis, nõ est in eo prius aut posterius; si prius aut posterius non habet, infinitus erit, æternus, immutabilis & omnipotens. Sed ad rem. Spiritũ corpus habere D. quoque Ambrosius, Lactantius Firmianus & Basilius censuere. Et hic quidem Angeli substantiam spiritum aereum, siue ignem immaterialem appellat. Eiusdem dogmatis in Concilio Niceno II. episcopus Thessalonicensis assertor fuit, Basilij, Nestorij, Athanasij, atque etiam vniuersæ Ecclesiæ, quæ eam sententiam semper amplexa sit, auctoritatem allegans, tum eum gentilem reprehendens qui Dæmonas pingendos esse negabat; quod Angeli corpora non haberent è materia tam crassa, vt corpora sensibilia, sed multo tenuiora & subtiliora, & aeria vel ætherea. Idem sentit Rupertus Abbas. Alia etiam ratione eadem opinio confirmatur. Quum enim cacodæmones æterno infernalis ignis supplicio crucientur, corpus habeant

Ambr. l. de Ar ca. c. 4. Lact. diuin inst. 2. c. 5. Basil li. de S. Sancto, ca. 6. Lib. De eccles. dog. c. 12. 13.

habeant oportet. Quod nisi esset, quomodo ignis materialis & sensibilis in purum putum Spiritum agere, eique nocere possit? *Corpus enim*, secundum philosophorum, vel ipsius philosophiæ decretum, *non agit nisi in corpus*. Complures denique Theologi, imprimis S. Gregorius, Angelos locum capere atque occupare, eoque circumscribi posse statuerunt; quod sane fieri non posset, si essent incorporei, quum proprium sit corporis, vt aliquoties est repetitum, in loco esse. Ex quibus rebus omnibus Angelos & Spiritus corpore esse à præpotente illo rerum omnium effectore circumdatos, atque ex materia & forma compositos, tam Theologi quam philosophi supra nominati concluserunt.

Dæmones in inferno cruciantur

Spiritus incorporeos esse quum rationibus philosophicis tum Theologorum auctoritate probatur; quæque in contrarium allata sunt argumenta soluuntur.

CAPVT VII.

CONTRARIAM huic opinionem sequutus est Dionysius Areopagita, qui apertè docet Angelos corpore & materia omni carere. Idem Damascenus libro suæ Theologiæ II. affirmat: qui etsi Angelos corporeos esse, si scilicet cum diuina essentia comparentur, quodammo-

Dion. lib. De diu. nō. cap. 4.

Damasc. lib. 2.

dammodo sentire videtur; non tamen simpliciter corpus, sed tantum cum actu potentiam, mutabilitatem atque essentiam finitam eos habere, atque in loco determinato esse dicit; quæ res à Dei natura quam longissime absunt, vtpote qui plane est immutabilis atque infinitus, cuiusque magnitudo nullo loco circumscribi potest. Hanc camdem opinionem, Angelos scilicet esse incorporeos, Nazianzenus & Gregorius tenuerunt, quorum hic affirmat Angelos merè esse spirituales. Sed multo apertius sententiam hanc tuetur B. Chrysostomus, eorum opinionem irridens, qui locum illum Geneseos, *Videntes filij Dei*, &c. interpretantes, per filios Dei Angelos intelligũt; qui, vt ipse dicit, quum Spirituales sint & incorporei, generare non possunt. Idem alio loco in epistolam 1. Paulli ad Corinthios, itemque 44. homilia super Matthæum affirmat. Eamdem opinionem sequuti sunt D. Thomas Aquinas, Augustinus Niphus, Hugo de S. Victore, Scotus, S. Bonauentura, Thomas Argentinensis, Marsilius, Alexander Alexandri, ac fere omnis SS. Theologiæ Doctorum schola. nec dubium quin hæc eadem opinio, Angelos scilicet corporis omnisque materiæ expertes esse, ex Aristotelicæ philosophiæ fundamentis multo certius ac facilius quam superior illa defendi possit. Albertus Magnus Angelum ita definit: *Angelus substantia est intelligibilis, liberi arbitrij, Deo ministrans, immortalis, non per naturam, sed gratiã.* Idem colligere licet ex rationibus à Philosopho lib. 12. Methaphys. allegatis, vbi affirmat, si essentiæ illæ vel substantiæ quæ cœlestia corpo-

Angelos incorporeos esse qui senserint.
Naz. l. suæ Theo. in fi.
Gregor. 4. mor. ca. 9.
Chrys. hom 22. super Genes.

Angelus quomodo ab Alberto M definitus.

corpora mouent, corporeæ essent, eæque proprij corporis virtute ac vi orbes illos mouerent; sequi, virtutem illarum finitam esse; & continuo labore fractam & defatigatam deficere posse: vnde futurum tandem sit vt cœlestium corporum motus non ita continuus sit, nec ita bene ordinatus. Frustra vero est si quis respondere velit, corpora Intelligentiarum cœlestium incorruptibilia esse, neque vmquam deficisci aut defatigari posse. Hic enim, si Angelos corporeos esse asserat, suo ipsius iugulabitur gladio. Si enim corpus habēt, aereum id est aut igneum: id quod ipsi affirmāt. si aereum vel igneum: quomodo corruptionis aut defatigationis erit expers? Præterea, vt Thomæ sectatores volunt, corpus impassibile non est tale vt cum forma intelligibili vniri queat; nisi dicere velimus formam esse suum à materia accipere, non materiam à forma: quod valde est absurdum. Aliæ multæ sunt rationes, quibus Angelos incorporeos esse probari potest. Aut enim corpus habebunt membris atque organis distinctum, quale hominis est; aut sine organis, confusum. Si organa habent & mēbra; sensibus quoque ad cognitioné consequendam vtentur, tum passionibus ac perturbationibus subiacebunt (neque enim vllus aliorum membrorum vsus esse videtur quam vt sensibus inseruiant) & per consequens corruptibiles ita erunt & ex contrarijs compositi. Si quis dicat, corpora hæc ab omni corruptione esse immunia, vtpote quæ numquam ab Angelis laxata sint: ei respondeo tanto miseriores esse Angelos, & quam ipse homo sit peiori condi-

Intelligentiarum corpora an incorruptibilia.

Corpus impassibile vniri nequit cū forma intelligibili.

Angeli ergo incorporei credendi.

Angeli corpore hominibus miseriores.

tione; siquidem perturbationes illas sensuum numquam remittere poterunt; atque iccirco vbi scientiam acquisierint, corpora deponere cupient, vt continuum corporalium alterationum veluti æstum quemdam & reciprocationem effugiant: quod equidem nullo modo de ipsis dici potest. Si dicas Angelorum corpora confusa esse & sine certa organorum, vt Bodinus vult, distinctione rotunda, quadrata, aut alterius figuræ; alia non minora inconuenientia sequentur. neque enim talis figura digna erit substantia spirituali; quin etiam plane superflua erit atque inutilis. non Angelis seruiet ad intelligendum; siquidem eorum intelligentia imperfecta erit, quoties corporis beneficio à rebus eam emendicare cogentur; multo minus tale imperfectum corpus Angelis vllum vsum præbebit ad mouendas res Mundi inferiores. Si enim corporis ope ac beneficio alia corpora mouerint, necesse est vt prius sua ipsorum corpora mouerint; siquidem omne corpus quod mouet, mouetur. Quare proprium corpus ita mouebũt, vt aut illud informent, quemadmodum anima corpus humanum, aut quemadmodum motor extrinsecus mouet rem mobilem. Prius si admittimus, necesse est dicamus, Angelum corpus habere certis organis ac membris conformatum & distinctum: nullum etiam inter Angelum & hominem erit discrimen, siquidem vterque è corpore & spiritu intelligente sit compositus. Altero concesso, Angelus proprio corpore nihil indigebit: quandoquidem eadem ratione qua veluti motor corpus proprium mouet, immediate quoque res inferiores

Angelus tamquam

feriores mouere poterit, & sic primum illud cor- motor cor-
pus frustraneum erit atque inutile; immo pro- pori assiste-
prium Angeli corpus dici non poterit, quum ad re nequit.
eius substantiam non pertineat. Huc accedit,
quod si Angelos corporibus esse præditos dica-
mus, ea aut solida erunt & dura, aut mollia &
fluxa. Mollia esse siue tenera & liquida dici non
potest, quum hoc sit imperfectionis signũ; immo
fatendũ erit, facile eadẽ diuidi, atq; in varias for
mas, vt aerẽ aut aquã, transmutari posse. Si dura
sint & solida, ab alijs corporibus excludẽtur, ne- Angel. n[on]
que vbi hæc sunt ibi esse poterunt, nõ in cœlorũ cor[p]u[s] an-
aliquo corpore, neque intra cœlos: alioqui dicẽ- ... &
dũ erit intra cœlos vacuũ esse, neque vnum cœlũ solidum.
ab alijo immediate cõtingi, vt Sphæram Lunæ à
Sphæra Mercurij, Sphærã Mercurij à Sphæra Ve-
neris, Sphærã Veneris à Sphæra Solis, & sic dein-
ceps: quod cur affirmetur, nulla est ratio. Prĉterea
sequeretur Angelos qui in cœlo sunt nõ posse ad
nos descẽdere, nisi cœlos inferiores rũpant, nec
nisi lõgo tẽporis interuallo posse ad nos perueni
re. Quãuis enim Angelus velocissimo motu suo
vna hora mille conficiat miliaria, nihilominus
dum à cœlo octauo vsque in partem hanc ele-
mentarem atque inferiorem deuenerit, sex an-
nos & quinque menses in itinere hærebit, ob
nimiam prædicti cœli à terra distantiam, vt Al-
fraganus, Thebit alijque Arabes demonstra-
runt, & nos suo loco dicemus. Alia multa quæ
ex prædicta opinione sequuntur, ab omni rati-
one & sano hominum iudicio aliena, omitto. Ad
Augustini auctoritatem quem potius responden- Augustin.
tem audiamus, quam ipsum? Spiritus enim cor- an Ange-

 pore-

los corporeos e e & quomodo crediderit.

poreos dixit, nõ quod corpore aut carne vestiri, sed quia loco sint circumscripti, ita vt quando in vno loco sunt, nõ sint in alio; sicut etiã anima in loco esse dicitur, quia corporis humani mẽbris est inclusa. Quare Spiritũ corporeũ appellat propter præsentiã & operationẽ, quam in corporib. exercet, non quod corpus habeat. Sic enim ait: *Omnis vero rationalis creatura corporea est. Angeli & omnes virtutes corporeæ sunt, licet non carne subsistant: & ex eo intellectuales creaturas corporeas esse dicimus, quia loco circumscribuntur, sicut & anima humana quæ carne clauditur, quæ iccirco in loco & localis esse dicitur. In loco, quia heic alicubi præsens est; localis, quia quod alicubi præsens est totum, alibi non est. Non habet tamen corporalem dimensionem, nec corporalem circumscriptionem; quoniam corporalis quantitatis expers est: sed quia per præsentiam & operationem in loco includitur, localis & ipsa dicitur; verumtamen non sicut corpus, cui secundum locum, principium, medium & finis assignatur. Circumscriptum est, quod quum alicubi est totum, non potest simul esse alibi, quod de solis corporeis naturis cernitur: incircumscriptum vero est, quod simul est vbique totum, quod de solo Deo intelligitur: circumscriptum autem simul & incircumscriptum est, quod quum alicubi sit totum, potest simul alibi esse totum, non tamen vbique, quod de creatis Spiritibus cognoscitur.* Ex quibus verbis patet quomodo à D. Augustino Spiritus corpore aut loco circumscriptus dicatur, quia scilicet quando in loco aliquo est, non potest eodem tempore esse in alio; incircũscriptus vero, quia quum pura mens sit & intel-

Aug. lib. De Spiritu & Anima cap. 18.

intellectus, nullum occupat locum. Aristoteles expressis verbis affirmat, Intelligentias cœlorum motrices locum non requirere, nec proprie nec per accidens. Quamuis vero situm nonnũquam ipsis assignemus, vt quando dicimus eas esse in oriente, aut in circulo velocissimo; id tamen per metaphoram siue similitudinem atque eminentiam dictum intelligẽdum est, non quod in loco sint vel proprie, vt corpora physica, vel per accidens, vt interna rerum naturalium principia. Eodem modo Deus ab Aristotele ita in cœlo esse dicitur, vt non sit in terra: siquidem locus rei locatæ respondere debet; nec potest hoc alia ratione fieri, vt ipse affirmat lib. 1. De cœlo. Corpori vero ex vna parte respondere, & non ex altera, idem est atque esse in loco diffinitiue, vt D. Thomas & Scotus interpretantur. Eam ob caussam idem Scotus alijque magni nominis viri Intelligentias atque Angelos in loco diffinitiue esse dicũt, in quantũ scilicet per ipsorum essentiã corporibus coniungun-tur. Scotus quidem vult, Angelos in loco esse per essentiam, non quod necessariò sint in loco, sed quod potentiam habeant passiuam, per quam in loco esse possunt; non vero hoc vult, quærendam aliquam internam esse rationem, per quam necessariò sint in loco; quippe quæ nequaquam ipsis conueniat. Idem sensisse Auerroes videtur, quando inquit: *Motor cœli est proximus mobili per essentiam.* Neque vero vlla est inter D. Thomæ & Scoti opinionem discrepantia, nisi quod Scotus rationem tantum qua Angelus essentiam suam applicat, considerauit; quæ nihil aliud est quam

Intelligentiæ an locũ occupẽt.

Arist 1. De cœlo, te. 22

Quomodo Spiritus in loco sint.

Scot. in 1. Sent. d. 37.

Tho. in 1. Sent. d. 37. in 1. par. q. 52. & in 1. Quod. ar. 4

quam virtus ad diffinitũ aliquẽ situm, quæ ipsius essentiam in Mundo terminat. D. vero Thomas ad rationẽ magis propriam respexit, quę est operatio transiens; magis vero est propria, quia extensionem includit. Ea quam Scotus adfert, per contactum scilicet essentiæ, prior est secũdum ordinem naturæ; quæ vero à D. Thoma adfertur, per tactum operatiuũ, prior est, quoad nos. Scoti illa, locatio est originalis; Thomæ vero, operatio est primam illam manifestans. Scoti illa sine altera esse potest (potest enim Angelus adesse, nec tamen se manifestare) illa vero Thomæ, sine prima illa esse non potest; quum operatio essentiam denotet. Quamobrem etiamsi Angelus creatura sit finita, eoque intra Mundum comprehensa, non tamen propterea locum occupat, quum purus sit intellectus; in loco tamen esse intelligitur, modo scilicet supradicto, per contactum virtualem. Iam vero, vt ad contraria quoque argumenta respondeamus, quod dictum fuit, omnem potentiam distantiam habere terminatam, intelligendum est, quantum ad Angelum, quod quando in loco aliquo est, nõ possit eodem temporis momento esse in alio, id est, quod ipsius virtus atque operatio vnita sit, nec idem possit in pluribus quam vno loco simul operari, non vero quod locum capiat aut occupet. Quod autem obiectum fuit, omne quod de loco ad locum mouetur primo spacium *minus*, deinde æquale, maius demum transire, in *physico* tantum & naturali motu locum habet, non vero in motu Angeli qui non naturaliter aut motu physico mouetur: quippe cuius motus nihil

Contrariorum argumentorum solutio.

aliud

aliud est quam contactus quidam & actio virtualis. Negari quidem non potest, Angelum etiam localiter posse moueri, spacium minus aut maius, ac interualla media transeundo; non tamen hoc fit aut de ipso dici potest, nisi siquando assumat corpus elementare: neque hic Angeli motus naturalis est, sed accidentalis. Angeli enim motus naturalis est ire aut conferre se quocumque voluerit, nec tamen intermedia pertransire. Et quamuis omnis locus sit diuisibilis, non tamen Angelus est diuisibilis, quia purus est intellectus, nec vllum occupat locum. Quod ad illa argumenta attinet quibus nonnulli ex hac opinione, Spiritus scilicet esse corporeos, infinitam Dei essentiam deducere ac probare conantur; sunt illa, non dicam falsa, sed ridicula. duobus enim fundamentis innituntur, quorum neutrum est verum. vnum est, omnem substantiam incorpoream esse infinitam; alterum, solum Deum esse incorporeum. Non quidem errauerit qui Spiritus atque animas nostras, tamquam creaturas, respectu illius simplicitatis quæ in Creatore ac Deo est, materiales cum Damasceno vocauerit, atque ita etiã dici & possunt & debent, quum nequaquam conueniens sit vt natura creata cum purissima Creatoris essentia exæquetur. Quemadmodum etiam humana scientia ad Dei omniscientiam collata stultitia dicitur, non quod reuera stultitia sit & brutalitas qualis est belluarum: sed quia sapientia humana non vllam habet comparationem ad immensam illam & incomprehensibilem rerum omnium fabricatoris perfectionem. Obtinuit tamen communis tam

Angeli motus proprius qualis.

Phi-

Philosophorum quam Theologorum sententia, vt sine temeritatis nota dici vix possit, Angelos seu Spiritus, tam bonos quam malos, corpore preditos esse. In Concilio enim Lateranési, quod sub Innocétio III. Pontifice est celebratum, aperte creatura spiritualis à corporali distinguitur, his verbis: *Deus omnium creator, visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium, qui simul ab initio temporis vtramque condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam scilicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem, & spiritu & corpore constitutam.* Idipsum vero sacræ Scripturæ phrasi quoque confirmatur, quæ quotiescumque de *Spiritu* loquitur, substantiam corporis expertem intelligit. vt apud Ioannem: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Quibus verbis Christus Dominus noster id aperte innuit, quemadmodum Deus spiritus sit corpore carens; ita in hominibus quoque spiritum aliquem esse incorporeum, quo diuinam Maiestatem venerari atque adorare debeamus. Apud D. Paullum Apostolum idem legitur: *Nemo nouit,* inquit, *quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei.* Præterea S. Lucas testatur, integram cacodæmonum legionem vno in homine fuisse: quod incredibile sit, si dæmones corpora habeát, quum vna legio sex milia sexcentos sexaginta sex complectatur. Ad Platonem quod attinet, malè illum hac in re sensisse omnino fatendum est. Ad locum vero illum è Genesi allatum, iam olim à D. Thoma responsum est, per filios Dei non Angelos, sed filios Seth intelligi, in

Concil Lateranense.

Ioan. ca. 4.

1. Cor. 2.

Lucæ 8.

Filij Dei in Genesi qui dicti.

gi, in quorum prosapia veri Dei cultus semper illibatus permanserat; per filios hominum verò, Caini posteros: atque hoc sensu Ecclesia, Augustinus alijque probati Theologi prædictum locum interpretantur. Iosephus quidem libro I. Antiquitatum filios Dei Angelos fuisse testatur; ipsius tamē testimonio fidē derogant rationes supra allatę. Quod ad Concilium Nicenū, nō illud quidē hoc decernit Angelos esse corporeos; sed tantum, posse eos depingi, quum è S. scriptura constet, visibiliter eos in assumtis corporibus apparuisse, qua de re infra: neque inde inferri potest, Angelos loco esse circumscriptos; sed tantum à nobis per certas descriptiones, quas heic repręsentabāt, intelligi posse. Qui verò è Gregorio citatus est locus, vbi dicitur Angelos loco posse circumscribi, intelligendus est, non quoad Angelicæ substātiæ magnitudinem, sed quantum ad determinationem virtutis ipsius ad operandum in loco determinato, vt supra iam est explicatum. Ignis denique infernalis etsi vere ac reipsa cacodæmonibus cruciatum adfert, non tamen id facit tamquam caussa principalis, sed tamquam diuinæ manus instrumentum, quæ supranaturaliter operatur. Atque hinc est quod etiam corpus per Dei virtutem in Spiritum agere siue operari potest, veluti baptisma in animam humanam.

Ioseph. lib. 1. Antiq.

Concil. Nicen. declaratum.

Gregorij locus expositus.

Ignis infernalis quomodo cruciet cacodæmonas.

(.·.)

Quando, & vbi Spiritus à Deo creati sint. & quomodo omnes boni fuerint: simul impij Manichæi & Priscilliani hæreticorum errores confutantur.

CAPVT VIII.

DE Spirituum creatione magnę fuerunt inter Patres & veteres Ecclesiæ doctores dissensiones. Nónulli multis sæculis ante Mundũ hunc aspectabilem à Deo creatos eos censuerunt, ac diuinæ Maiestati inseruijsse; alij absurdum, immo nefarium existimantes, in Dei opera tam profunde atque vlterius quam scire nobis datur penetrare velle, vnà cum Mundo ex nihilo factos, nec prius eos fuisse dixerunt. Prima opinio B. Hieronymi fuit, vt ex eius Commentarijs in epistolam Paulli ad Titum colligere licet, itéque S. Ambrosij, nec non Gregorij Nazianzeni, grauissimi & maximi Theologi, cuius scripta, D. Thoma teste, ob solidam doctrinam nemo vnquã reprehendit aut erroris coarguit. Idem Damascenus, Origenes, Basilius, Hilarius lib. 12. De Trinitate, Cassianus & alij sensere: qui omnes ad opinionem hanc suam stabiliendam Mosis auctoritate vsi sunt, nullibi in Originum libro Angelorum creationis mentionem facientis; itemque Paulli, qui in epistola ad Titum ait, Deum spem vitę æternæ ante tempora huius sæculi promisisse, id

Ambros. in hexam. c. 5 Nazian. in homil. de nat. Dom. Damasc. 2. de fide ortho. c. 3. Orig. lib. periarchon Basil. hom. 1. Cass. coll. 8. ca. 7.

se, id est, vt illi interpretantur, ante Mundi creationem. Quare, inquiunt, si antequam Deus Optimus Maximus cœlum creauit & terram, hanc promissionem siue spem dedit, necesse est vt creaturæ fuerint spirituales, quibus illa promissio facta sit, & sic etiam sancti Angeli. Alteram opinionem doctissimus Augustinus amplexus est, affirmans, Angelos vnà cum cœlo empyreo à Deo creatos esse, neq; prius fuisse. Locum vero è Paulli epistola allegatũ sic interpretatur, Deum promissionem illam fecisse, id est, ab æterno beatam salutis spem in agno illo immaculato & vero Dei filio Iesu Christo Domino & Seruatore nostro hominibus prædestinasse. In hac opinione fuerunt Athanasius (alius ab eo qui Symbolũm fecit) Epiphanius, Theodoretus, Gregorius; eademque recepta est tamquam melior à Concilio Lateranensi, & ab omnibus fere Theologis approbata, vtpote quæ non tantum multis probabilibus rationibus, sed testimonijs etiam Sacræ Scripturæ innititur: veluti illa sentẽtia quæ est in cap. 5. Ecclesiast. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul;* & illa in Genesi: *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat;* vbi per *vniuersum opus* tam spirituales quam elementares res intelliguntur. Qui contra sentiunt Angelos ante Mundi huius motionem à Deo esse conditos, multis ijsque difficilibus nodis se implicant. Fatendum enim illis fuerit Dei opus fuisse imperfectum, quum natura hæc visibilis & corporea cum intellegibili illa & cœlesti vnum & perfectum ita demum Mundum constituant. Non parui momenti etiam

Angeli cũ Mundo creati.

Aug. lib. 1. De ciuit. Dei cap. 8. & 9.

Conc. Lat. c. firmiter. de um. trin & fid. cath.

Ecclesi. 8.

etiam hęc est ratio. Si angeli multo ante Mundum fuerunt, ij qui postea ob perfidiam & rebellionẽ cœlo expulsi sunt, oportet vt multis sæculis ante in obedientia & fide firmiter persliterint, ac demum Mundo iam creato desciuerint: id quod impossibile videtur, vt scilicet qui tam longo tempore durarint, ac plenum mutandi domini arbitrium ac deliberationem habuerint, postea demum æterni creatoris gratiam aspernari non dubitarint. Quod si concedatur, illud etiam concedẽdum erit, eos Angelos qui iam in cœlo sunt, etiamnum peccare posse, quamuis per tot annorum milia in Dei gratia confirmatos, vt & primos illos. Quod dici sane nec potest nec debet; nisi SS. Patrum & communem Ecclesiæ Catholicæ sententiam conuellere, & D. Augustini testimonium sine vlla caussa repudiare velimus, qui beatos Angelos iam porro malos fieri aut beatitudine excidere posse negat. Ex quo liquet quam periculosum sit & temerarium credere, Angelos ante Mundi huius effectionem esse creatos. Quãdo igitur Deus per verbũ cœlum ac terram creauit, tum etiam in cœlo empyreo spiritus Angelicos, in orbibus cœlestibus Intelligentias motrices, & in Mundo hoc elementari eos spiritus qui elementorum naturam gubernant & disponunt, produxit: quamuis Beatus Thomas aliter sentiat; ita tamen vt in vtramque partem probabiliter disputet: qua ratione etiam contrarium sustineri potest. Hos omnes spiritus, quum Dei opus sint, fatendum sane in principio bonos fuisse; siquidẽ à Deo nihil mali prouenire potest: idque ipsum pręter iam dictam rationem S. Scripturæ quoque testi-

Aug. Ench c. 57. de fid. ad Pet. ca. 32. tom. 3.

Thom. q. 61. ar. 4.

testimonio confirmatur, vbi dicitur: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* tum etiam Concilij Lateranensis sub Innocentio III. Pontifice celebrati auctoritate, quod decreuit, Spiritus omnes bonos fuisse creatos, sed sua ipsorum voluntate malos esse factos. Atque hoc est quod Christus D.N. ipse dicit, vbi de Lucifero loquitur: *In veritate non stetit, quia non est veritas in eo.* Et alibi: *Vidi Satanam de cœlo cadentem tamquam fulgur.* In cœlo ergo primum fuit, splendidissima bonitatis luce exornatus, qua postea per peccatum extincta, ad æternas tenebras & horribilem illam abyssum est damnatus. Atque hoc est quod Propheta Isaias de rege Babylonio sub Luciferi figura dicit: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Mane ortum eum dicit, quia in principio quum creatus esset, incredibili luce fulsit. Eodem modo Ezechiel loquitur inquiẽs: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti.* Et paullo post: *Tu Cherub extentus, & protegẽs* (Arcam Dei) *& posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus à viis tuis à die cõditionis tuæ, donec inuẽta est iniquitas in te.* Quocirca in Concilio Bracarensi decretum est, vt si quis dicere ausit, diabolum non fuisse Angelum à Deo factum, neque naturam eius Dei esse opus, sed è tenebris progressum, neque vllum essentiæ suę habere auctorem, sed per se principium esse & prauam substantiam, anathema sit & excõmunicatus. Priscillianus enim & Manichęus hæresiarchæ eò insaniæ progressi sunt, vt vniuersæ Naturæ, quod supra quoque attigimus, duo prin-

Gene. 1.

Ioan. 8.

Isai. c. 14.

Ezech. 28.

Conc. Bracar. ca. 7. decret.

Priscilliani & Manichæi hæreses.

principia statuerint, vnum boni, alterum mali, vnum lucis, alterum tenebrarum auctorem, quæ à seipsis suam habeant essentiam, nec aliunde dependeãt, Deum scilicet & Diabolum. Ab his duabus substantijs & naturis res omnes creatas boni & mali partem capere. Quamuis enim à bona Natura, id est, à Deo Mundum creatum esse faterentur; eum tamen boni & mali commistione constare aiebant, quæ quidem commistio ex duarum illarum Naturarum pugna & conflictu nata sit. Eam ob caussam vtrique horum principiorum quinque assignabant elementa: Mali quidem auctori Diabolo, fumum, tenebras, ignem, aquam & ventum. In fumo bipeda animalia, inter quæ etiam homo refertur; in tenebris serpentes; in igne quadrupeda, in aqua pisces; in vẽto volucrum genus prognatum delirarunt. Quinque à Bona Natura producta illisque opposita elementa hęc esse; aerem fumo, lucem tenebris, ignẽ bonũ malo igni, aquã bonã malæ aquæ, ventum bonum malo vento aduersantem: Omnem vero beatitudinis consequendæ difficultatem in separando Mali contagio à Boni substantia consistere, ijdem fabulãtur. Quum enim Principum horum vterque potens sit, aduersa quoque semper velut acie inter se dimicare: atque hoc esse intestinum illud certamen inter spiritum & carnem, in quo qui succumbat, bonam eius naturam à mali contagione nõ liberari, atque ita imperfectum eum manere, & beatitudinis exsortem. Quid cetera eorum non dicam nugacissima commenta, sed portenta opinionum commemorem? Aiunt id lumen quod a mali principij commistione separatum iam & purgatum sit, duabus nauibus è pura

Quinque elementa secundum Manichæos.

Beatitudo in quo consistat, secũdum Manichæos.

& simplice Dei substantia fabricatis imponi, Soli scilicet & Lunæ, atque inde in Dei regnum, tamquam propriam sedem & veram habitationem transferri. Etiam amplius aliquid? Immò: aiunt Adamum & Euam è Sacla fumi principe fuisse procreatos; qui Sacla omnibus sociorum partibus deuoratis, id omne quod in ipsis reperiebatur diuinæ substantiæ aliquo modo particeps acceptum, per carnalem copulam in vxorem transfuderit. Aiunt præterea, Serpentem illum à quo primi nostri parentes illuminati sint, Christum fuisse, qui fructu arboris vesci eos iusserit, vnde mali & boni scientiam sint adepti. Christum non verâ carnem, sed corpus tantum phantasticum assumsisse; nec venisse vt corpus, sed animam modo liberaret: quum corpus & caro malæ omnino sint naturæ. Quid de exsecrabilibus & nefandis horum hominum superstitionibus dicam, quibus bonum à malo separare ac diuidere se posse iactabant? Sed quum cibum & potum de mala natura multum participarent; admirabiles purgandi eius rationes commenti sunt, ne ventrum ingrediendo hominem nimis pollueret: atq; ita quod in ipso diuini est numquam deinde purificari possit. Scribit Augustinus, eo vsque progressam eorum impietatem, vt eucharistiæ sacramētum sectatoribus suis (ô scelera, in vltimas terras, atque adeo in ipsum infernum deportanda) humano semine conspurcatum porrexerint, vt quod illud semen à malo principio contagij haberet, diuinæ virtutis efficacia ab eo separaretur; & sub hoc flagitiosissimo ac nefario prætextu effrænatas suas libidines satiauerint, violatis multis simplicibus

Manes Manichaeorum cælestes.

Sacla quis.

Christus non assumsit carnem, secundum Manichæos.

Manichæorum exsecrabilis impuritas.

mulierculis : idque compertum fuisse in puella quadam Margarita, & altera Eusebia nomine, quibus hoc modo virginitas erepta sit, quarumque confessione sceleratissimum hoc sacrilegium deinde fuerit diuulgatum. Ab esu carnis ijdem abstinebant, dicentes, ab occisis animalibus quidquid diuinæ inerat substantiæ abscedere, nec quidquam nisi malum remanere, quod in corporibus electorum mundificari numquam possit. Idem de ouis esse & lacte. Vinum quoque non bibebant, asserentes virus id esse tenebrarum principis: vuis tamen vescebantur. Animas auditorũ suorum (duos enim tantum gradus fecerant, vnũ Auditorum, alterum Electorum) in electos aut eorum cibum conuerti existimabant, magna cum earum felicitate, quod in aliud corpus reuerti non cogerentur: reliquorum vero qui sectæ ipsorum non adhærebant animas, in quadrupeda vel plantas transire, Pythagoræ somnia sequuti, affirmabant. Vnde arbores etiam & plantas sensu præditas esse, & offendi ac dolere nugabantur: eamque ob caussam agriculturæ studium damnabant, ac vix sectatoribus suis permittebant vt tantum terræ colerent quantum alendis ipsis sufficeret. Quid vero illo commento vanius, quod mali principij naturam à bono separatam, in quevnum globum, tamquam in carcerem, cuius tectum formatum sit ex ijs animabus quæ quidem è bona natura compositæ fuerint, malum tamen ab se segregare nequiuerint, compactam, in æternum separatim victuram ac duraturam, amentes homines prodiderunt? Alia non minus portentosa prætereo: quæ a nobis alibi cum alijs hæreticis opinionibus confutata sunt.


Manichæi Pythagorici.

Finis Mũdi qualis, secundum Manichæos.

Quis

Quis fuerit primus Angelus à Deo conditus, quantaque splendoris excellentia præditus: quomodo idem Deo rebellarit: & quod fuerit illud inter Angelos prælium: deque Luciferi casu.

CAPVT IX.



VVM admirabilis ille & sapientissimus architectus Vniuersi huius opificium atque effectionem solius sui verbi virtute moliretur, Angelorum choros primum creare voluit, vtpote quorum substantia nobilissima est, spiritualis & sublimis. Inter hos primus fuit Lucifer, qui vt primus inter omnes substātias intelligibiles conditus est, ita etiam omnibus iisq; perfectissimis quas vlla creatura capere possit, à Deo naturæ dotibus fuit exornatus, vt in eo tamquam primo Dei opere atque effecto, primæ illius caussæ splendor ac magnitudo conspiceretur. Habuit hic tres stupendas illas sanctissimæ Trinitatis qualitates, granditatem scilicet, pulchritudinem & sapientiam. Granditas enim siue magnitudo Filij & spiritus sancti Pater est; Sapiētia Patris & Spiritus sancti est filius; Patris & Filij Pulchritudo siue Decor est Spiritus sanctus. Quā ob caussā Ezechiel Propheta Luciferū, *signaculū similitudinis* (Dei) vocat. Etsi vero aliorū quoque Angelorum nobilitas in Sacris scripturis passim

Angelorū quis primus à Deo creatus.

Lucifer qualis fuerit.

Ezech. c. 28.

deprædicatur, vt Michaelis qui apud Danielem
Dan. 10. vnus de primis Angelorum Principibus nomina-
tur; vt Raphaelis, qui Tobiæ vnum se esse dixit ex
Tob. 12. septem illis Angelis qui adstant ante Dominum;
vt Seraphini, qui pruna vatis Isaiæ labia tetigit;
Luc. 1. vt Gabrielis, quē Deus lætissima illa hominū ge-
neri de Christo & Saluatore nostro nascituro lega
tione dignatus est: supra omnes tamē exaltatus &
Ezech 28. celebratus fuit Lucifer, vt Ezechiel testatur, inqui
ens: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, &c.
& paullo post: *In medio lapidum ignitorum ambu-
lasti*; quo innuit, in Luciferum omnes omnium
Angelorum dotes & ornamenta, tamquam in su-
premum spirituum diuini amoris igne ardentiū
principem reposita & congesta fuisse. Eadem de
Isai. 14. mirabili Luciferi virtute Isaias testatur: nemo ta-
men disertioribus verbis huius Angeli pulchri-
tudinem, sapientiam & robur nobis describit quā
Ezech. 31. Ezechiel quum inquit, *Ecce Assur quasi cedrus in
Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, ex-
celsusque altitudine, & inter condensas frōdes ele-
uatum est cacumen eius. Aquæ nutrierunt illum, ab-
yssus exaltauit illum: flumina eius manabant in cir-
cuitu radicum eius, & riuos suos emisit ad vniuersa
Ezech. 28. ligna regionis*: Et alibi: *Plenus sapientia, & perfe-
ctus decore in delitiis paradisi Dei fuisti*. Iterum in
Ezech. 31 citato capite: *Cedri non fuerunt altiores in paradi-
so Dei abietes non adæquauerunt summitatem eius,
& platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne
lignum paradisi Dei non est assimilatum illi & pul-
chritudini eius*. Hanc tam præstantem tamq; no-
bilem creaturam, cum omnibus cœlestis Hie-
rarchię choris, postquam Deus formauit; cœlum
deinceps,

deinceps, vt quidam Theologi volunt, & terram, solem, lunam, stellas, omnes deniquevniuersi huius partes architectatus est, & immunerabilibus ornamentis condecorauit. Extremum omnium Dei operum in creatione fuit Homo, rationis quidem ille & intellectus particeps, Angelorum tamen natura multo inferior, qui cum Deo habitantes, laudes eius in æternum decantant. Homini huic animam & corpus tribuit: atque illa quidem, in qua est intellectus, memoria & volútas, Dei quamdam similitudinem & imaginem ostendit; hoc vero etsi commune ipsi est cum brutis animantibus, figura tamen & membrorum conformatione differt. Nam vt poeta ait:

Mundus post Angelorum creationem conditus.

Hominis creatio.

Pronaque quum spectent animalia cetera terram:
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Idem homo quasi ligamen est & vinculum & nexus vniuersi. In eo enim consociantur inter se atque coniunguntur res incorporeæ cum corporeis, mortales cum immortalibus. Est enim inter rationalem atque irrationalem natura intermedia, cum vtraque communia quædam habens: cum Angelis quidem vim intelligendi (quamquam plurimum differt quoad modum intelligēdi, hominis intellect. ab intellect⁹ Angeli. hic enim purus est; ille vero sensuū ministerio [a]d eruendam cognitionē vtitur) cum brutis vero [a]nimantibus, corpus, quæque ei conseruando inseruiunt appetitiones; vt scilicet se, vitam corpusque tueatur, & simile sibi procreet. hoc vero in primis habet homo præ ceteris ani-

 malibus

malibus prçcipiuũ, quod quum hçc ad ea tantum quç adsunt sensibus ferantur, homo animũ à sensibus abstrahere, & quũ ad aliarũ rerũ, tũ maxime ad creatoris sui cõtemplationẽ applicare potest. Etsi vero nó tãtisquantis Lucifer humana natura à Deo ornata fuerit donis; priuilegiũ tamen eadẽ accepit, lóge omni Angelorũ excellẽtia maius & prçstantius: dũ scilicet Deus ab æterno decreuit vt Filius, æternũ Patris verbũ, per quẽ omnia facta sunt, humanam assumeret naturam, non vt diuinam maiestatem amitteret aut deprimeret, sed humanam imbecillitatem exaltaret, secumq; indissolubili vinculo coniungeret. Proinde Deus antequam creatis Angelis & ad insolitum recentis Mundi spectaculum adhuc stupentibus, paradisi gloriam & æternam felicitatem largiretur, præcepto eos prius adstringere voluit, per cuius obedientiam se Dei creaturas esse cognoscerent (quod & in homine fecit, dũ pomi esu ipsi interdixit) & beato diuinæ glorię aspectu in æternum fruerentur: simulque ipsis reuelauit, velle seu t Filius suus vnigenitus humanam assumat naturam, non tamen ostenso modo quo tantum mysteriũ perficiendum erat. Huic datam à se omnem potestatem in cœlo atque terra; huic omnes obedire, hunc omnes adorare tamquam verum Deum iussit, per quem tamquam & humanç & angelicæ naturç mediatorem, vnusquisque à natura posset ascendere ad gratiam; qui vero obedire detrectarent, in æternas tenebras præcipitarentur. Atque hoc postea angelici spiritus, tempore scilicet ab æterno à Deo præfinito, cognouerunt, sicut Apostolus multis locis testatur, præsertim 1. ad Tim. 3. inqui-

Homo quatutione Angelis præstantior.

Præceptum Angelis post creati onĩdatum.

Incarnatio Christi Angelis reuelata.

Paullus Ad Heb. 1.

3. inquiens: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mũdo, assumptum est in gloria.* *1 ad Ti. 3.*

Lucifer vero superbia atque inuidia erga hominum genus, quos multis parasangis donorum numero ac nobilitate antecellebat, elatus, huic Dei voluntati opponere se ausus est, iniquum ratus, vnigenitum Dei filium humanam carnem, non vero angelicam naturam multo illa excellentiorem ac sublimiorem assumere. Quare eò dementiæ deuenit, vt æternum hoc Dei decretum impediturum se, sibi imaginaretur. Tanto magis vero ambitio Luciferum incitabat, quod sciret multos homines à Deo creatum iri, qui non tantum æqualem sed & maiorem forte quam ipse & complices habituri sint gloriã; horum vnum pro Deo, alios vero qui longe infra se erant pro socijs habere vehementer dedignatus. Quare superbia, vt dixi, & inuidia stimulantibus, nefarium Deo bellum indixit, attractis in criminis societatem multis alijs Angelis, quibus misera ambitione seductis turpe videbatur inferioris imperium agnoscere. Tandem huius rebellionis antesignanus Lucifer Deum se ferre, ac pro tali, ac rerum omnium creatore Angelis adorandum se præbere non dubitauit, malitiose à Deo creatum se esse negans, vti apud Isaiam legitur: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Huic tantæ superbiæ cœlestis hierarchiæ princeps Michael se opposuit, his ver-

Luciferi casus vnde

Isaiæ 14.

Michael Archang.

Lucifero se opposuit. bis: *Quis sicut Dominus Deus noster?* Nobis quidē ô Lucifer, nullo modo vanis tuis cupiditatibus obsequi certum est, quibus hoc vnum satis est quod scimus, Deum ita velle, qui sane nihil potest velle nisi quod iustum & bonum est. Quocirca aut nobiscum Deum hominem adorabitis, aut dextra hac è cœlo deijciemini. Itaque ergo inter hos Spiritus terribilissimus cōflictus est editus, in quo Michael Angelorum princeps insignem victoriam reportauit, quam D. Apostolus Ioannes

Apoc. 12. his verbis describit: *Et factum est prœlium magnum in cœlo. Michael & Angeli eius prœliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus eorum inuentus est amplius in cœlo. Et proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui seducit vniuersum orbem; & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt.* Parta victoria, & Lucifero præcipitato, Michael Archangelus & ceteri epinicion Deo gratias agentes cecinerunt, quod ab eodem Apostolo eodem in libro descriptum exstat, hunc in mo-

Apoc. 15. dum: *Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iusta & vera sunt via tua, rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quia omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt.* Et alio lo-

Apoc. 12. co victores Angeli ita canunt: *Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui, & non dile-*

dilexerunt animas suas vsque ad mortem, propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Sed quibus armis, in quis, prœlium hoc fuit commissum? Nullis equidem lanceis aut gladijs, aut è quacumque materia factis armis Spiritus vsos certum est, sed spiritualibus tantum: quæ nulla alia fuerunt quam affectus & consensus, qui in Lucifero & complicibus immoderati fuerunt & nefarij, in Michaele Archangelo & ceteris bonis Angelis ad diuinę volũtatis normam directi. Pugnauit Lucifer superbia & inuidia; Michael humilitate & reuerentia erga Deum; quibus Draconem illum è paradiso eiecit. Bellum igitur inter hos Spiritus solius mentis ac voluntatis imperio gestum est; quandoquidem non minus in angelo quam in homine duo illa, mens scilicet & voluntas, motus sunt principia; cuius in homine res aliæ, vt membra, instrumenta tantum sunt, quibus non indigẽt spiritus, vt Aristoteles & Auerroes testantur. Iam, vt hoc quoque addamus, à creatione Luciferi, quod fuit à principio auroræ vsque ad lucis creationem, à creatione, inquam, Luciferi vsque ad eius casum, spacium sex dierum quibus Mundus à Deo creatus est, intercessit: in quo tempore Spiritus veluti stupore quodam defixi imperscrutabilem hanc cœlorum, stellarum, solis, lunæ, terræ, maris, animalium, hominis, adeoque totius vniuersi fabricam contemplabantur: quibus quum postea Deus filij sui incarnationem reuelasset, addito mandato vt omnes eum creaturæ adorarent; discordia illa inter Luciferum & Michaelem, inter rebelles atque obedientes Spiritus exorta, & eum quem

Quibus armis Angeli conflixerint.

Auerr. 12. Met. 7 41 Arist. 3. de anima, 48.

quem diximus exitum sortita est. Quod vero tantum inter creationem & casum Luciferi spacium intercesserit, è verbis Ezechielis conijci potest, qui de Lucifero inquit: *In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ; donec inventa est iniquitas in te.* Et paullo ante dixerat: *Foramina tua* (id est naturales potentiæ intellectus & voluntatis tuæ) *in die qua conditus es præparata sunt posui te in monte sancto Dei. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte Dei.* Quę verba innuere videntur, inter creationem & casum Luciferi aliquantũ interualli intercurrisse: quod ipsum tempus creationis fuit. Idipsum ex apostrophe illa colligi potest, qua Isaias propheta orationem ad Luciferum conuertit his verbis: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris!* quasi diceret: Quomodo tu, ô Lucifer, qui in paucis illis creationis diebus omni mane multo splendidior sole te ostendisti, è gratia Dei in æternas damnationis tenebras tam subito præcipitatus es! Licet autem perfidus hic Spiritus & rebellis Dei gratiam amiserit; non tamen dotes illas & vires naturales, quibus à Deo ornatus in principio fuerat, amisit; quas equidem non ad Dei laudem iam & obsequium, ad quem finem ei datæ fuerant, sed hominis exitium impendit, sedulo atque vnice id agens, vt in eiusdem rebellionis, & quæ hanc consequitur miseriæ societatem hominem pertrahat. Admirabile huius tam maligni Spiritus robur ac qualitates naturales Dei ipsius verbis prolixe apud Iobũ describũtur, hoc modo: *Ecce*

Ezech. 28.

Ibidem.

Lucifer an perdiderit vires naturales.

Diaboli potentia.

Ecce Behemoth, quem feci tecum: fœnum quasi bos comedet. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistulæ æris: cartilago illius quasi laminæ ferreæ. Ipse est principium viarum Dei qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi. Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius: circumdabūt eum salices torrentis. Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. In oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguā eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid faciet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum? Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Concident eum amici, diuident illum negociatores? Numquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius. Pone super eum manum tuam: memento belli, nec vltra addas loqui. Ecce spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. Deinde capite sequenti: Quis reuelabit faciem indumenti eius? medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se pre-

Iob 40.

Iob.1.

prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem intercedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi. De *ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ.* De *naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ atque feruentis.* Halitus *eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* In *collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas. Membra carnium eius cohærentia sibi: mittet contra eum flumina, & ad locum alium non ferentur.* Cor *eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli & territi purgabuntur* (pugnabunt) *Cum apprehenderit eum gladius* (quum apprehenderit ipse gladiũ) *subsistere non poterit neq. hasta neq. thorax. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum quasi lutum. Feruescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum vnguenta bulliunt. Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem. Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret. Omne sublime videt: ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.* Hactenus Iob. Multis quoque alijs locis superbissimi huius Spiritus vires

vires depinguntur quasi & commemorantur, quæ fusius alibi à nobis explicabuntur.

Quot Angeli de cœlo ceciderint, quotq; in eo remanserint: simul de numero eorum in vniuersum & præcipuis qualitatibus Doctorum quorumdam opiniones recensentur.

CAPVT X.

MVLTO plures Angelos in cœlo & gratia remansisse quam ob nefariam rebellionem præcipitati inde sint & deiecti, extra cōtrouersiam est, & vno ore ab omnibus sapientibus comprobatum. Ratio naturalis quam nonnulli hoc loco allegant, hæc est, quod Natura aut semper, aut certe vt plurimum finem suum cōsequitur; sicut vicissim quæ contra Naturę ordinem fiunt, rarò eueniunt, vt in monstris alijsque Naturæ operibus imperfectis videmus. Quare quum peccatum naturali Angeli, tamquam creaturæ bonæ & perfectæ, inclinationi aduersetur: manifestum est multo minorem fuisse eorum qui noxam commiserunt, seque ipsos perdiderunt numerum quam eorum qui naturæ ad bonum ferentis ductum sequendo, Deique præceptis obediendo, æternam felicitatem sunt adepti. Porro quando de numero quæritur eorum Ange- *Thom. q. 63. art. 9.*

Angelorum qui rebellauerant, respondent nonnulli, vniuersam eorum multitudinẽ ex omnibus choris detractam, chorum vnum æquare. D. Io-

Apoc. 12.

annes Apostolus certe Draconem illum siue Sathanam tertiam stellarum, id est, intelligentiarum siue spirituum partem secum traxisse dicit. At exacte Angelorum numerum inire impossibile profecto est: facile tamen intelligi licet quemadmodum perfectione, ita quoque numero omnes animalium species eos superare: vt e-

Angelorũ numerus.

tiam hominum generi nullum creaturarum vitam habentium numero par est. Daniel de Angelis loquens, numerum ponit (vt quidem est in

Dan. 7.

septuaginta interpretum translatione) *mille millenarium, & decies mille decem millenarium:* ita vt millenarium bis ponat, ad numeri magnitudinem significandam: quando vero eumdem quasi in orbem retorquẽs addit: *myrias myriades,* innuit profecto numerum eum infinitum esse, non aliter quam circulum, qui à se incipiens atque in se desinens, infinitus quodammodo est. Quod vero in vulgata est translatione, *millia millium, & decies centena millia,* eandem vim habet. Et apud D. Ioannem in Apocalypsi ita legitur: *Audiui vocem multorum Angelorum, & erat numerus eorum millia millium.* Et alio loco Sacra scriptura dicit: *Currus Dei multiplex, millia læ-*

Psalm. 67.

tantium. Iobus vero, *Numquid,* inquit, *est nume-*

Albertus M. de Angelorum numero opinio.

rus militum eius? Albertus tamen Magnus litteris prodere ausus est, singulos Angelorum choros continere sexies mille sexcentas sexaginta sex legiones; in singulis vero legionibus totidem esse, videlicet sexies mille sexcentos sexaginta

ginta sex Angelos. vnde colligitur in singulis choris Angelorum esse quadraginta quatuor miliones quatercentum triginta quinque milia quingentos sexaginta sex: è quo numero per nouenarium multiplicato exeunt treceti nonaginta nouem miliones quater centum & octoginta quatuor milia, quadringenti quadraginta octo. Sed his tantum quantum quisque vult fidei impertiat: nos alia persequamur. Sunt vero Angelici illi spiritus multis preclaris dotibus à Deo exornati. Præterquam enim quod incorporei sunt, & non ex materia & forma compositi, quilibet Angelus per se constituit speciem, ita vt tot sint Angelorum quot ipsi sunt, species, quibus cœlum non aliter quam viridarium aliquod innumeris floribus, mirifice exornatur. Nec vero Theologorum tantum, qui multis eam rationibus probant, sed Aristotelis etiam hæc est sententia, in formis separatis indiuiduorum, quæ vocant, multitudinem reperiri negantis. Indiuidua enim nihil aliud sunt quam ea quorum vna est materia. atqui Intelligentiæ siue Angeli puræ sunt mentes, ab omni materia separatæ; quod nisi ita esset, cœlos vel orbes suos, vt eidem Aristoteli placet, mouere non possent. Præterea vt idem philosophus libro II. De Anima, & libro II. De ortu atque interitu scriptum reliquit, indiuidua siue singularia eum tantum in finem in Natura constituta sunt vt res quæ numero siue singulariter fluxæ sunt & caducæ, per indiuiduorum multiplicitatem & successionem, quoad speciem, conseruarentur. Intelligentiæ vero & Angeli numero siue singuli æterni sunt: ad quorũ

Aristot. 12. Meta. tex. 12. & 8. Phys. 2. De anima, 34. 2. De ort. & int. 59.

ſpecies conſeruandas indiuiduis nihil eſt opus. Adde, quod ea quæ forma à ſe inuicem diſtinguuntur, differunt quoque ſpecie, non numero, quum ſpecies nihil aliud ſit quam forma. Quare Intelligentiæ ſiue Angeli quum formæ ſint ſeparatæ, neceſſe quoque eſt vt ſpecie & non numero ſint diſtinctæ: quandoquidem formæ rerum inſtar ſunt numerorum, ita vt vnaquæque earum differentia ſpeciem conſtituat indiuiſibilem, quemadmodum omnis quoque numerus per ſe ſolum forma eſt, à ſeipſo ab alijs numeris diſtincta atque indiuiſibilis. Idem alio modo probat Ariſtoteles, quum ait, Cœlos ſpecie à ſe inuicem diſtingui: vnde libro 1. De Meteoris cœlos inferiores ſuperioribus impuriores atque imperfectiores eſſe affirmat. Ex quo infert, Intelligentias quoque, quæ orbibus ſuis conuenire ac reſpondere debent, ſpecie à ſe inuicem diſtingui. Idem Auguſtinus ſentire videtur, quum inquit: *Sicut enim luna ſtellas, ſol lunam in claritate excellere cernitur; ſic quilibet ſuperior ordo Angelorum inferiorem ab Angelis vſque ad Seraphin gloria, dignitate, claritate præcellere creditur.* Præterea Angelus loco non continetur, ſed locũ ipſe continet: quia ibi Angelus eſſe dicitur vbi virtus ipſius operatur, vt ſupra multis eſt declaratum. Illud vero dictu mirabile eſt, Angelum mouere ſe poſſe & ire quocumque velit, nec tamen vt medium interuallum pertranſeat neceſſe habere. Vt, poteſt de cœlo in terram venire, nec tamen ignis elementum aut aerem tranſire cogitur. Quod etſi humani ingenij captu maius atque incredibile videatur, verum tamen eſt. Angeli enim ſubſtan-

Ariſt 6. Metaphyſ. tex. 10.

2. De cœlo, tex. 68.

Augu. De cogn. veræ vitæ. c. 6.

Angeli motus qualis

substantia loco non est subiecta, neque eo circumscripta aut contenta, sed longe superior, ita vt ipsa locum contineat, seque quocumque velit applicare possit, aut intermedia transeundo, aut non transeundo. Quod si Angelus de loco in locum, aut ab vno extremo ad aliud transferre se non posset nisi ea ratione vt intermedia attingeret ac pertransiret: illud sequeretur inconueniens, Angelum in instanti se mouere, aut à cœlo altissimo in Mundum hunc materialem descendere, aut hinc in cœlum ascendere non posset quod tamen fieri supra demonstrauimus. tam enim mali quam boni Angeli in instanti de cœlo descendere & breui temporis momento Vniuersum circumire possunt, quod sane continuo motu fieri nequit. Dicunt enim mathematici, si lapis è cœlo stellato vel sphęra octaua demittatur, isque singulis horis centum milaria transeat vel conficiat, sexaginta quinque & eo amplius annis in itinere quasi hæsurũ donec terrã attigerit, ob immensam eius à cœlo distantiam, quæ complectitur, vti supra diximus, 170. miliones, 803. miliaria: quo numero interuallum a cœlo aqueo vel decimo, decies est maius. Est insuper aliud quidpiam in Angelis nõ minus admirabile, quod non tantum sine vlla ratiocinatione, vel quocumque alio medio, sed etiam quanto superiores sunt Deoque viciniores, per speciem magis vniuersalem quam reliqui inferiores omnia intelligunt, maiori scilicet facilitate & modo quodam excellentiori, eo scilicet ferè quo sensus communis, respectu sensuum externorum. Vt enim hi singuli per species particulares, oculus per vi-

Distantia cœli octaui à terra.

Angeli quo modo intelligant.

Sensus communis.

per visionem, auris per auditionem, interior vero siue communis sensus omnia obiecta in quinque illos sensus incurrentia, per vnam speciem vniuersalem intelligit: ita intellectus per speciem multo magis vniuersalem quam sensus communis omnia percipit. Angelus insuper seipsum suaipsius essentia cognoscit: quod secus est in homine. Ratio est: quia quum Angeli essentia sit immaterialis, sua etiam natura est intelligibilis, tantoque propius cum intellectu angeli vnitur: eoque omnis spiritus cœlestis seipsum per suamipsius essentiam intelligit, nec specie intelligibili opus habet. Est enim species intelligibilis ad hoc necessaria vt ré quæ intelligenda est actu faciat intelligibilem, obiectum cum potentia vniendo: quorum vtrumque quum in ipsius Angeli sit essentia, hæc ipsa ad seipsam cognoscendam satis erit. neque enim species intelligibiles vbi nullus earum vsus est, asseri debent. Quum igitur ipsa Angeli essentia intelligibilis speciei vicem expleat, frustra certe quis aliam ei speciem adiunxerit. Quod vero attinet ad illam scientiam qua Angelus Angelum aut ceteras res tam corporales quam spirituales cognoscit: acquiritur illa speciei intelligibilis, quam in suo habet intellectu, non vero essentiæ ope. Atque hæc potentia qua spiritus angelicus non alios tantum spiritus, sed res omnes cognoscere potest, præpotente Dei manu mentibus his tributa est atque indita, vt Augustinus testatur, inquiens: *Vnicuique spiritualium creaturarum impressæ sunt à verbo Dei rationes rerum omnium.* Porro Deum Angelus cognoscit duplici

Angel. quo modo seipsum intelligat.

Angelus quando alterum cognoscat.

Aug. 2. in Genes. c. 9.

duplici modo, vno per species intelligibiles creaturarum omniumque quæ Deus molitus est operum. Quum enim homo è Theatri huius vniuersi & quæ in eo sunt diuinorum operum contemplatione Dei cognitionem aliquam haurire possit: quanto magis Angelus, quem nullius creaturæ cognitio fugit? Alter modus quo Deum Angelus cognoscit, est per suam naturalem essentiam, quæ ad eam cognitionem concurrit non tantum vt effectus caussam, sed etiam vt similitudo & species intelligibilis archetypū repræsentans. Essentia enim angelica similitudo quædam & imago est Dei, & insuper forma intelligibilis actu cum intellectu Angeli loco speciei intelligibilis artissime vnita: eoque principium Dei cognoscendi esse potest. Quantum iam ad futuras res quæ plerumque euenire solent, vtrum eas Angeli cognoscant nec ne; B. Thomas hanc adfert distinctionem: Angelum eas res futuras quæ ex caussis naturalibus necessarijs procedunt, cognoscere, vt, solem mane oriturum; eas vero quæ vt plurimum, non tamen necessario eueniunt, coniectura tantum assequi: quarum vtraque cognitio cum homine ei communis est, nisi quod vtrobique quanto maior est angelicæ naturæ excellentia longiorque experientia, tanto perfectior eius est cognitio. Rerum vero quæ fortuito & casu quodam accidunt, Angelus nullā habet cognitionē. Quia enim Angeli natura intelligibilis est perfecta; ea tantum intelligit quæ caussas cur futura sint, certas aut quasi certas habent: res vero fortuitas aut accidentales nemo nouit prȩter Deum, cui soli omnia tam

Angelus quomodo Deum cognoscat.

Caiet. q. 56. arti. 2.

Angeli an futura sciant.

Esai 41. 45. 46. Dan. 7. cap. 8.

Angeli an hominum cogitationes nouerint.

præterita quam futura sunt præsentia: vt multis locis sacræ paginæ testantur. Idem de humani cordis cogitationibus dicere licet, in quarum adyta penetrare Angeli naturalis intelligentiæ vi non possunt. Naturalis enim illa intelligendi in angelico spiritu potentia eas tantum res complectitur quæ ad Naturæ ordinem pertinent, eique subiectæ sunt. atqui intima humani animi sensa & cogitationes, nisi modo aliquo ab homine ipso reuelentur, sunt extra ordinis Naturæ necessitatem, quo substantiæ tantum & ea accidentia in quibus coniunctio aliqua aut dependentia à rebus naturalibus inest, referuntur: hominis vero cogitationes tales non sunt, sed accidentia sunt à libera caussa dependentia, & proptere non Naturæ sed alteri cuidam superiori, extra rerum naturalium euentum posito ordini subiectæ sunt, qui Deus est: quum caussa naturalis habitum habeat determinatum, quemadmodum etiam Natura ad vnum determinata dicitur. Angelus denique quatuor rebus ab anima hominis differt. Anima enim corpori per Naturam vnitur tamquam forma; Angelus vero per accidens, tamquam motor rei mobili: anima rationalis est, Angelus intelligibilis (anima enim scientiam acquirit inuestigando & conferendo; Angelus contemplando) Angelus non patitur, superiorum respectu; anima vero, etiam inferiorum, quum à sensibilibus mutari possit: anima à bono ad malum auerti potest; non sic Angelus, qui in eo ad quod semel se conuertit firmus persistit. Sunt præterea multæ aliæ Angelorum notabiles qualitates, quarum aliquot in se-

quenti-

quentibus, atque etiam alibi attingemus.

De tribus hierarchiæ cœlestis ordinibus, deque eorum gubernatione & officio tam in cœlo quam in terra: de quatuor Angelis ad quatuor cœli plagas & supra quatuor ventos collocatis: de cœlestium orbium spiritibus: quas Intelligentias philosophi appellant.

CAPVT XI.

SPIRITVS omnes angelici, qui, vti diximus, substantiæ sunt intelligentes, incorporeæ, semper mobiles, immortales, sensibiles, omnibus assistentes, Deo ministrantes &c. in tres hierarchias distinguũtur, quæ ternos cótinent choros. Prima hierarchia est in qua sunt Seraphim, Cherubim & Throni. Seraphim qui Hebraice sciunt, interpretantur incensores vel calescentes, suntque qui Dei potentiam iugiter contemplantur. Cherubim scientiæ cognitionisque copiam, vel scientiæ infusionem denotant. hi Dei bonitatem admirantur. Thronorum nomen summam atque excelsam Sedem declarat: suntque qui Dei iustitiam & æquitaté considerãt & dilaudãt. In primo Choro Deus amat vt charitas; in secundo cognoscit, vt Veritas; in tertio sedet vt Æquitas. Secũdus ternio Dominationes, Virtutes & Potestates complectitur. Dominationes, Angelorum regunt officia; Virtutum est

Angeli in quot choros diuidantur

diuina iussa exsequi; Potestates cacodæmonum vires & conatus refrænant. In Dominationibus Deus imperat vt maiestas; in Virtutibus operatur vt Virtus; in Potestatibus defendit vt Salus. Tertius hierarchiæ ordo continet Principatus, Archangelos & Angelos. Principatus principum populi curam gerunt, & miracula operantur; Archangeli res illustriores denunciant; Angelis humani generis custodia est commissa. In primo horum Deus regit vt princeps; in secundo reuelat tamquam lux; in tertio mandat vt inspirans.

Chori Angelici & eorum officia

Primus hierarchiæ huius ternio ordinem diuinæ prouidentiæ contemplatur, alijsque exsequēda præscribit: secundus ad Mundi & cœlorum gubernationem concurrit, & aliquando operatur: tertius ad inferiorum rerum curam descendit, prohibetque ea quæ diuinæ legis normam perturbare possent. Principatus res publicas, velut principes, magistratus, prouincias, regiones, curant, vt distinctis limitibus Archangeli rebus sacris vacant, cultum diuinum inter homines disponunt, precesque hominum & sacrificia Deo offerunt. Angeli rerum minorum curam suscipiunt, alijs herbam, alijs lapidum, alijs aliarum rerum virtutes aut tale aliquid homini commōstrantibus, alijs hominum custodiæ intentis. Est enim cuique hominum Angelus à Deo pro custode additus, vt Isidorus affirmat, inquiens: *Singulæ gentes præpositos Angelos habere creduntur, omnes homines Angelos habere probantur.* Et Origenes, *Adest*, inquit, *vnicuique nostrum, etiam minimis qui sunt in ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, quod*

Isidor. lib. De sū. bon. Orig. in Num. homil. 71.

quod actibus nostris corrigendis & miseratio-nibus exposcendis quotidie videat faciem Patris qui in cœlis est. Sed Angelorum virtutes atque o-perationes alibi prolixe descripsimus: heic tan-tum essentiam eorum, diuisionem & nomina breuiter explicaturi. Ait Dionysius Angelorum choros hoc modo esse concatenatos. Primum, quia amor rerum omnium primum est, ac pri-mus à Deo influentiam recipit; propterea Sera-phim primum tenent locum. Deinde quia ex A-more nascitur Sapientia, inque eo tamquam sua sede habitat; secundus locus Cherubim est assi-gnatus. Iam quia ex Amore & Scientia vel Sapi-entia Iustum procedit; ideo tertius locus Thro-nis datus est. Sic ergo Seraphim Amorem, Che-rubim Sciētiam Throni Iudicium designant. Ve-rum quoniam vt id fiat quod debet fieri, Imperi-um Iudicio subiectum esse oportet; ad Imperium vero virilis quædam Virtus Imperij exsecutrix requiritur; Virtus autem hæc vix munus suum recte obire possit, si non Potestas quædam esset, omnia obstacula remouens, & contrariam po-testatem bonas actiones semper impedire conā-tem reprimens: in secuudo choro positæ sunt Dominatiōes, Virtutes & Potestates. Porro quia Potestas sine eruditione & rerum ignotarum Reuelatione nihil valet; hæc vero instructio aut reuelatio duobus modis fit, aut opere aut verbis: tertius hierarchiæ ordo tributus est Principatib. qui maxime insignia operū, & miracula etiā pa-trant; & Archangelis, qui præcipua diuinitatis mysteria ad salutem nostram pertinentia, aperi-unt; & Angelis, quorum ministerium in crea-

turarum, hominum in primis actionibus rebusque minoribus versatur. Atque hæc est, secundum Dionysium, cœlestis hierarchiæ œconomia: Bernardus vero & Gregorius Principatus in secundo secundæ, Virtutes vero in primo tertiæ hierarchiæ ordine ponunt. Est ergo inter Spiritus hos beatos series quædã ita disposita, vt superior inferiori scientiam infundat; quæ quidem scientia in primo multo est illustrior & accuratior quam in secũdo, & in hoc etiam, quã in tertio, sicq; deinceps, donec ad vltimũ perueniatur, qui eã his nostratibus rebus cõmunicat. Hanc sententiam confirmant ea quæ apud Zachariã prophetam leguntur, qui Deo populũ Hebręum è captiuitate Babylonica liberare volẽte, Angelum vidit cui à Deo id reuelatum fuerat, quod ipse alijs inferioribus, hi deinde prophetæ indicarunt. Huc quoque pertinent illa paullo ante etiam à nobis citata Augustini verba: *Sicut enim luna stellas, sol lunã in claritate excellere cernitur, sic quilibet superior ordo Angelorũ inferiorẽ ab Angelis vsque ad Seraphim gloria, dignitate, claritate præcellere creditur.* Quatuor etiã Angeli quatuor cœli plagis præpositi sunt, qui 4. vẽtos principales moderantur, quique principes sunt reliquæ militiæ cœlestis. Orientem, vnde Eurus flat, Michael; occidentem, vnde Zephyrus, Raphael; septemtriones, vnde Boreas, Gabriel; meridiem, vnde Auster Vriel tueri putatur. D. Ioannes Apostolus in diuina quadam & stupenda quam VII. capite describit visione, ait se vidisse quatuor Angelos stantes super angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram, neque super mare, neque

Zach. 1. & 2.

August. de cogn. ver. vit. cap. 6.

Apocal. 7. Quatuor Angeli plagis Mundi totidẽ præsidentes.

neque in vllam arborem. Eodem modo vnicuiq; cœlorum pro gubernatore & præside Angelus est assignatus; quem Hebræi Cherubim, Aristoteles Intelligentiam vocat. Horum officia & nomina, si Rabbinis quibusdam credimus, hæc sunt. Primo cœlo, quod primum quoque mobile dicitur, præest Metatron, cœlo stellato Ophaniel, Solis sphæræ Varcan, Lunæ Arcan, Martis Lamach, Mercurij Madar, Iouis Guth, Veneris Iurabatres, Saturni Maimon: quarum Intelligentiarum singulæ aliorum inferiorum Spirituum opera ac ministerio, in circumagendis à Deo sibi commendatis orbibus, vtuntur. Aristoteles quidem confessus est vnicuique orbium cœlestiũ Angelum siue Intelligentiam assistere; eam vero ita ei esse connexam vt ex nullo alio quam ex orbe suo & Intelligentia vnumquodque cœlum sit compositum. In eadem sententia est Franciscus Piccolomineus in eo quem de Philophia scripsit libro, nullam scilicet aliam in cœlo esse compositionem, quam ex Intelligentia tamquam motrice, & orbe, tamquam corpore mobili: quod quidem ille corpus omnino simplex, neque ex materia & forma compositum esse dicit. Alexander Aphrodisiensis, Picus Mirandula, atque omnis Arabum schola singulis orbibus binas Intelligentias assignarũt: Hebræorum vero Rabbini statuerunt vnicuilibet orbiũ animã infusam, à qua ipse moueatur, eo modo quo homo ab anima; ita tamẽ vt nihilominus anima cœli orbẽ suũ moueat ad motũ Intelligentiæ, à Deo sibi præpositæ. Spiritus hi à diuersis effectis diuersa nomina sortiuntur. Dicuntur .n. Mentes, Animæ, Prouidentia, Naturæ, Intelligẽtiæ: de quib. enucleatius alibi differemus.

Intelligentiæ Planetarum.

Rabbinorum aliquot Hebræorum & Cabalistarum de septem Angelis in conspectu Dei stantibus & eorum officio: de duodecim Angelis zodiaci signa regentibus, deque quatuor elementorum præsidibus, opiniones, sententia item Athanasij, & Romani Concilij Decretum commemorantur.

CAPVT XII.

Tob. c. 12. apocal. 8. Septem Angeli in conspectu Dei Assidue stantes.



SVNT etiam, ex ipsius Sacræ scripturæ testimonio, septem Angeli, qui asidue stant in conspectu Dei altisimi: quibus, vt Hebræorum magistris placet, omnis cœlestis & & terrestris regni dispositio commissa est. Hi annos inter se, dies & horas partiuntur, vt & planetæ; hi omnes omnium stellarum & signorum influentias adunant, & per mundum inferiorem distribuunt. Primus horum Raphael dicitur, qui solem regit; secundus Gabriel, qui lunæ dominatur; tertius Chamael, Marti præpositus; quartus Michael, Mercurij pręses; quintus Adahiel, rector Iouis; sextus Haniel, Veneris gubernator; septimus Zaphkiel, Saturni princeps. Horum mentionem D. Apostolus Ioannes facit in Apocalypsi, dicens: *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & data sunt illis septem tubæ.* Et paullo post: *Et septem Angeli qui habebant septem tubas præparaue-*

Apocal 8.

rauerunt se vt tuba canerent. Et primus angelus tuba cecinit, & facta est grando & ignis, mista in sanguine. & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est. Et secundus angelus tuba cecinit; & tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis: & mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interijt. Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella magna, ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum. & in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur Absinthium: & facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. Et quartus angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter. Et vidi & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra, de ceteris vocibus triũ angelorũ qui erãt tuba canituri. Et quintus Angelus tuba cecinit. Et aperuit puteũ abyssi, & vidi stellã de cœlo cecidisse in terrã: & data est ei clauis abyssi: & ascẽdit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ: & obscurat⁹ est sol, & aer de fumo putei. Et de fumo putei exierũt locustæ in terrã & data est illis potestas sicut habent potestatẽ scorpiones terræ: & præceptum est Apoc. 9.

illis

illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis Et datum est illis ne occiderent eos, sed vt cruciarentur mensibus quinque: & cruciatus eorũ vt cruciatus scorpij cum percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prœlium: & super capita earum tamquam coronæ similes auro: & facies earum tamquam facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum: & dentes earum sicut leonum erant: & habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarũ earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, & habebant caudas similes scorpionũ & aculei erant in caudis earũ & potestas earũ nocere hominibus mẽsibus quinque. Et habebãt super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon: Latine habens nomen Exterminans. Et sextus angelus tuba cecinit. Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante occulos Dei, dicentem sexto angelo qui habebat tubam: Solue quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam

Apoc. 11. partem hominum. Et inferius: Et septimus angelus tuba cecinit. & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum est regnum huius Mundi Domini nostri, & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum

rum. Et paullo post: *Apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.* Hæc Apostolus: quibus postea prœlium inter angelos commissum & Luciferi casum subiungit, supra à nobis recitatum. Similiter, vt ijdem Rabbini & Cabalistæ fabulantur, duodecim sunt potentiæ, tres orientales, tres occidentales, tres septemtrionales, & tres meridionales. Prima potentia orientalis Chaor dicitur, cuius princeps Malthidiel Arietis signo præsidet. secunda Corona appellatur, cuius princeps Vorchiel est, & Leonis signum regit. tertia Hermus vocatur, princeps vero eius Adnachiel, sub quo est Sagittarij signum. Prima potentia meridionalis Pantheon dicitur, eius vero princeps Asmodes Tauri signo dominatur. secundam Fim appellant; cuius princeps est Hamabiel, virginis signum moderans. tertia Haim vocatur, princeps eius Hanuel, supra Capricorni signum constitutus. Prima potentia septemtrionalis est Bethzan, princeps eius Manel, qui Cancri signum regit. Secunda potentia Zotnochtaret appellatur, cuius princeps Barhiel Scorpionis signo præest. tertia Elitan est, princeps Barchiel, Piscium tenens signum. Prima potentia occidentalis Gelphor appellatur, cuius princeps Ambriel Geminorum signo est præpositus. secunda Bleor dicitur, princeps Zaniel, Libræ dominus. tertia Caphet vocatur, princeps Gubiel, Aquarij signo præsidens. Omnes hi principes alios principes sub se habēt, ac rursus ab alijs reguntur. Sunt etiam, vt ijdem volunt, quatuor Angeli elementorum præsides. Horum

Angeli siue Intelligentiæ signorū Zodiaci.

Angeli quatuor elemētorū præsides.

Horum primus Seruph appellatur, ignis dominus: secundus Cherub, aeris præses; tertius Tharsis, aquarum, quartus Ariel, terræ rector. Non tamen existimandum est propria hæc esse Angelorum illorum nomina, quæ ab operationibus tantum, qualitatibus & cœlestium corporum influentijs desumta sunt, vt sequenti operis huius parte videbimus. neque enim in sacris scripturis horum vlla expressa reperiuntur, præter Michaelé, Gabrielem, & Raphaelem: eamque ob caussam in Concilio Romano, sub Zacharia Pontifice, Aldebertus quidam & Clemens hæreseos damnati sunt, quod ille quidem in precatione nescio quos Angelos inuocasset: cuius precationis formula talis fuit: *Supplico vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel.* Qua scriptura in Concilio lecta, prędictus Aldebertus, vti dixi, hęreseos damnatus est. Sunt vero hęc Decreti eam in rem facti verba: *Octo enim nomina qua in oratione sua Aldebertus inuocauit, non Angelorũ, prater Michaelis, sed magis Dæmonum nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxilium inuocauit. Nos autem, vt à vestro sancto Apostolatu edocemur, & diuina tradit auctoritas, non plus quã trium Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael. Zacharias Papa dixit: Optime prouisum est à vestra sanctitate, vt conscripta illius omnia igne concrementur; sed opportunum est vt ad reprobationem eius in scrinio nostro cõseruentur ad perpetuam confusionem. Vniuersum Concilium dixit: Aldebertus, cuius nobis actus & nefaria commenta lecta sunt, & qui se Apostolum censuit nominari, & qui*

& qui capillos & vngulas suas populis pro sancti tate tribuit, quique sub obtentu angelorũ dæmones in suum auxilium inuocat, sit ab omni officio sacerdotali alienus, &c. Vnde patet, aliorum Angelorũ quam quorum nomina à Deo reuelata sunt, auxilium inuocare rem periculosam esse & damnatam: nec profecto quisquam cogitare debet esse hæc quæ modo posuimus nomina alicuius momenti; quum ab hominibus tantum inuenta, & à rerum naturalium qualitatibus desumta sint. Seraph enim si vim vocis spectes, nihil aliud est quã ignis, Cherub aerem denotat, Tharsis aquam, Ariel terram, vt quidem ipsi Rabbini fatẽtur: quod & de ceteris illis tam re quam nomine barbaris nominibus est intelligendum.

De conuenientia quam habẽt nouem Chori angelici cum sphæris cœlestibus Et primum de similitudine quã Seraphim cum primo mobili, Cherubim cum cœlo octauo siue stellato, Throni cum Saturno. Dominationes cum Ioue, virtutes cum Marte habent.

CAPVT XIII.


IERI non potest quin homo vbi admirabilem totius vniuersi fabricam contemplatus fuerit, non stupore quodam totus defigatur, & ter optimum maximum atque om nipoten-

nipotentem illum architectum diuinis laudibus, quod & omnes res creatæ faciunt, exaltet. Quod si hæ res quas intellectus vi ægre percipimus, percipimus tamen, tantum habent admirationis: quid sentiendum est de illis, quas, vt Apostolus ait, nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæque in nullius hominis cor descenderunt? Et in Mundi quidem huius fabricatione tria Deus demoostrauit, infinitam potentiam in creando, incomprehensibilem sapientiam in ordinando, summam bonitatem in conseruando hoc Vniuerso. Primum illud & vltimum à quouis etiam non acutissimo cognosci possunt (quis enim nisi oculis atq; animo cœcus, Mundi huius magnitudinem, perpetuitatem & conseruationem non videat?) tertium vero non nisi ab intellectu bene purgato cernitur, nec nisi à mente subacta comprehenditur, nec nisi longo rerum humanarum & diuinarum studio acquiritur. vt summatim dicã, nihil aliud est hic Mundus quam ordo quidã, harmonia, correspondentia, & proportio quædã omniũ rerum, quam 1. libro quodãmodo adumbrauimus, pręcedenti vero capite latius aliquãto declarare cœpimus, dum Angelorum ordinẽ & officia versus Deũ & homines ostendimus. nunc breuiter similitudinẽ quã Angeli cũ secũda huius Theatri parte habent, aperiemus. Dicimus ergo Seraphin cum primo mobili, Cherubin cum cœlo stellato, Thronos cum Saturno, Dominationes cum Ioue, Virtutes cũ Marte, Potestates cum sole, Principatus cum Venere, Archangelos cum Mercurio, Angelos cum luna similitudinẽ quandam siue concordantiam habere. De Seraphin qui-

Angelorũ cum cœlis cõueniẽtia

quidem Dionysius Areopagita hunc in modum scribit: *Seraphinorum cognomen est mobile semper circa diuina, incessabile calidum, acutum, superferuidum, inflexibilis semper motionis suppositorum agminum reductiuum, actiuum exemplar, recalefaciens illa inferiora, reducens in similem caliditatem cælitus igneo illo vigore comparato, ea quæ tam quam holocausta summa in incendiis expurgat, non circumvelatum exsistens, sed lucidum inextinguibile, semper illuminans, omnem tenebrosam obscuritatem expellens*. Omnes hæ admirabiles qualitates primo mobili itidē impressæ reperiuntur. Quemadmodū enim Seraphini semper se exercitant & conuertunt versus Dei diuinitatē ita primū mobile semper in suo motu trāsfertur in primū motorē, à quo virtutes atque influentias quas in cœlos inferiores transfundit, recipit. Et quemadmodum Seraphin, ita etiam primum mobile perpetuum atque incessabilem habet calorem, cuius beneficio omnes cœlos secum rotat atque circumagit, tantæ machinæ magnitudine cursui eius minime obstante. Et quemadmodum Seraphini acuti sunt, ita quoque primum mobile acutissimum sit necesse est, vt scilicet acrimonia sua penetrare possit, & virtutem suam diffundere in orbes inferiores. Deinde quemadmodum Seraphini sunt feruentissimi; ita quoque primi mobilis ingens est feruor; cuius vi omnes cœlos rapit secumque circumagit. Et quemadmodum Seraphinorum motus est inflexibilis; ita quoque motus primi mobilis numquam reflectitur aut vacillat, sed omnia hæc inferiora sub imperium suum cogit. Et quemadmodum

Dionys. Areop. De cœlesti hierarchia.

Seraphinorum cum primo mobili similitudo.

Seraphini Angelorum turmas ipsis subiectas adu-
nant; ita primi mobilis motu & mensura cete-
rorum errantium quodammodo cœlorum mo-
tus regitur atque vnitur. Seraphini actiua dicun-
tur exemplaria; quod idem nomen primo mo-
bili quoque competit, vtpote quod cœlos non
incitat tantum, sed præcedendo etiam secum ra-
pit. Et quemadmodum Seraphini amoris incen-
dio quasi inflammati sunt & combusti; ita igne-
us ille primi mobilis globus, celerrimo mot
ignescens, res omnes inflammat & calefacit, ho
tamen discrimine vt illi virtutem suam imme-
diate à Deo recipiant; hic vero à duodecim reu-
lutionibus, vt ita purgati ad principium suum
reuertantur. Et quēadmodum Seraphini nullam
habent creaturam superiorem à qua regantur
ita primus orbis superiorem non habet, sed ip
cœlo empyreo Deique habitationi, vt ita d
cam, proximus est. Et quēadmodum Seraphini d
uinæ claritatis, ob vicinitatem, fulgore ita ill
minantur, vt numquam obscurari queant, s
mille solibus sint illstriores; ita primus hic o
bis empyreo cœlo proximus, luce fulget inc
dibili. Et quemadmodū Seraphinorū ardore s
ritus illuminantur atque ita exardescunt vt
Deum conuertantur; ita motus huius primi m
bilis celeritate atque inextinguibili claritate
omnes inferiores ita purgantur ac perficiunt
vt resolutis ac consumtis omnibus *fæcibus*,
primum principium cum dulci quadam harm
nia resoluantur. Sunt & in hoc Seraphini pri
mobili similes, quod sicut hoc à solo primo m
tore mouetur; ita illi Deo immediate sine al
ru

rum Angelorum opera ac ministerio adhibentur; vt ille Seraphin qui Isaiæ prophetæ labia tetigit ac purificauit: qui reuera vnus ex primo hoc Angelorum ordine fuit. Atque hinc admirabilis magni illius architecti sollertia ac sapientia elucet, qui Angelos cœlis, cœlos elementis, elementa cœlis, Angelos hominibus, omnia denique sibi ipsi ita connexuit & concatenauit. Porro magnam habent Cherubini cum cœlo stellifero similitudinem. Cherub enim in Chaldaica lingua picturam immaculatam denotat. Quæ vero vspiam pulchrior aut purior adspici possit pictura quam Firmamentum hoc cœleste, tot tamque varijs stellis vndique exornatum? quas equidem non Phrygia aliqua manus effinxit, sed diuina sapientia fabricata est, luminosas, claras, incorruptibiles, semper viuentes, infinita virtute plenas. Et sicut orbis hic pulcherrimis illis tot lucidorum siderum imaginibus mirifice est exornatus; ita Cherubici spiritus varijs altissimarum scientiarum donis præditi sunt. Et quemadmodum idem hic orbis à primo mobili circumagitur; ita Cherubicorum spirituum ordo à primo Seraphinorum ordine mouetur atque excitatur. Est præterea inter Thronos & Saturni sphæram conuenientia quædam. Quemadmodum enim Throni nomen inde habent quod quasi sedes quædam sint Dei, supra res has inferiores ita exaltati Deoque ita familiares, vt in eis omnia intueatur: ita Saturnus planetarum septimus quasi cœlorum quædam sedes est, ita vt quod Deus septimo die requieuisse, eumque diem populo Israelitico festum atq; ab omni opere immunem

Cherubinorum & cœli stellati similitudo.

Thronorum cum Saturno conuenientia.

 habe-

habere præcepiſſe legitur, myſterio non careat, quum Saturni vox in lingua Hebræa non minus quam Sabbathi, quietem ſignificet. Et quemadmodum Throni ex amore & veritate coniuncti ſunt; ita Saturnus, ſi Firmico credimus, homines reddit bene formatos, ſingulari iudicij dexteritate ac maturo ſilentio præditos, qui amoris alis eleuati res abditas atque abſtruſas perſcrutantur, atque ita quodammodo vnà cum Thronis altiſſimi creatoris ſedes fiũt. Et quemadmodum Throni Deiformes dicuntur, effuſores & diſpenſatores diuinæ ſapientiæ: ita Saturnus, ab antiquis Ianus bifrons apellatus, ſapientiæ pater creditus fuit, ſub quo aureum illud ſæculum fuiſſe poetæ fabulantur, quando ſponte ſua tellus illaborata victum fundebat, fontes lacte manabant, agni cũ lupis congrediebantur, nec vllũ in hominibus aut animalib. odiũ erat, inuidia, aut aliud vitij genus. Eam ob cauſsã ſeptimus dies Saturno eſt aſſignatus, quod ſeptimus ſit planeta, & ſeptimo Angelorũ ordini cõformis, in quo Throni ſunt, Dei altiſſimi Sedes. Vnde in Leuitico præceptũ fuit, vt ſeptimo quoq; anno terrę quies cõcederetur, eãque ob cauſsã Cabaliſtę dicũt ſeptimo millenario elementarẽ hunc Mundũ in antiquũ chaos recaſurũ ſimiliterq; cœlos quadrageſimo nono millenario cõſumtũ omnesq; Naturę operationes deſtructũ iri: poſt id vero tempus, quod ſepties ſeptẽ annorum milia complectitur, anni Iubilæi initium fore, quem Aſtrologi magnum vocant, vti ſupra dictum eſt. Præterea habet hoc Saturnus præ ceteris omnibus planetis peculiare, quod quum ceteri ipſi coniungantur, ipſę numquam cum alijs,

vtpote omnium supremus, coniungitur. Eodem modo lex Mosaica cum nullis alijs legibus copulatur aut vnitur, sed à solo Deo dependet, è qua etiam aliæ leges ab Apolline, Ioue, Mercurio, Minerua, AEgeria, Vesta atque alijs latæ, quoad res bonas, non vero superstitiosas, deriuatæ ac furtim transsumtæ sunt. Et hac quidem similitudine omnes aliæ hierachiæ cœlestes cum Thronis in altissimis Dei iudicijs coniunguntur, ipsi vero cum nullo alio Angelorum ordine coniunguntur. Concurrit enim cum eis amor Seraphicus, qui zelus est iustitiæ atque veritatis: & interuenit Cherubinorum scientia, qua gradus distribuuntur, & præmia ac pœnæ constituuntur: assistunt Dominationes, quæ, vt Dionysius Areopagita vult, nihil sunt quam mentis libertas, vt scilicet iudicium ab omni animi perturbatione atque affectu liberum pronuncietur. Virtutes iudicibus suprastant atque imperant, vt constanter & iuste sententias ferant. Potestates presto sunt, vt idem ille Dionysius ait, ad reprimendam omnem vim atque tyrannidem, & iudicia exsequenda. Conueniunt cum eis Principatus, Angeli, & Archangeli, qui Principibus, prouincijs, & singulis hominibus præsunt, vt approbent & fauorabiles reddant sententias à iudicib. latas. At Throni cum nullo alio cœlestium Spirituum ordine in exsequendis aliorum officijs coniunguntur. Ex quibus omnibus rebus incomprehensibilis Dei sapientia elucet, qui gradus cum gradibus, figuras cum figuris comparauit, omnesque huius Theatri partes ita coagmentauit ac connexuit, vt aptius meliusque ordinatum & pul-

Dominationum cum Ioue similitudo.

chrius fieri nihil queat. Similiter Dominationes cum Iouis ſtella ſimilitudinemquamdam habẽt. Vt enim illæ decem prærogatiuis à Deo donatæ ſunt; ita Iouis ſidus decem notabiles habet qualitates. In quam ſententiam ita ſcribit Dionyſius: *Sanctarum Dominationum manifeſtatiuã nominationem exiſtimo declarare abſolutam quandam & pedeſtri minoratione liberam anagogen, in nullamque tyrannicarum diſsimilitudinum vllo modo eam vniuerſaliter inclinatam, liberaliter ſeueram dominationem omni minutiuæ ſeruituti ſuperpoſitam, ſuperiorem omni ſubiectioni, & remotam ab omni diſſimilitudine, & dominationis inceſſanter appetentem, & ad ipſiusmet naturaliter ſubſiſtentis virtutem ſimilitudinem, quantum poſsibile eſt, & ſeipſam, & quæ poſt ipſam ſunt optime & ſpecioſe conformantem, ad nullum vane videntium, ſed ad proprie vniuerſale conuerſam, & Dominicæ ſemper Deiformitatis in participatione, ſecundum quod poſſibile eſt, ipſi factam.* Quibus verbis id Dionyſius innuere voluit, primum, Dominationes cœleſtia ſemper appetere: ſecundo nulli tyrannicæ ſeruituti eſſe ſubiectas: tertio, liberum habere dominium, remotis omnibus quibus à Deo ſeparari poſſent: quarto, affectibus eſſe liberas, nec mentem habere vlli vili ſubiectioni obnoxiam: quinto repellere à ſe omnia quæ diſsimilitudinem aliquam inter ipſas & diuinam maieſtatem cauſſari poſſunt: ſexto, alteri quam creatori ſuo non ſeruire: ſeptimo, ad Deum ſeſe applicare, eiuſque voluntati omnibus in rebus morem gerere: octauo, omnibus viribus vnumquemlibet ad Deum perducere, cumque eo conformare: nono mente atque

te atque opere defixas diuinam lucem intueri: decimo, ad diuinam illam pulchritudinem perfruendam non solum Deo se conformare, verum etiam vnum cum ipso fieri. Atque hæc quidem omnia, si Astrologis credimus, Iouis quoque benefico igni attribuuntur, vt in primis Iulio Materno placet. Hic enim primum ad sanguinis nobilitatem disponit: secundo animi nobilitatem, quæ in vna & sola virtute posita est, largitur: tertio gubernandi prudētiam rerumque scientiam, vnde etiam Iuppiter à quibusdam sana sapientia & intellectus dictus fuit: quarto Iuppiter in horoscopo constitutus hominibus magnarum rerū, inprimis honorum atque imperij cupiditatem indit: quinto, vt Alcabitius & Firmicus aiunt, ad iustas ferendas leges & statuta eorumque obseruationem disponit, vnde etiam Iuppiter ab Hebræis Zedec appellatur, id est, Iustus: septimo iustitiæ & bonitatis ope, ad res illustres & sublimes excitat: septimo, iustitiæ influxu semper ad Deum dirigit: octauo, hominem non solum ad charitatis ac beneficentiæ opera exercenda impellit, verum etiam ad alios quoque excitandos aptum facit: nono Iouem dicūt, quod fidelis Deo sit, mirabili quadam virtute, qua à Deo præditus est, effectiones producere admirabiles: decimo, de eodem dicunt quod ad ea omnia quasi manuducat quæ homo bene institutus animo concipere potest: eoque Pythagoras planetam hunc animi virtutem, Temperamentum, Sanitatem, omnis denique boni largitorem appellauit, cuius adiumento & fauore res omnes persistant & durent. Iam Virtutes magnam habent cum Martis

Iouis opera atque effecta.

Virtutes cũ Marte quã habeant similitudinẽ.

stella similitudinem, quarum quidem, vt apud eumdem est Dionysium, certa quædam atque incommutabilis est virilitas siue fortitudo. Atque hoc est quod S. Matthæus dicit, cœlorum virtutes motum iri, id est, in auxilium eis venturas quæ pro Deo bellum gerent. Ita bellicosa Martis stella belli est moderatrix, vt quidem philosophi autumant, eo quod semper amico igne ardeat: propterea que à veteribus pro bellorum Deo ac prę side Mars cultus fuit & celebratus. Virtutes insuper tamquam Deiformes, vt omnes suas cœlestes operationes sumunt inde atque adimplent, vt & aliæ omnes hierarchiæ: ita hic quoque planeta Deum laudat, qui tam nobilem atque pręstantem ipsum fecit: id quod etiam sol, luna & reliquę stellæ omnes faciũt, vt apud regium est prophetam: *Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen.* Et vt virtutes impigræ sunt ad recipiendum diuinæ virtutis rorem, ne viribus deficiant aut succumbant: in quo Mosis exemplum imitantur, qui interea dum Israelitæ cum Amalechitis manus conseruerunt, expansis in formam crucis brachijs, precibus victoriam à Deo impetrauit: ita Martis virtus tota ignea numquam deficit, sed incrementum & vigorem semper, pro materię modo, viresque à supraueniente influentia sumit. Virtutes Deum viuaci quodam robore imitantur, & ad eum omnes eas creaturas perducunt quæ Deo creatori militarunt, vt meritam recipiant coronam: Mars vero corpora generosa efficit, & ad palmam ac victoriam adiumenta præbet, vt Firmicus affirmat, dicens: *Si enim Mars sit bene dispositus in nona domo fauente Ioue, & domo ipsa*

Firmicus.

mo ipsa, & horoscopali irradiatione felices facit. Quod dicit, *fauente Ioue*, nihil aliud intelligit quam diuinam iustitiam & zelum, quibus semper armati esse, contraque hostes pugnare debemus. Virtutes numquã vllum ob defectum prœlium deserunt; Mars propter igneam qualitatem numquam itidem lassescit aut debilitatur, sed fortis semper & robustus manet. Nam, secundum Ptolemæum, Hermetem, Firmicum & Alcabitium, *Ignea vis indeficiens est.* Virtutes semper ad supranaturalem illam virtutem anhelant cuius beneficio perfectam creatoris sui imaginem acquirere posſint: Mars itidem quum igneæ sit naturæ, semper ad res sublimes tendit: quemadmodum ignis etiam semper sursum fertur, seque purificare ac regnum suum veluti amplificare studet, vt diuine Plotinus inquit: *Ignis vsque ad cœlum perueniens quum torpere non poßit, ad alia tendit amplificationem suam vndique perquirens. Et quum ad inferiora ferri non poßit. nam impugnante ductu facilimus, tractuque naturali ab anima perducitur ad vitam, vt per communionem cum superioribus ab vnica vita comparatam transitum faciat in suprema.* Præterea diuinæ virtutes in id vnice incumbunt, vt creaturæ quibus fauent, non ipsis tantum verum etiam Deo quodammodo assimilentur: atque ignis in altum tendens, non seipsum tantum verum etiam res eas omnes quas accendere potest, in naturam sublimiorem transmutare quærit. Idem Marti tributum est, Ptolemæo teste, qui inquit: *Martis stella dissecat & comburit, & eius calor igni aßimilatur.* Non vero quisquam existimet has nos Martiæ virtutis laudes inani

Ptolemæus 1. Apotoles.

inani quodam figmento comminiſci, vt ita cum Angelico hoc ordine ſimilitudinem quamdam habere videatur. Quum enim effectus omnes hactenus à nobis enumerati boni ſint; Aſtrologi contra Marti prouocationes ad bellum, rixas, diſcordias, tumultus, ſeditiones, adeoque ea quibus totus fere Mundus turbatur atque euertitur, aſſignant, ac malum eſſe planetam, peſsimaſque influentias ab eo deſcendere dicunt. Hęc enim taliaque ſecunda huius Theatri parte abunde partim declarauimus partim cõfutauimus, vbi oſtẽdimus à cœlo mali aliquid venire non poſſe. Hác in ſententiam apposite Triſmegiſtus ait: *Omnes cœleſtes influxus boni beneficique ſunt, ſuſcipientes tãtummodo ipſum bonũ, & hoc agẽtes intuitu æterno immutabiles ſunt, quamuis in ipſa alterabili natura operantes degenerent, perpetuo tamen ordine ſemper benefici ſunt.* Quibus verbis magnus hic philoſophus aſſerit, omnes cœlorum influentias bonas eſſe: & ſi quando malus ab eis deriuetur effectus, non ipſas in cauſſa eſſe, ſed materiam confuſionis plenam, interim cœlorum vires omnes bonas atque ſanas manere. Quamobrem qualitas illa quæ noxam rebus his terrenis infert, à cœleſti influẽtia diuerſa eſt, quę interim in ſeipſa manens, à Patre omniũ bonorũ deſcendit, & per cõſequens ſemper bona manet, vſq; dum in Mundũ hũc inferiorẽ peruenerit, vbi in ſubiectum minus nobile incidens vitiatur: præterquam quod à diuerſa quoque materiæ recipientis, natura diuerſe recipitur, cuius paſsiones in ipſam quoq; transfunduntur: ſiquidem ob rerum quæ in ſubiecto ſunt varietatem, ex bona cœleſtis influentiæ qualitate

Triſmegiſt.

Bonæ influentiæ quomodo malũ operentur.

litate variæ quoque & diuersæ res oriuntur, quemadmodum in sole videmus, cuius calor & fulgor etsi nonnemini nocumentum adfert, ad salutem tamen necessarius est. Eodem modo omnes cœlestes influentiæ bonæ sua natura sunt, etiamsi propter subiecti prauitatem malè recipiantur, aut inferiorum harum rerum debilitas ad sustinendã superiorũ efficaciam nõ satis firma sit. Sic motus & harmonia huius vniuersi etiã quoad minimas eius particulas, nihilominus constat, quamuis harum aliquę ab eodem motu destructę sint aut difficulter impressæ: quemadmodum in choreis omnes ad harmoniam saltant, seque inter se ac cum vniuerso saltatorum choro conformant, nihilominus interim digitum quis aut pedem offendit, & quod in solum ceciderit, pedibus conculcatur. Qua de re Mercurius Trismegistus: *Influxus igitur cœlestes*, inquit, *dum vim contentiuam & Martis motricem extendunt, frequenter obsunt per accidens, illa quando in materia frigidiori suscipitur, hæc autem quando in feruentiori: quod omnino fit pro dispositione materiæ. Sed enim quãuis calore & luce solis nonnullos offendere videatur, necessarius tamen est ad vitam. Similiter omnes cœlestes influxus veniunt salutares; quamuis vel subiecti peruersitas, vel debilitas facile tolerare non possit efficaciam superiorum. Omnes motus conferunt vniuersis etiam minimis partibus eius: quum interim particulæ minimæ hoc vel illo motu leuentur, aut non facile illum suscipiant, sicut in chorea dum singuli harmonice saltant congruuntque gestibus inter*

ter

ter se, & toti choro, digitus tamen aut pes offenditur & premitur, & si quid debile incesserit pessumdatur.

De similitudine & sympathia quam habent Potestates cum Sole, Principatus cum Venere, Archangeli cum Mercurio, Angeli cum Luna.

CAPVT XIV.


VNC vt institutam disputationem persequamur, quemadmodum in quarto Angelorum ordine diuinæ Potestates collocatæ sunt; ita quartũ cœlorum locũ Sol obtinet, inter quem & prædictas Potestates admirabilis quoq; est sympathia & similitudo à Deo omnipotente constituta. De Potestatum natura atque officio hæc scribit Dionysius: *Ipsa um sanctarum Potestatum æquipotentem diuinarum Dominationum & Virtutum bene ornatam, & inconfusam circa diuinas susceptiones ordinationem & ordinatum supra mundanæ & intellectualis potestatis, nec tyrannice in ea quæ inferiora sunt potestatiuis Virtutibus præcipitatæ, sed potenter in diuina post bene ordinata reductæ, & post eam Deiformiter & ad potentificam caussualem potentiam quantum fas est, assimilatæ, & eam, vt possibile est, Angelis reuelantes, in bene ordinatis per ipsam ordinibus potestatiua virtute.* Quorum verborum hic est sensus; habere Pote-

re Potestates has id præcipuum, vt vna cum Virtutum robore & Dominationum iustitia diuinas operationes exsequantur: sicut etiam Sol vnà cum Martis feruore & Iouis benignitate mirabiles & salutiferos influxus adfert. Potestates dæmoniorum legiones omnesque spiritus tenebricolas fugant: ita sol quoque obscuram noctis caliginem radijs suis ac luce dispellit. Vt Potestates hæ Spiritus sunt & mentes angelicæ mirabili ornatu fulgentes, & sine vlla confusione: ita sol tamquam in medio planetarum regali insidens solio, luce splendet incredibili ceterisque planetis omnibus decus & pulchritudinē largitur: vnde verum cœli ornamentum dicitur, vtpote quo ceteræ omnes stellæ disponuntur, earumque motus regūtur, diuersa sortiti nomina, diurni, nocturni, oriētales, occidentales, septemtrionales, meridionales. sunt insuper Potestates hac qualitate præditæ, vt primum à Deo modum & virtutem in res inferiores agendi accipiant: vt sol quoque lucem & virtutem suam non ab alijs planetis, sed à Deo ipso habet, quibus vniuersa quæ in Mundo sunt irradiat, calefacit, illustrat & viuificat. Potestates virtutē suā in res has inferiores sine vlla violentia aut tyrannide exercent: eodē modo sol tēperato suo calore & semper benefico, cum aeria Iouis natura amice cōiunctus, magnitudinem, claritatem & legitima imperia largitur, sine vlla tyrānide aut mala operatione. Sic enim Ptolemæus & Firmicus: *Disponunt* (Sol & Iupiter) *ad honorificentissimam hominum reconciliationē, fortitudinē animæ, & corporis, magnā victoriā omniū, summā respectatione, & quidquid ad re-*

Potestates cum sole similitudo.

ad regiam pompam pertinere videtur. Poteſtates omnē Angelorum inferiorum multitudinem ad Dei imitationem inuitāt: lucidiſſimum vero hoc ſolis ſidus benigna ſua natura homines allicit vt Deo quodammodo ſimiles efficiantur, maturis conſilijs, ſermonis grauitate, iuſtitiæ amore, religionis zelo, ac ſingulari morum probitate mirifice exornati. Poteſtates omnibus viribus primæ illius cauſſæ potentiſſimæ ſimilitudinem exprimere nituntur, à qua poteſtatem & virtutes ſuas acceperunt: ita ſole in omnibus illis cœlorum orbibus nullum illuſtrius eſt ſignum. Hinc Academici ad Dei naturam declarandam eius exemplo vſi ſunt: quod quidem etiam cum Chriſtiana religione & ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio cōſentit; ſiquidē ſolis eſſentia Patrem, ſplendor filium, ſpiritum ſanctum calor denotat. Hinc Dominus & Saluator noſter Chriſtus, æterni Patris naturam demonſtrare nobis volens in Sole eam nobis depinxit quum ait: *Perfecti eſtote quemadmodum Pater veſter cœleſtis, qui Solem ſuum ſuper bonos & malos oriri facit,* id eſt, qui dona ſua & benignitatē tam in bonos quam in malos effundit. De Principatibus Dionyſius Areopagita in hunc modum ſcribit: *Manifeſtant quidem cœleſtes Principatus illud principale Deiformiter eductiuum, & hoc cum ordine ſacro & principalibus decentiſſimis Virtutibus, & ad ſuperprincipale principium eas vniuerſaliter conuerti, & alias hierarchice ducere ad illud ipſum quātum poſſibile eſt formari principificum principium, manifeſtareq́ superceſſentialem eius ordinationem ornatumque principalium virtutum.* Quemadmodum

Principatuum & Veneris ſimilitudo.

dum igitur Venus apud antiquos pulchritudinis Dea fuit inde credita, quod planeta hic omne decus, formæ ac morum venustatem, omnemque amabilitatem infundat; ita Dionysius ait principatus eos in quos potestatem habent, ad Deum ducere eique conformare, cuius portant imaginem. Et quia Dei imagine nihil est pulchrius, Orpheo teste, qui in Testamento suo inquit: Omne pulchrum à diuina pulchritudine: Principatus quoque tamquam pulcherrimi, rebus omnibus decus & venustatem addunt. Et quemadmodum Amor Veneris nomine à Platonicis designatus, caussarum præcipua fuit cur Deus pulcherrimũ hoc Mundi Theatrum fabricarit, cuius quidem ordo nihil aliud est quam venustas quædam & pulchritudo, sicut econtra confusione nihil est deformius ac turpius: ita Principatus, vt Dionysius, Hierotheus & Iamblichus volunt, regnorum sunt & prouinciarum custodes, pulchritudinem earum, ne à malis deturpetur Spiritibus aut plane etiam perdatur, conseruantes, omniaque damna restaurantes, & à malitia & machinationibus cacodęmonum expurgantes. Et quemadmodum Mathematici testantur Veneris influxus bonos esse, tantoque meliores, quanto magis alterius cuiusdam planetæ radios habent propitios, Iouis præsertim, aut Solis: ita sacri hi Principatus tanto melius officium suum explent, & priori venustati atque integritati res à cacodęmonibus corruptas restituunt, quanto maius ab Angelorum virtutibus ipsoque sempiterno Deo accipiunt adiumentum. Quando vero Dionysius ait Principatus hos primarios esse duces atque antesignanos in

diuino ministerio, hoc vult, etiãsi ceteri quoque Angelorum ordines Duces appellentur, vt Dominationes & Potestates; Dominationes tamen ob magnitudinem, Potestates ob claritatẽ, Principatus ob pulchritudinem Duces vocari: quibus quidem Angelorum ordinibus Iuppiter, Sol & Venus comparantur; Iuppiter quod perfectissimi temperamenti auctor sit; sol quod luminis dux sit; Venus quod elegantiæ ac venustatis sit domina, & suauissimæ harmoniæ moderatrix. Quemadmodum denique Dionysius vltimis illis verbis inquit, Principatus hos summum pulchritudinis principium repræsentare ac manifestare; ita Hesperi & formosæ Matutę aspectus iucundissimus ad incredibilem cœlorum contemplandam pulchritudinem allicit & incitat. Iam Archangeli magnam habent cum Mercurio similitudinem & conformationem, quam hoc modo Dionysius describit: *Archangelorum sanctus ordo in communicatiuo medio constitutus, communi quodam socialique iure extrema complectitur. altioribus namque Principatibus & sanctis Angelis communicat; illis quidem, quoniam ad supremum ipsum principatum præcipue intentus est, & ad eius, quantum fas est, formatur imaginem, & Angelos ordinatissimis & inuisibilibus ductibus vnit & iungit. ipsis vero Angelis inest propheticum officium, vt diuinas illuminationes hierarchice per primas virtutes suscipiant, & Angelis eas Deiformiter annuncient, & per Angelos nobis manifestent, secundum sacram vniuscuiusque illuminatorum analogiam.* Hoc ergo vult Dionysius, Archangelos inter Principatus & Angelos

Archangelorum cum Mercurio similitudo.

los intermedios esse, & à superioribus quidem accipere, & rursus inferioribus huius communionis beneficio infundere diuina mysteria & secreta, ita vt occulta eorum atque admirabilis virtus non nisi per communionem ordinum angelicorum, quam superiores cum inferioribus habent, cognosci queat. Præterea Archangelos raro in Mundum hunc à Deo tamquam eius ad hominem legatos missos; sed ipsorum ordinatione atque imperio ceteras Angelorum turmas diuina exsequi mandata. Ad eundem modum Mercurius Archangelis in hoc similis est, quod ad quemcumque planetarum aut aliud sidus cœleste sese applicarit, vim eius ita imitatur, vt non ex propria natura sed aliena influentiæ eius atque operationes procedere videantur. Hanc ob caussam Hermes, id est, Deorum interpres olim dictus fuit, siquidem, Ptolemæo teste, cum sole exsiccat, cum luna infrigidat, cum Saturno sapientiam largitur, cum Marte bonos & prudentes facit bellatores, cum Venere hermaphroditos producit. Præterea idem planeta raro hominibus se communicat, & mortalium oculis difficulter se exponit. hinc apud poetas aliosque fabularum scriptores raro ad homines, sed fere semper ad alios Deos ablegatus legitur, vt ad Somnum in antrum Cimmerium, vt Morpheus triste nuncium de morte Ceycis mariti ad Halcyonē perferret. Ad extremum, est etiam inter Angelos & Lunam quædam similitudo, de qua hæc habet Dionysius: *Ipsi enim Angeli cōplectiue cōsummant omnes cælestiū animorū dispositiones, secundū quod consummātum est. In cœlestibus quippe essentiis habentes angelicam*

Angelorū cum Luna similitudo.

 licam

licam proprietatem, & magis nobis propinqui Angeli aptius nominantur: quia priores quanto circa euidentiora versantur, & familiarius nobis diuina nunciantes, nostra omnia ornare student. Ex quibus verbis intelligitur, primo Angelorum hunc ordinem ceteros omnes cōcludere ac finire, quum illorum respectu vltimus sit atq; infimus: secundo veras Angelorū siue Spirituū habere proprietates: tertio Angelorum nomen recte ipsis tribui, quod multo sæpius quam reliqui ad homines ablegentur, multoq; familiarius nobiscum conuersentur: quarto negocia omnia mūdana ab ipsis ordinari. Has omnes conditiones mirabili etiam quodam modo Luna in se continet. Primo enim, quia infra omnes planetas est, eorum ordinem & quasi agmen claudit: secundo vere vna est errantium stellarum: tertio, quin multo magis planeta appellari potest, quum quanto terræ est vicinior, tanto magis illius influxus atque operationes sentiantur, quantoque maiorem habet varietatem, tanto crebriora eius sint effecta. Nam & ad Lunam nauigantes respiciunt, ægri ac morbis debiles sentiunt, agricolæ in serendis fructibus, in cædendis lignis, ac omni fere rustico opere, astrologi in notanda temporum varietate, medici in applicandis medicamentis obseruant. & in ceteris quidem rebus omnibus, sed maxime in medicamentis quanta vis Lunæ in hæc inferiora sit, cognoscere licet: siquidem, vt Ptolemæus scribit, medicamenta tempore coniunctionis Lunæ cum Ioue adhibita, nihil omnino operantur, quodquasi Ioui Luna cedat. Idem fieri aiunt quando Luna cum Venere coniungitur. Quarto similis est Luna Angeli-

gelis, quod accepta à superioribus stellis influentia, partes omnes & membra humani corporis regat; in Ariete crura & genua, in Tauro crura, in Geminis pedes, in Cancro caput, in Leone collú, in Virgine humeros, in Libra pectus, in Scorpione cor, in Sagittario ventrē, in Capricorno inguina, in Aquario pudenda, in Piscibus coxendicem siue femora. Ex quibus omnibus liquet quam pulchre primi Angeli primis cœlis, medij medijs, extremi extremis respondeant. Vt enim primum cœlum siue supremum vno tantum motu cietur; ita primi quoque & supremi Angeli à solo Deo imperium accipiunt: vtque cœli medij, quamuis vno eodemque motu cum primo mobili circumagantur, à suis tamen Intelligentijs motu peculiari illique contrario torquentur; ita intermedij Angeli etsi à Deo illuminantur, tamen ad officia sua exsequenda Deique voluntatem cognoscendam à superioribus Angelis reuelationes quasdam accipiunt. Quanto enim quidque sublimius est ac diuinæ maiestati proximius; tanto id numero quidem minus est, sed maioris virtutis: & vicissim quanto à Deo longius quidquam abest, tanto illud numero magis est multiplex, sed minori virtute atque efficacia præditum. Quam in sententiam ita scribit Auerroes: *Optimum habet suam perfectionem à se; quod autem propinquum isti, per paucam vel vnam operationem, & vnum motum tantummodo; quod vero remotum est, per multas.* Atque heic fere eadem est quæ regnorum in hoc Mundo siue rerumpublicarum regendarum ratio, vbi rex aliquis vel Princeps verbo vno exercitus colligere, classem contrahere, ciuitates expugnare

Motus cœlorum cum Angelorũ ordinibus comparatur.

pugnare atq; euertere, vitam donare aut adimere potest; ministri vero per multorum quasi manus transmissa imperia accipiunt atque exsequũtur: in quibus tamen omnibus rebus & singulis multæ operationes concurrunt. Hanc ob caussam Seraphici spiritus, vt apud Danielem est, Deo adsistunt tamquam proximi atque intimi consiliarij, qui raro à Deo missi sunt; Spiritus vero inferiores Angeli sunt & dicuntur, id est, Nuncij atque Legati, quibus Deus ad homines sæpè vsus est. Et quemadmodum Angeli intermedij sæpius quam primi, rarius vero quam vltimi ad eiusmodi legationis ministeria sunt adhibiti; sic quamuis multo velocior sit primorum cœlorum motus, inferiores tamen & vltimi multo citius curricula sua absoluunt, Luna quidem spacio menstruo, siue viginti nouem diebus, Sol & Venus annuo, Saturnus annis triginta, cœlum vero stellatum multis annorum milibus.

Putidæ Mahumetis de Angelis & cœlestibus Spiritibus in Alcorano descriptæ fabulæ & deliria, summaque eiusdem inscitia narrantur.

CAPVT XV.



OSTRO hoc sæculo, non tamen annumeratis idololatris, tres potissimum inter homines religiones vigent, Iudaica scilicet, Christiana & Mahumetana: quarum singu-

singularum cultores, quænam earum optima esset & verissima, continuo nō rationibus tantum & argumentis sed armis etiam inter se pugnarunt. Iudæi quidem Christianis obijciunt, nostram religionē è Mosaica lege à nobis approbata esse desumtam: neque ab vlla gente vnum & verum Deum maiori sinceritate ac simplicitate adorari & coli quā à se: neque plura & maiora vllibi miracula patrata quā quę in Mosaicis libris descripta leguntur: neque vllā esse gentē Hebreæ antiquitate aut nobilitate comparandam, vtpote quæ à Deo à primo Mundi principio cōseruata, & tot Patriarchis, regibus & prophetis donata fuerit. Et quāuis hodie amisso regno, immò cōuersa in seruitutem libertate, per vniuesam Mundum dispersi, incertis quasi sedibus vagentur: non tamen calamitatem hanc eò sibi immissam quod Messias siue Saluator ab ipsis crucifixus, sed quod tot prophetæ ac diuinæ voluntatis interpretes à maioribus ipsorum crudeliter interfecti sint & excarnificati. Similiter Mahumetani Christianos calūniantur non vnū & verum Deum colere ac venerari, quem filium habere dicant; eoque futurum, si plures Dij sint, vt vnus contra alterum infestus insurgat. Esse enim supremam potestatem omnis consortis impatientem, nec sine discordia regnum à pluribus administrari posse. Præterea quum Deus ter maximus sit atque omnipotens; non sine impio sacrilegio plures ei similes adiungi posse: neque Deum filio opus habere, sed à nobis Christo ea attribui quæ numquā sibi ipse vindicarit. Male quoque in eo facere Christianos quod statuas atque imagines

Iudæi quomodo religionem suā laudent.

Mahumetani cur Christianā religionem carpant.

adorent, atque ita idololatriam committant. Crepant deinde iactantque maximas victorias de Christianis reportatas, quas pro diuini erga se, qui melius de religione sentiant, amoris indicijs atque argumentis interpretantur. Ieiunia etiam, preces, diuini cultus simplicitatem, à cædibus, à ludis, ab adulterijs, à blasphemijs abstinentiam suam mirifice extollunt. Miracula quorum nos in Sanctis memoriam celebramus, quotidie præsentia apud se cerni dicunt. esse enim qui multos dies cibum vllum ne gustent quidem, alios vrere, alios ferro corpus scindere sine vllo doloris sensu: immo nonnullos è virginibus sine vllo viri complexu nasci. Habent ijdem Sanctos suos, quorum auxilijs multum fidunt. Vnum Sedichasim appellant, à quo in bellis victoriam petunt. Ascichus matrimoniorum, Mirtschinus pecoris, Chidirelle peregrinantium curam habere creditur. & hunc quidem candido equo insidentem Mecham religionis ergo proficiscentes comitari ac bonis auibus deducere autumāt. Calceos insuper nescio cuius, qui iniusta sententia ad mortem condemnatus, instar trium illorum apud Danielem iuuenum, viuus è flammis atque illæsus ereptus sit, religiose habent, & pro re sancta commonstrant. vt iam ea omittam quæ de Mirathbegio alijsque multis falsa circumferunt miracula. Sed his omnibus, vt & Iudæorum superstitiosis vanitatibus nos Christiani Veteris Testamenti auctoritatem ac testimonia opponimus, in quo Christi Dei & hominis persona & officium, vita & mors ita depictæ sunt & descriptæ, vt non multis sæculis ante prænunciata, sed

Mahumetanorum sancti.

Christianæ religionis certitudo.

post

postquam euenerunt descripta omnia videātur. Atqui toto illo libro nulla vspiam Mahumetis fit mentio. Eiusdem vero imposturas ac prodigia cum diuinis Christi D. N. miraculis, quibus & ægrotos sanauit, & claudis pedum, cœcis oculorum vsum, immo mortuis vitam restituit, comparare velle, impium plane sit. Saxa enim à nigris volucribus deijci, in cauernis se abscondere, Mecha Hierosolymas in vna nocte transportari, in cœlum ascendere, lunam diuidere, & quæ alia sunt in Alcorano Mahumetis nugamēta, aut meræ fabulæ sunt & imposturæ, aut nihil miraculi habent. Qui enim saxa à volucribus præcipitata audiuerit, rem quidem prodigiosam non tamen miraculosam esse fatebitur: vt vero luna diuisa appareat efficere, nec prodigium est nec miraculum: Mecha Hierosolymas tam breui temporis spacio aut in cœlū transportari, vt miraculū esse fateamur, quo alio testimonio quam vanissimi ac mendacissimi impostoris Mahumetis confirmabitur? Præterea vita omnis nostri Saluatoris ac Domini, omniaque Christianæ doctrinæ præcepta, cum philosophia morali & naturali tam bene conuenientia, liquido creatorem eum esse atque vniuersæ Naturæ parentem testantur: à quibus quanto quisque longius deflectit, tanto à virtute quoque & recta ratione longius discedit, & ad bestiarum naturam propius accedit. Mahumetanæ econtra doctrinæ summa vanitas atque absurditas, in qua etiam homicidia imperantur, manifesto arguit, non à bono Dei spiritu, sed ab ipso Sathana esse inspiratam. Etsi autem has omnes ineptias atque impietates

alibi abunde refutauimus: ne tamen quidquam omitteremus, quod vel ad animum erudiendum, vel ad eruendam veritatem pertineret, pessimi huius impostoris de Mundo supracœlesti & de Spiritibus atque Angelis sententiam heic quoque ponere volui, vt ita manifestum fiat non spiritum tantum diabolicum, sed omnium etiam artium, nisi mentiendi ac decipiendi, ignorantem bestiam Mahumetem fuisse. Et quamuis eius ignorantia tam crassa sit, & mendacia tam aperta vt mirum sit quemquam reperiri qui ea non videat & rideat: mirum tamen non est tam facile ea fidem apud populum idololatriæ studio totum immersum, ac sine lege, sine vllis litteris & bonis artibus, vt ipse in Alcorano testatur, bestiarum magis quam hominum more viuentem, inuenisse. De multiplici quidem idololatria eorum populorum hæc leguntur, viguisse tum in Arabia felice, in Arabia magna, in Persia, in Armenia duodecim cultus idololatricos. Quidam arborem adorabant & sacrificijs colebant, anniuersarium pascha in honorem eius celebrantes. ei arbori nomen erat Detulanguar; prouinciæ verò domino, Azamahinali. Alij in Armenia statuam è nigro metallo factam, & tres cubitos longam diuinis honoribus colebant. Statuæ nomen Bohmum; gentis rectori, Alguazad. Alij solem denique, alij res alias pro numine habebant atque adorabant, quæ alibi à nobis explicata huc transscribere nihil necesse videtur. Et profecto, vt verum fateamur, res laude digna videtur vt Christiani docti & intelligentes aliarum religionum doctrinas legant ac diligenter excutiant,

Idololatriæ orientalium tempore Mahumetis.

quo

quo & infirma ac putrida harum fundamenta, inanibus fabulis innixa, & Christianæ fidei solidum robur ac veritas apertius conspiciantur. Sed stultissimum pseudoprophetam de rebus diuinis nugantem audiamus. Ait ergo, quatuor in principio Mundi Deum ipsum suis manibus creasse. Quæ illa sunt, inquis? Audi, & si potes, risum tene. Sunt enim tanto propheta digna. primum, calamum, quo res omnes quæ à principio Mundi fuerunt, quæque ad eius vsque finem futuræ sunt, consignentur. secundum fuisse hominem, Adamum scilicet, quem Deus è puluere varij coloris in pugnum collecto fecerit: atque hinc esse eam inter homines varietatem, vt alius nigro, alius candido, alius ex vtroque misto sit colore; qui simul malitiæ quædam & bonitatis habeat indicia. Tertio loco Thronum, suæ maiestatis sedem fabricatum esse; quarto atque vltimo Paradisum, beatorum domicilium. Sed his alibi multo ineptiora addit: Deum scilicet post hominis creationem tabulam & pennam, quibus ea quæ in cœlo & terra fuerint ac futura sint, inscripta sint, effinxisse. Pennam è clarissima luce esse factam, cuius quidem longitudo spacium quingentorum, latitudo octoginta annorum complectatur. Dicit præterea cœlum è fumo, hunc è maris vapore esse procreatum: vnde philosophatur (scilicet) cœlum, quod quinta quædam essentia est, subtilissima, nobilissima, & incorruptibilis substantia, è maris fæcibus, quod elementum maxime subiacet mutationi, esse factum. Viridem colorem cœlum à monte Caph habere, hunc à smaragdis in Paradiso: mó-

Rerum creatio secundum Mahumetem qua & qualis.

temque illum tamquam circulum vniuersæ terræ circumpositum cœlum sustinere. Quis alia omnia magis ridicula figmenta commemoret? Scribit enim in eodem Alcorano cœlum portas habere aureas, easque clauibus reserari: primum cœlum ex aqua viridi, secundum ex aqua limpida, tertium è smaragdo, quartum ex auro purissimo, quintum ex hyacintho, sextum è nube lucidissima, septimum ex igne splendido esse factum: supra cœlos mare esse viuificum, supra hoc mare nebulosum, & sic deinceps, inde mare æreum, supra hoc mare afflictionis, supra hoc mare tenebrosum, supra hoc mare solatij, supra hoc lunam, supra hanc Solem, supra hunc Dei nomen, supra hoc supplicationem, inde Gabrielem, tum rasam chartam pergamenam, rursus mare plenum, mox septuaginta lucis interualla, supra hæc septuaginta angelicarum turmarum milia, in quarum singulis quinque sint Angelorum Dei laudes assidue decantantium milia: supra hæc angelicæ dignitatis terminos, hos supra diuinæ gloriæ vexillum, inde margaritarum, inde gratiæ, inde potentiæ, inde Deitatis, inde dispensationis interualla, supra hæc scabellum, rursus supra hoc thronum Dei, ac tandem ipsum vniuersi rectorem. Iam quid illis putidius, & stultius? Angelos montem Caph in quo Dei sedes sit, portare; inque hac Dei sede portanda capita subtus ipsum, pedes vero sub throno habere. capita Angelorum tam grandia esse, vt auis mille annorum continuo volatu interuallum quod inter vtramque est aurem conficere vix possit; hisque cornua infixa gerere: motum vero Angeli talem

Celi quot, secundum Mahumetem.

sem ac tantum esse vt a nemine quam à Deo comprehendi queat. Paullo infra idem profundus Theologus, si dijs placet, subiungit, ante creatum Adamum terram à diabolis, postea ab Angelis, demum ab Adamo & hominibus fuisse inhabitatam; temporis vero spacium inter diabolos & Angelos septies milium, inter Angelos vero & Adamum mille tantum annorum intercessisse. Paradisum è smaragdis esse compositum, & hyacinthis distinctum, fructiferarum arborum, florum & herbarum odoratissimarum plenam, incredibili nitentem amœnitate, fontibus lacte alibi, alibi candido melle, alibi purissimo vino fluentibus, scaturientem. cultores eius vestibus omni colorum genere fulgentibus vsuros, nigro excepto, qui soli Banditori, siue (forsan) expulsori, vitæ sanctitate priuilegium illud merito, permittatur. Omnes perfecta statura Adamum, forma Christum repræsentaturos, nullum corporis augmentum accepturos, nullum calorem, nullum frigus, nullam aliam perturbationem sensuros. In primo paradisi ingressu iecur piscis cuiusdam, Albehut nomine, præstantissimi saporis, deinde arborum fructus aliaque quæ paradisus fert, apponi: Post hæc præsto omnia esse quæ votis expeti queunt. nulla ex hoc cibo nasci excrementa, sed sudorem optimi odoris emanare: indeque eos omni ciborum genere ex carnibus, præterquam suillis, vesci. Cuius rei volens rationem reddere, ait eo tempore quo Arca Noæ exstiterit, interdictum fuisse ne caro suilla tam in terra quam in cœlo comederetur. Ad bellissimam fabulam, si dijs placet, quibus

Cur suilla caro interdicta.

quibus commodum est, aures arrigite. Christus, inquit, à discipulis rogatus vt Arcæ à Noa fabricatæ formam & magnitudinē, eorumque qui ad conseruandum hominum genus in ea remanserant, vitæ historiam exponeret, tacite precibus eorum auscultans, è terra formam quamdam effinxit, cui postea dixit: Surge in nomine patris mei. inde ergo hominem canum se leuasse. cui Christus: Quis es tu? Ego, inquit ille, Iaphet sum Noæ filius. cui Christus: An tu ita canus es mortuus? Non, inquit ille; sed hac ipsa hora metus extremi iudicij, ad quod excitari me credebam, ita canum me fecit. Mandauit ergo ei Iesus, vt omnem de Arca historiā discipulis narraret. Quod ille fecit: & sumto à primis rebus initio, eo tandem deuenit, Arcam stercoris seu excrementi in quodam eius angulo positi pondere grauatam, in latus sese inclinasse. Quocirca vehementer perterritum Noam Dominum consuluisse quid sibi faciendum esset. Illum iussisse vt elephantem ad eum locum vbi Arca se inclinabat, duceret; qui vbi eò venisset, ventrem quoque statim exonerarit; è quo stercore ingens porcus fuerit natus: atque hanc esse caussam cur ab tam immundi animalis esu in cœlis quoque abstineatur. Porro suem hanc rostro stercus fodientem atque eruentem, tantum in Arca fetorem excitasse, vt ferre eum amplius non valens flatum emiserit, cum quo vna mus eiectus sit, qui tabulas atque asseres statim cœperit corrodere. Noam itaque nouo malo iterū remedium à Deo quæsijsse, eiusque iussu leonis frontē, è qua mox feles prosilierit, percussisse, &c. Quantum ad gaudia Mun-

dia Mun-

dia Mundi illius supracœlestis attinet, etiam bestijs (quarum ipse caput fuit & princeps) nullas ibi voluptates, quando vbi & quoties voluerint, defuturas. Eum quidem qui fideles in hoc mundo habuerit vxores, altero tanto plures concubinas & innumerabiles meretricum greges in vita illa habiturum. Alibi dicit, paradisi incolas mulieres habituros oculis clarissimis & oua magnitudine æquantibus, quos nusquā alio quam in maritos suos perperpetuo sint defixuri, pectore elato, & duris mamillis. Alio loco inquit: Boni in paradisi horto, aureo amictu vestiti puellas habebunt oculis clarissimis, quorum albumen splēdidissimum, pupillæ nigerrimæ sunt; & quos voluerint fructus, vtque voluerint comedent, atque ad odoratos riuos lacte & melle scatentes, mortem in æternum non gustabunt. Simile eiusdem est commentum, bonos in paradiso communi opera turrim ædificaturos; cum porta aperta, quæ omnis voluptatis & quietis sedes futura sit. Alibi nugatur quosdam duabus paradisis fruituros, & nec æstum nec gelu sensuros, sed sub arborū vmbra fructibus earū vescituros: ijsdemque è vasis aureis & vitreis dulcissimū liquorem ministratū iri: iuuenculorū vero & iuuencularū vt gēmę nitentiū, aliarumq; rerū copiā nō defuturā. E quib. tam portentosis cōmentis duo illa quæ in Mahumete præcipue fuerunt, facile intelligi possunt, morū scilicet turpitudo, & bruta quędā ignorantia. neque. n. vllā omnia eius sapiūt philosophiā, vtpote qui neque numerum, neque ordinem, aut reliquas cœlorum qualitates habuerit cognitas. nulla heic veterū sapientū, Chaldęorū Arabū, Hebræo-

Gaudia in cœlis quæ, secundum Mahumetem.

Alcoran. l. 3. c. 19.

Alcor. 3. c. 27. & 34.

Alc 3. c. 29 32.

Ibid. c. 36. & 38.

bræorum, Græcorum, Latinorum mentio, nulla de Mundo eiusque partibus & natura disputatio; nulla aliorum, inprimis qui ex ipsius gente fuerunt, vt Auempacem, Adelandi, Auicennæ, Ali Arabis, Mosis Aegyptij, Mercurij Trismegisti, & multorum aliorum sententia aut recensetur aut confutatur: quorum scripta si ille pertransennam inspexisset, non ita ridiculum se & turpem in omnibus philosophiæ partibus dedisset, neque tam longe à vero aberrasset. Sed vt ad propositum reuertamur, & quid de Spiritibus & Angelis Mahumetes senserit explicemus, ait ille diabolum à Deo ex igne malo & pestifero creatum esse; Angelorum alios binas, alios ternas, alios quaternas habere alas: quæ omnia sic recenset quasi præsens ipse creationi eorum interfuisset. Verum enimuero vt plane, lector, intelligas, quam ridiculè barbarus hic impostor de Angelis senserit; aliam accipe fabulam non minus superiore illa lepidam. Ait, duos Angelos, Haroth vnum, Maroth alterum nomine, à Deo in terram olim nescioquando missos, vt humani generis rectores essent atque doctores, cum hoc interdicto, ne cædem committerent, ne iniuste iudicarent, ne biberent vinum. Post longum satis temporis interuallum, quum ab omnibus iusti iudices haberentur, euenisse vt muliercula quædam forma & moribus pulcherrimis, actionem contra maritum instituerit, & quo iudicum illorum beneuolentiam sibi côciliaret, ad epulum eos inuitarit, ad quod quum illi venissent opiparè apparatum, astutam feminam cibis vinum immiscuisse, multaque comitate hospites ad man-

ducandum & bibendum inuitasse. Ita factum vt illi vino calentes concubitum mulierculę petierint, quem & impetrarint, hac conditione, vt illa verba edoceretur quibus in cœlum euolare, ac rursus inde demittere se posset. annuisse Angelos: mulierem pronunciatis verbis repēte in cœlum eleuatam; visam vero à Deo, tota caussa cognita, in stellam non minus inter reliquas stellas, quam ipsa inter alias mulieres in terra fuerat, specie pulcherrimam conuersam esse. Angelis in iudicium vocatis à Deo permissum, vt sibiipsi pœnam eligerent qua intra hoc & alterum illud futurum sæculum afficerentur. talem ab eis electam; vt catenis ferreis vincti, capitibus in puteum Bebil ad diem vsque iudicij demersis statuerentur. Vnam adhuc, vt assem, narratæ fabulæ olim mercedem, bene mereamur, addere libet. Mortis angelum, Adrielem nomine, idem inquit, extremo die iudicij omnes Spiritus atq; animas viuentes, deinde seipsum quoque inter cœlum & infernum, Dei iussu occisurum, Mundum vero quadraginta annos vacuum & inanem permansurum. Infinitæ sunt quæ apud eundem nefariæ ac maledictæ superstitionis auctorem exstant, de die iudicij ac Mundi fine, deque alijs eiusmodi nescio ridiculæ magis an impiæ fabulæ, ac miracula, non minus inepte à scelerato impostore cōficta quam stulte à dementi popello credita, quæ alibi à nobis confutata sunt: nunc pauca hęc ad præsentem nostram materiam pertinentia delibasse nobis satis erit.

DE SPIRITIBVS ET INCANTATIONIBVS, PRIMAE PARTIS

LIBER III.

De eminentia & diuersis gradibus Dæmoniorum. & primum de magno rege Lucifero, eiusque figura: de nominibus Principum aliquot infernalium: & quomodo & quatenus alter alteri imperare possit.

CAPVT I.



RDINES, nomina, & qualitates aliquot naturales eorum Spirituum qui in cœlo beati perstiterunt, libro præcedenti satis prolixe descripsimus, de effectibus eorum & virtutibus alibi quantum satis videbitur, dicturi. Nunc eorum conditiones qui de cœlo præcipitati sunt, omni Dei gratia orbati, explicemus. qui quum impio conatu ex sola malę volũtatis obstinatione nefarium Deo creatori bellum indicere non dubitarint, quis nõ credat, eorumdem omnes conatus iam ad diuini numinis contemtum & hominis perniciem atque exitium tendere? Quoniam vero maligni hi Spiritus

Malorum spirituum studia omnia mala.

ritus cum antesignano suo Lucifero ex omnibus Angelorum choris ceciderunt, fatendum sane erit & ipsos ordinibus quibusdam esse distinctos; vt quemadmodum bonorum ac beatorum Angelorum alter altero superior est, idem quoque de malignis his recte dici possit. Nam & hi quamuis diuina gratia exciderint, vires tamen omnes naturales à Deo in creatione acceptas, sine vllo detrimento retinuerunt: id quod vno ore Patres omnes & ecclesiæ Doctores affirmant. Dionysius quidem Areopagita, D. Paulli Apostoli discipulus, nouem Angelorum ordines constituit, vt supra dictum est. Horum alij ad nunciandas res futuras, alij ad signa, ostenta & miracula patranda superne à Deo mittuntur: alij reliquis angelicis spiritibus præpositi sunt, quibu[illegible] diuina mysteria ac iussa exsequan[illegible] ma potestas attributa est, ita v[illegible]s Angelorum exercitus subiectos ha[illegible]: alij diuina gratia ita pleni sunt, vt Deus sedem suam in ipsis habeat, suaque iudicia per ipsos manifesta faciat: alij tanto perfectiori scientia prædití sunt quanto propius diuinam lucem ac maiestatem contemplantur: alij ita cum Deo coniuncti sunt, vt inter ipsos & Deum nihil sit intermedium, tantoque maiori diuini amoris igne ardent quãto accuratius & subtilius diuinam bonitatem, iustitiam & sapientiam perspiciunt atque admirãtur. Iam quemadmodum hi quos diximus eminentiæ gradus inter bonos Angelos reperiuntur; ita quoque inter cacodæmonas: quum suæ quisque naturæ primas vires conseruarit. Sicut ergo Angelorum bonorum alij in alios imperium habent

Cacodæmones vires naturales retinuerũt.

Dionys. Areop. De cœlest. hierar.

Cacodæmonum gradus.

DE SPIRITIBVS ET INCANTATIONIBVS, PRIMAE PARTIS

LIBER III.

De eminentia & diuerſis gradibus Dæmoniorum. & primum de magno rege Lucifero, eiuſque figura: de nominibus Principum aliquot infernalium: & quomodo & quatenus alter alteri imperare poßit.

PVT I.



RDINES, nomina,& qualitates aliquot naturales eorum Spirituum qui in cœlo beati perſtiterunt,libro præcedenti ſatis prolixe deſcripſimus,de effectibus eorum & virtutibus alibi quantum ſatis videbitur,dicturi.Nunc eorum conditiones qui de cœlo præcipitati ſunt,omni Dei gratia orbati,explicemus. qui quum impio conatu ex ſola malę volūtatis obſtinatione nefarium Deo creatori bellum indicere non dubitarint,quis nō credat,eorumdem omnes conatus iam ad diuini numinis contemtum & hominis perniciem atque exitium tendere?Quoniam vero maligni hi Spiritus

Malorum ſpirituum ſtudia omnia mala.

ritus cum antesignano suo Lucifero ex omnibus Angelorum choris ceciderunt, fatendum sane erit & ipsos ordinibus quibusdam esse distinctos; vt quemadmodum bonorum ac beatorum Angelorum alter altero superior est, idem quoque de malignis his recte dici possit. Nam & hi quamuis diuina gratia exciderint, vires tamen omnes naturales à Deo in creatione acceptas, sine vllo detrimento retinuerunt: id quod vno ore Patres omnes & ecclesiæ Doctores affirmant. Dionysius quidem Areopagita, D. Paulli Apostoli discipulus, nouem Angelorum ordines constituit, vt supra dictum est. Horum alij ad nunciandas res futuras, alij ad signa, ostenta & miracula patranda superne à Deo mittuntur: alij reliquis angelicis spiritibus præpositi sunt, quibus imperant vt diuina mysteria ac iussa exsequantur: alijs latissima potestas attributa est, ita vt innumerabiles Angelorum exercitus subiectos habeant: alij diuina gratia ita pleni sunt, vt Deus sedem suam in ipsis habeat, suaque iudicia per ipsos manifesta faciat: alij tanto perfectiori scientia præditi sunt quanto propius diuinam lucem ac maiestatem contemplantur: alij ita cum Deo coniuncti sunt, vt inter ipsos & Deum nihil sit intermedium, tantoque maiori diuini amoris igne ardent quãto accuratius & subtilius diuinam bonitatem, iustitiam & sapientiam perspiciunt atque admirãtur. Iam quemadmodum hi quos diximus eminentiæ gradus inter bonos Angelos reperiuntur; ita quoque inter cacodæmonas: quum suæ quisque naturæ primas vires conseruarit. Sicut ergo Angelorum bonorum alij in alios imperium habent

Cacodæmones vires naturales retinuerũt.

Dionys. Areop. De cœlest. hierar.

Cacodæmonum gradus.

bent ac potestatem; ita inter malos superiores alij sunt, alij inferiores: immo quamdiu Mundus hic durauerit, Angelus in Angelum, cacodæmon in cacodęmonem, homo in hominem imperium tenebit. Damnatorum quidem spirituum supremus rex est Lucifer, cuius Luciferi tamquam principis, signa & ductum multi ex omnibus choris Angelicis sequuti sunt, quos ille omnes in ruinam & ęternum secum exitium pertraxit. Et quemadmodum hic omnes reliquos Angelos specie prius & decore præcelluit; ita iam post casum nihil turpius, nihil deformius, nihil abominabilius eo fingi potest, vtpote à quo omnia vitia procedunt. Hunc Dantes Italus inter paucos poetas eximius, in inferno sedentem his coloribus depingit:

Luciferi descriptio.

L' Imperador del doloroso regno
Da mezo 'l petto vsciua della ghiaccia,
Et più ch' vn gigante io ti conuegno,
Che giganti non fan con le sue braccia:
Vedi hoggimai quant' esser dee quel tutto,
Ch' à cosi fatta parte si confaccia.
Se fu si bello come è hora brutto,
E contro al suo fattore alzò le ciglia,
Ben dè da lui proceder ogni lutto.
O quanto paruc à me gran merauiglia,
Quando vidi tre faccie à la sua testa,
L' vna dinanzi, & quella era vermiglia.
De l' altre due, che s' aggiungeano à questa,
Sour esso al mezo di ciascuna spalla,
E s' aggiungeano al sommo de la cresta.

La destra mi parea tra bianca & gialla,
La sinistra al vedere era tal, quali
Vengon di la, onde'l Nilo s'auualla.
Sotto ciascuna vsciuan due grand'ali,
Quanto si conueniua à tanto vccello:
Vele di mar non vidi mai cotali.
Non hauean penna, ma di vespertello
Era lor modo, & quelle in su alzaua,
Si che tre venti si mouean da ello.
Quindi Cocito tutto s'aggellaua:
Con sei occhi piangeua, & con tre menti
Gocciaua il pianto, & sanguinosa baua.

id est:

Vidi tenentem regna Luciferum Stygis
Lachrymosa, medio pectore exstantem lacu
E congelato. non statura maximi
Gigantis vnum exaquet eius brachium:
Reliqui latentis pars aperta corporis
Modum arguebat. Quale, Dij, monstrum! omnia
Quam fœda erant? quam turpia atque informia?
Spiritus at olim hic pulchritudine ceteros
Longe anteibat. nunc ab illo qui fuit
Mutatus eheu vt repente totus est?
Hac illa merces: quam rebellare Domino
Accepit ausus. Triplicem faciem caput
Habebat. vnam pallidam, rubram alteram,
At tertiam atram. crista summam vertebram
Tegebat ingens. maximas sub singulis,
Binas, volucri competentes tam fera,

Alas agebat flatus horrificus trium
Ventorum: ad illas comparari non queant
Quæ mare per altum vela inumbrant æquora.
Glacie gemebant terga duræ hinc Cocyti
Adstricta: guttas sexque lumina sanguinis
Atri exspuebant, menta fœdantes tria, &c.

Qua quidem in descriptione Dantes locum primum indicat in quo Lucifer crucietur, quem dicit lacum esse congelatum; deinde eiusdẽ magnitudinem demõstrat, bis mille scilicet cubitorum, vt Landinus quidem Dantis interpres scribit. Crista capiti superimposita superbiam denotat & inuidiam. Tres facies, vt quidam volunt, tria vitia, iracundiam, auaritiam & acediam siue ignauiam designãt: rubicunda quidem iram, quæ bilis est feruor, & sanguinis inflammatio; pallida siue lurida auaritiam; atra acediam. Bini oculi cuiusque faciei binæ sunt, iræ, auaritiæ, & acediæ immoderatæ cupiditates; binæ alæ, bina sunt iritamenta. Duę irę alæ sunt turbatio & furor, vnde ventus crudelitatis proflat; auaritiæ, rapacitas & tenacitas, quæ vento ingratitudinis aguntur; acediæ, tristitia & negligentia, vnde odij ventus. Tres ergo hi venti, crudelitas scilicet, ingratitudo & odium, Cocyti stagnum congelant, & caritatem, pietatem ac conscientiam obturant & profligant. Alarum magnitudo animi elationem exprimit. Singulæ facies os habent & gulam; quo innuitur omnes his vitijs pollutos atque obnoxios quasi viuos à diabolo deglutiri. Lachrymæ pœnitentiam significant, post factum sero venientem. Sed de his iam satis:

tis: nunc ad alia redeamus. Habent maligni Spiritus vires maiores aut minores, prout ſcientia maiori aut minori ſunt præditi. Vnde alij in prouinciam, alij in ciuitatem, alij in arcem, alij in vnum tantum hominem, alij etiam in vnum tantũ vitium dominium habent. Sicut enim à Deo vnicuique regno aut regioni cuſtodiendæ ac protegendæ Angelus bonus, tamquam Princeps, datus eſt: ita à Lucifero ſpiritus malignus ijſdem ſingulis tamquam dominus eſt impoſitus, qui non minori ſtudio & cura ad malas ac diabolicas actiones incitat, quam ille alter ad diuini numinis cultum, ad pacem, ad iuſtitiam & ceteras virtutes inflammat. Atque hæc quæ inter malignos ſpiritus eſt eminentia non nomine tantum ſed reipſa talis, coacta tamen eſt. Cacodæmonum enim alij alijs obediunt, ijs ſcilicet in quibus maiores vires & accuratiorem ſcientiam agnoſcunt & admirãtur: non quod ament eos aut magni faciant, ſed eam tantum ob cauſſam quod pluribus eos & validioribus rationibus ad nocendum homini, in Dei contemtum, quem capitali odio proſequuntur, inſtructos ſciunt. Spiritus enim hi poſtquam à Deo deſciuerũt, omni impuritatis labe polluti ſunt, humani generis hoſtes infeſtiſsimi, in omni iniquitate ſubtiles, cupiditate nocendi ardentes, inflati ſuperbia, ad fraudem ſemper intenti. Ijdẽ hominum ſenſus mutant, inquinant affectus, vigilantibus obſtrepunt, dormientes perturbant, immittunt morbos, excitant tempeſtates, in Angelos lucis ſe transformant, & diuinam ſibi vindicant atque vſurpant poteſtatem. Quamuis vero capitalia inter ipſos vigeant odia; conſpirant

Vnicuiq; regioni bonus & malus angelus praeſt.

nihilominus,& sub ijsdē signis contra hostes suos apertos acerrime bellum gerunt;nec inferiores superioribus submittere se dubitant, tantum vt homini & ceteris creaturis tanto maiora adferre possint damna. Quare ordo hic superioritatis,vt ita dicere liceat,inter spiritus hos malignos,ordo est naturalis, quem à Deo in creatione acceperunt,quemque ipsi postea propria malitia ita deprauarunt ac corruperunt, vt nihil in Dei honorem, qui vltimus finis est rerum omnium, sed omnia in eius contemtum moliantur. In hac vero præeminentia illi qui maioribus naturę dotibus,vt potentia, fortitudine, scientia, atque alijs eiusmodi in principio à Deo ornati fuerunt, maius etiam atque atrocius commiserunt peccatum; vtpote qui ardentiori conatu ac desiderio ad æquales diuino numini honores adspirarint, quique magis erga Deum fuerint ingrati. Ijdem rupto federe & diuinæ legis iugo excusso,multo iam maioribus viribus hominum genus infestāt. At in beatis angelicis spiritibus ordo hic naturalis incorruptus atq; incōtaminatus viget,nec nisi ad bonū tēdit: vt S.scriptura tradit de illo Angelo principe Iudææ protectore,qui diebus vno & viginti à bono itidem Angelo Persię præside impeditus fuit quo minus populum Israeliticum è seruitute potuerit liberare, donec tandem Michael princeps magnus consurrexit, & in auxilium ei venit. Et duo quidem hi Angeli alter alteri restiterunt, non odio aliquo aut ira incitati, quæ nequaquam in ipsis locum habent; sed quod alter existimaret melius esse populum Israeliticum quamprimum è seruitute educere, alter vero pu-

Dani.10.

ro putaret ad maiorem Dei honorem captiuitatis illius exitum ſpectaturam, ſi quanto lõgior eſſet, tanto longius ac latius Dei nomen inter idololatras illos diuulgaretur ac celebraretur, & illi Iudæorum exemplo moniti vitam maturius emendarent. Honeſtæ huic concertationi tum finis fuit impoſitus, quando id quod diuinæ voluntati magis congruum erat, per Michaelem à Deo ipſis fuit reuelatum. Non vero exiſtimandum eſt, poſſe bonum Angelum à malo cogi aut impediri; ſed contra poteſt malus angelus à bono impediri, vt in Apocalypſi bonus Angelus Sathanam ligaſſe traditur. Porro nonnulli horum malignantium ſpirituum nouem conſtituunt ordines, totidem ſcilicet quot Angelorum bonorum ſunt chori: hancque diſtinctionem ex eorũ operationibus & effectis ſumunt. In primo ordine ij ſunt qui falſi Dij vocãtur, quod ſcilicet vt Dij coli voluerint atque adorari; vt ille qui Delphis ſub Apollinis nomine oracula reddidit; vt ille qui Pythiam vatem adflauit; vt illi qui ab Ægyptijs alijsque populis ſub varijs idolis ac ſimulacris pro Dijs culti fuere: quorum princeps eſt Beelzebub. Secundus ordo mendaces complectitur, qui numquam verum, ſed vnum ſemper pro altero reſpondent: quorum caput eſſe Python creditur. Qui in tertio ſunt ordine Vaſa iræ omniumque malorum inuentores dicuntur: in quos Belial, id eſt, contumax ſiue inobediens, imperium habet. Quartæ claſsis aſſeclas ſcelerum vindices appellant: quibus præeſt Aſmodeus. Quintum ordinem tenent deceptores & fraudulenti, qui magis & veneficis inſeruiunt.

Nouem ſecundum quoſdam, cacodæmonũ ordines.

his Sathan præest. Sextus ordo quos habet, Aereæ potestates nominantur, quod in nubibus tonitruis & fulguribus se immisceant. horum princeps Meresin dicitur. Sextam classem Furijs tribuunt, quæ discordias, bella, rapinas, incendia inter homines spargunt. his præest Abaddon, id est, Exterminator. Octauo ordini qui accẽsentur, exploratores sunt atque accusatores: quorum princeps est Astaroth. Qui in nono sunt denique ordine, tentatores & insidiatores appellantur; princeps vero eorum Maimon. Iam cacodæmonum multa nomina in sacris litteris reperiuntur. *Diabolus* dictus est, quæ Græca vox calumniatorem significat; *Belial*, id est, sine iugo aut domino, vel exlex: *Dæmonium*, ob scientiam: *Beelzebub*, id est, rex muscarum: *Sathanas*, quod est, Aduersarius: *Behemoth*, quod est, Bestia: *Leuiathan*, id est, Peccatorum conglutinatio. A Dante in poemate illo quo Infernum descripsit, *Alchino, Calchabrina, Cagnazzo, Barbariccia, Libicoccho, Draghinazzo, Cirriato Sannuto, Grafficane, Farfarello, Rubicante* appellatur: quas voces nõnulli ita exponũt; Alchino denotare ad vitia inclinatũ; Calchabrinam, diuinę gratię cõtemtorẽ; Cagnazzũ malum canẽ & mordentẽ; Barbariccia fraudulentũ; Libicocchum, libidine accensum; Draginazzum, virulentũ; Cirriatum Sannutum, porcum; Grafficanem, oppressorem; Farfarellum, nugatorem; Rubicantem, furibundum, incensum & audacem. Sed decem hæc quæ apud eundem exstant nomina nos commodius alibi ad denos naturæ intelligibilis, cœlestis atque elementaris gradus applicuimus. Casianus & alij

Cacodæmonum nomina.

nonnul-

nonnulli inquiũt, tot esse spirituum ordines quot hominum sunt studia & inclinationes. Illud quidem certum est ex ijs qui Pagani dicuntur magnum esse in extremis Septemtrionalium regionum oris, Noruegia, Biarmia, Scricfinnia & Lappia numerum, qui frequentes in semitis ac triuijs adstantes, etiamsi transeuntibus non noceant, præstigijs tamen varijsque illusionibus imponunt. Alij horum spirituum homines nocturno tempore infestant, in eosque irruunt: alij ita ad furorem inclinati sunt, vt non tantum eos quorum corpora Dei permissu occupârunt, misere huc illuc agant & torqueant, verumetiam in obuios quosque incitent atque impellant. hi sunt de quibus D. Apostolus Matthæus loquitur, quũ ait: *Et quum venisset* (Iesus) *ttansfretũ in regionem Gerasenorum, occurrerũt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Nunc age naturam horum spirituum atque effecta latius aliquanto explicemus.

Alia dæmonum diuisio.

De admirabili, quo dæmones vtuntur, intelligendi modo; de eorum scientia; de modo & materia corporum quæ interdum assumunt.

CAPVT II.



DVRANDVS, Henricus & alij nonnulli in ea fuerunt opinione, quoad intelligendi vim & modum nullam esse inter homines & angelos

Quæ sit inter homines & angelos,

gelos

quoad intelligendi modum, differentia.

gelos discrepantiam, sed tam huius quam illius intelligentiam formari per præsentiam obiecti intelligibilis, vel in se ipso, vel in sua caussa. Scotus vero & Beatus Thomas censuerunt longe aliam ac valde diuersam esse homini ab angelo intelligendi rationem. neque enim angelum siue spiritum species rerum creatarum & corporalium in intelligendo recipere; sed eas naturaliter cum intellectu suo in ipsa creatione habere vnitas. In hoc tamen dissentiunt, quod Scotus vult, angelos species naturales ad substantias spirituales & materiales generice & specifice tantum intelligendum aptas habere, non vero eas quæ indiuidua repræsentent, aut res accidentales, vel quæ à libero hominis arbitrio dependent. Ait enim, Angelum species has non è sua natura, sed ex rebus intellectis sumere. Ad probandam suam sententiam subtilissimus magister has adfert rationes: quod si aliter statuamus, necesse sit fateri, species has naturales in Angelo esse infinitas, sicut & indiuidua rerum materialium numero infinita sunt & indeterminata. Deinde concedere oporteret, Angelum sua natura res fortuitas & contingentes, quæque adhuc futuræ sunt, intelligere: quarum tamen cognitio soli Deo, vt supra diximus, reseruata est. D. vero Thomæ, & plerisqueomnibus Theologis impossibile videtur, vt Angeli natura simplex & incorporea intellectum recipere possit à rebus intellectis particularibus aut accidentalibus; quum res coporeæ propria virtute in Spiritum agere non possint, multo minus spiritualem aliquam producere qualitatem: vnde concludit nec speci-

speciem aliquam intelligibilem in angelico intellectu generare posse. Præterea Deus, vt supra attigimus, res omnes medijs quibusdā colligauit, ita vt ab vno extremo ad alterū transiri nequeat nisi per ipsa intermedia. Quare quum illud esse quod formam suam à pura habet materia, vnum sit extremum, & illud esse quod formam suam habet ab intellectu, alterum sit extremum, quorum medium est illa forma quæ esse suum habet à phantasia siue imaginatiua; nec vero Angelus formam hanc materialem talibus medijs producere queat, vtpote phantasia siue imaginatiua potentia destitutus: manifestū est Angelum intelligere per speciem suam naturalem, non vero per speciem aliunde receptam. Statuit igitur communis Theologorum schola, formas intelligibiles intellectui angelorum infusas esse, & naturales dici, vel quod angelicæ perfectioni velut debitæ sint, vel quod cum angelorum intellectu concreatæ sint, non tamen ab essentia promanēt. nec fidē facit Augustinus, inquiens: *Vnicuique spiritualium creaturarum impressæ sunt à verbo Dei omnes rationes rerum*. Sed quia disputatio hæc valde subtilis est, nec ab omnibus recte intellecta, missam eam faciemus. Illud tantū, vt ad Scoti argumenta respondeamus, dicimus, Angelos accidentia particularia intelligere non per formas particulares quas naturaliter possideant, sed per vniuersales, quæ in excellentia quadam res singulares repræsentant. Velut exempli gratia: Spiritus humanam speciem considerans & cognoscens, eadem specifica intelligentia ad omnium hominum qui iam sunt quique fuerunt, cognitionem descen-

Cap. 1. sent. dist. 3. q. 2.

descendeere. Dici insuper non potest, per intellectum & speciem repræsentantem sequi, spiritum futura nosse: siquidem vt species actu secundo repræsentetur, requiritur vt res exsistentiam suam aut coexsistẽtiam habeat aut saltẽ habuerit simul cum intellectu creato in cognitione intuitiua. Angelus naturæ intelligibilis est perfectæ, ideoque eas res tantum cognoscit quæ esse suum certum habent aut quasi certum in suis caussis, nec naturalis ipsius potentia vlterius se extendit quam ad cognoscendum res eas quæ ad naturæ pertinent ordinem. atqui humani cordis cogitationes eò non referuntur, quia accidentia sunt, dependentia à caussa libera: eamq́ue ob caussam alij cuidam ordini subiectæ sunt, extra omnem Naturæ necessitatem posito, qui solus est & vnus Deus. Licet ergo hinc concludere, spiritum tam malum quam bonum excellentiori quodam modo per naturalem suam virtutem intelligere, quam hominem. Homo enim scientiam suam siue intelligentiam habet à rebus sensibilibus, circa quas non facilis modo est error, verum etiam vix vlla certitudo. Spiritus autem intellectus sui ope cognoscens, numquam decipitur aut errat: eoque res omnes, scit, cognoscit & videt in illa ipsa vera & reali essentia qua sunt, & non aliter. Atque hoc intelligendum est de rebus naturalibus, & quarum Angelus tamquam creatura finita, capax esse potest. Earum enim quæ à diuina pendent voluntate, vel libero hominis arbitrio, nullam potest habere scientiam certam, nisi in quantum ipsi à Deo reuelatum fuerit. Quamobrem mali spiritus sæpe decipiuntur & ipsi,

Vide supra lib. 2. c. 10.

Spiritus in intelligẽdo non errat.

D. Thom. in tract. 99

ipsi, dum arroganter id intelligere de eoque iudicare volunt quod scire ipsis non est datum; & alios decipiunt, quibus falsa pro veris obtrudunt. Id videre est in antiquis illis responsis siue oraculis, quæ vel ita dubia atque intricata sunt vt quid sibi velint certo intelligi nequeat; aut omnino mendacia sunt & vana. Vt illud: *Aio te AEacida Romanos vincere posse.* & illud, quod Paullus Grillandus scribit Braccio Senensi, maximo incantatori, datum fuisse his verbis: *Ibis redibis non morieris in bello:* quæ verba prout interpuncta aut distincta fuerint, tam ad vnum quam ad alterũ sensum detorqueri possunt. At boni Spiritus numquam errant: quia non temere iudicant, sed ad diuinæ voluntatis cynosuram siue normam vnice sese accommodant; nec res fortuitas aut accidentales scire præsumunt, nisi in quantum Deo placuerit ipsis reuelare. Nunc vt ad alia veniamus, Spirituum scientia in eo quoque multum ab hominum cognitione differt, quod illa non mentis aliquo discursu aut ratiocinatione, ab vniuersalibus ad particularia, à notioribus ad minus nota procedendo acquiritur; sed longe promtior est, immo tam admirabilis & stupenda, vt primo statim intuitu Angelus intellectu suo capiat res omnes quæ Naturæ gremio continentur, sine vlla ratiocinatione. Quocirca Spiritus in cognoscendis herbarum, lapidum, animalium & ceterarum rerum proprietatibus & viribus nullum ponunt laborem: sed vbi primum leonem aspexerint, statim qualitates eius omnes norunt, fortitudinem scilicet, feritatem, instinctus naturales; pellis, ossium, carnis pro-

16. q. de dæm p. 1. q. 56. Tert. Apol. cap. 21.

Spiritus intelligunt sine ratiocinatione.

proprietates, quidquid denique de specie leonina cognosci potest. Similiter hominem videntes, sine vlla ratiocinatione vel argumentis naturam eius omnem cognoscunt: esse videlicet animal non solum rationale, sed etiam visibile, disciplinæ ac scientiarũ, & beatitudinis capax: & sic primo intuitu statim omnes alias eiusdem proprietates & conditiones perspiciunt, ac si perfectionem hanc videndi, cognoscendi atque intelligendi omnia eius particularia ex sua ipsorum natura immediate essent cõsequuti. Multo minus Spiritus componendo & diuidendo occupantur, vt hominis ingenium, quod ob imbecillitatem in prima rei intellecta cognitione nõ statim ea omnia apprehendere & intelligere potest quæ in re ista insunt, sed ad scientiam per viam compositionis & diuisionis peruenire necesse habet. Iccirco de hac partium numeratiuarum diuisione, tãquam necessario scientiæ acquirendę instrumento, loquens Plato, eum hominem sapientissimum appellat, qui diuiderę sciat & numerare. Spiritus vero, vt intelligant, nec diuisione nec compositione opus habent, propter excellentiam, quod in ipsis est, luminis naturalis. Tenent enim in Natura intelligibili eumdem gradum quem corpora cœlestia. atqui corpora cœlestia, vt cœlum, stellę, sol, luna, & reliqui omnes planetæ suam in seipsis habent perfectionem; sicut contra res terrestres motu perficiuntur. quare necesse est vt spiritus tam boni quam mali perfectionem suam habeant absque motu spirituali, id est, sine ratiocinatione, compositione & diuisione, aut numeratione: quemadmodum vicissim homo tamquam

Plato in Epinom.

quam

quam multo inferioris atque imbecillioris naturæ, non nisi per hanc viam ad scientiam sapientiamque grassari potest. Hinc est quod nonnulli Theologi affirmant dæmones Theologiæ, Philosophiæ, Mathematices, Astrologiæ, Arithmetices, Logicę, Grammaticæ, Musices & Medicinæ esse peritos; quique inter ipsos infimus sit & vilissimus, longe quouis homine esse sapientiorē. Quia enim spiritus merus est intellectus, nec corpore grauatur, aut rebus materiatis impeditur; rerum omniū à superficie terræ ad infimam vsq; abyssum vires habet cognitas, lapidum, gemmarum, mineralium, vermium, animalium: marmoris, porphyritis, magnetis, coralij, pumicis, silicis, iaspidis, adamantis, chrisolithi, pyropi, smaragdi, topazij, carbunculi, margaritarum; auri, argenti, æris, plumbi, ferri, sulphuris, argenti viui, stanni. Nouit idem proprietates vermiculorum omnium, murium, testudinum, lutrarum, castorum: cognita habet genera omnia piscium tam fluuiatilium quam marinorum. Perspicit vires ac proprietates omniū animalium, leonis, tigridis, vrsi, elephantis, cameli, equi, bouis, asini, muli, bubali, canis, felis, ouis, lupi, vulpis, leporis, cuniculi, taxi, martis, gliris, simię, cercopitheci, &c. Nouit vires omnium herbarum, arborum, plantarum, fructuum, foliorum, radicum, seminum, succorum & liquorum, quos, quas & quæ terra vllibi producit. Quid de volucrum generibus dicam? quorum nullum, siue terrestre illud sit, siue aquatile, siue aereum, scientiam ipsius effugit: vt sunt meleagrides, gallinæ, pauones, anseres, anates, cycni, fulices, halcyones, grues, ciconiæ, mergi:

luſciniæ, merulæ, cardueles, linariæ, pſittaci, picæ, corui, cornices, columbæ, turtures, palumbes, coturnices, perdices, gallinæ montanæ, noctuæ, paſſeres, ficedulæ, accipitres, miluij, falcones, veſpertiliones, aquilæ, ſtruthiones, & quam vnicam eſſe dicunt, phœnix. Quatuor inſuper elementorum naturam & vires ijdem habent cognitiſsimas: tonitrui, fulguris, nubium, meteororum, chaſmatū, traiectionum, pluuiarum, niuiū, tempeſtatumque cauſſas idem optime nouit. Infallibili oculo adſpicit veras ſolis, lunæ aliarumque ſtellarum tam fixarum, quam errantium, polorum, ſignorum Zodiaci, cœlorum denique omnium qualitates, curſus & in hæc inferiora vires atque effecta: omnes omnium ſpirituum tam bonorum quam maledictorum ordines, conditiones, qualitates & officia idem nouit: & vt verbo præcidam, nulla eſt res in hoc Mundo à Deo creata, quæ viuaciſsimum & perfectiſsimum angelorum intellectum latere queat. Quum igitur tanta ſit tamque profunda ſpirituum ſcientia, mirum non eſt tot tantaſque res viſu admirabiles, opinione incredibiles ab ipſis patrari, & quidem rerū naturaliū ope, quas multo melius intelligūt, multoque peritius ſuis locis & tempoirbus applicare poſſunt quam homo. Vnde ſæpenumero perſpecta habentes regum & principum conſilia, eorumque potentiam conſiderantes, bellorum tam cauſſas & principia quam exitus coniectura præcipiunt, alijſque miraculoſo quodam modo prędicunt. Quare grauiter errat Bodinus, exiſtimans humani cordis cogitationes à ſpiritibus aſsiſtentibus ſciri poſſe. Quam in rem exempla adfert

Bodin. lib. 4. Theat. Nat.

quædam

quædam, primum veneficæ cuiuſdam, quæ inter quæſtiones & tormenta confeſſa ſit, ſibi quęcumque interioribus animi ſenſibus conceperit, à dæmonio ſtatim aperiri: deinde magi cuiuſdam Laſcoti nomine, qui ſpiritu indice omnia in chartis luſorijs puncta, à circumſtantibus animoconcepta diuinare potuerit. Pro ſententiæ ſuę fundamēto Bodinus verba illa Eccleſiaſtæ ponit: *In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit ſententiam.* Regem interpretatur Deum; aues cœli Angelos; pennatum, dæmonem, Rabbinorum deliria ſequutus. Sed hæc alibi à nobis ſunt confutata: ſpiritus vero res fortuitas, nedum humani animi cogitationes, ſcire non poſſe, ſupra vbi de Angelorum natura egimus, eſt oſtenſum. Nunc de corporibus Spirituum vt dicamus aliquid, locus admonere videtur. Et primum certum eſt, poſſe Spiritus corpus materiale atque elementare, eius poteſtatis quam in res materiales habent beneficio, aſſumere, quo quidem non opus habent pro ſe, ſed vt rerum à ſenſibus retruſarum notitiam homini communicent, aliaq; eiuſmodi peragant. Ad vim contemplatiuam quidem, quæ in Angelis eſt, quaque Deo creatori rebellarunt, quod attinet, nihil quidem illa corporis indiget velo; verū ad vim exſequutiuā quod ſpectat, quæ in ijſdē eſt, vtpote diuinæ poteſtatis, vt à D. Paullo nominantur, miniſtris: conueniens ſane videtur vt corpore ſe veſtiant, quo apparere nobis, atque id quod volunt exſequi poſsint. Cuius quidem rei in antiquis monumentis infinita fere leguntur exempla:

Eccleſ. 10.

Spirituum corpora poſſint aſſumere.

empla: vt in sacris scripturis de illo Angelo qui Balaamo apparuit, eumque ne populo Dei malediceret, absterruit: de duobus Angelis quos Abraham hospitio excepit: de eo qui Tobiam iter facientem duxit & reduxit, cibum potumque vnà capiens; de diabolo qui Christum in deserto tentauit, multisque alijs, quos breuitatis caussa iam omitto. duos tantum è profanis historijs addo, Plotinũ, qui geniũ suum oculis adspexit; Brutũ, cui & ipsi genius apparuit, & instantem vitæ exitum prædixit. S. quidem Antonius multis modis à diabolo tentatus scribitur, & in primis aliquando sub figura aureæ massæ. Ioannes Andreæ scribit, diabolum in formam Archiepiscopi Syluani se transformasse, vt sancto homini infamiam suis factis conciliaret: postea vero fraudem publice ad populum confessum, rem vti erat omnem enarrasse; atque ita Syluani innocentiam palàm esse factam. Multa alia exempla de Angelis qui visibili forma apparuerunt, supra allata sunt, quorum plenæ sunt tam sacræ quam profanæ scripturæ. Ex quibus intelligi potest, falsam esse Rabbi Mosis aliorumque Hebræorum, qui apparitiones per Angelos factas, non in corpore visibili, sed intrinseca tantum mentis visione factas esse crediderũt, opinionẽ. Tertullianus existimauit, corporis ab Angelis assumti eũ esse modũ quo filius humanam carnem assumsit, vnione hypostatica: quod tamen dictu vel etiam cogitatu valde est absurdum. Est enim grande miraculum vno subiecto duas naturas terminari ac contineri. Præterea quando Angeli in forma humana vidẽdos se præbuerunt, si eorum cum talibus corporibus

Ioan. And. in Hieron. part. 2.

Tertul. in lib. De car. Chri.

Error Tertulliani.

ribus

ribus vnio vere fuisset hypostatica, fatendum fuerit homines ipsos factos esse, aut monstra sub humana figura aliam quampiam naturam occultantia. Vnde liquet quantumà vero absit Tertulliani sententia: ex qua hoc etiam sequeretur, filij Dei Incarnationem non ita pro magno miraculo habituros Angelos, si hanc coniunctionem ipsi in seipsis essent experti. Corpus igitur in quo spiritus apparent, non est verum naturale corpus, sed est tamquam instrumentum à Spiritu ad actiones ipsius fabricatum, & tamquam signum vel indicium ad præsentiam significandam, & tamquam vestimentum ad amiciendum: quod quidem ille sibi facile comparare potest. Quum enim facere posit omnia quæ motus beneficio fieri possunt, & apparitiones sub diuersis formis in corporis tantum humani, leonini, aut alterius cuiusdam animalis effictione consistant, hęcque ipsa effictio fiat per motum localem: dubium non est quin spiritus corpus sibi, motus beneficio, effingere queat: quo quidem motu corpora omnia, applicatis rebus actiuis naturalibus, aut condensantur, aut clarificantur: vt in picturis videmus, quę motus beneficio additis coloribus, tandem egregij artificis manu ex voto ipsius perficiuntur. Hoc ipsum confessus est Augustinus, inquiens, Spiritum applicare se figuræ, accomodare se coloribus, accedere sonis, supponere se odoribus, & in saporibus se abscondere. Scotus de materia eorum corporum quæ Angeli assumunt, tractans, eorum reprehendit opinionem qui putant ex nihilo hæc ab Angelis, aut materia cœlesti fieri. Ex nihilo enim aliquid facere

Spirituum corpora qualia.

Spiritus unde corpora sumant.

potentiæ esse infinitæ; nec finito cuicumque, sed immenso tantum & interminabili creatori tribui posse. Vt vero Angelus è cœlesti materia corpus sibi effingat fieri non posse; quum cœlum generationis & corruptionis sit expers. Vnde colligit, spirituum corpora nobis apparentium, ex aere esse imperfecte misto. Idem Gregorius affirmat, dicens: *Nunquam Abraham Angelos videre potuisset, nisi corpus ex aere assumsissent.* Cui Beda subscribit, his verbis: *Angeli ad nos venientes corpus ex aere sumunt.* Caussam vero cur ex aere potissimũ Spiritus corpus sumant hanc addunt, quod elementum hoc præ ceteris ad spirituum functiones peragendas maxime sit commodum, vtpote quòd sua natura facile raresiat, ac rursus etiam vbi vis quædam est quæ hoc facere possit, condensetur. Et quemadmodum frigore videmus aquam in crystallum aut glaciem conuerti; ita quoque aer occulta quadam vi, Angelis non ignota, secundum voluntatem spiritus mouentis magis aut minus crassescit. Beatus Thomas Aquinas censet, corpora hæc assumta magis ad vaporum terrestrium quam alterius rei similitudinem accedere. Sanctus Bonauentura concludit, præter aeris elementum ad corpora illa ab Angelis assumta requiri etiam vaporem terrestrem aut aquatilem, tam propter varietatem condensationis quam multitudinem colorũ. Sic enim ait:

Bonauen. in 2. Sent. d. 8. q. 2.

Sed adhuc quia hoc difficile est intelligere, quomodo ex aere sine alterius elementi commistione fiat corpus solidum, & diuersis coloribus coloratum, quum

colores producere non sit aptus, nisi mediante auxilio natura, ideo tertia via detur adhuc probabiliter, scilicet, quod corpus assumtum ab Angelo corpus pure elementare non est, non quia sit ex quatuor elementis, neque quia sit ex puro & simplici elemento formatum, sed quia principaliter formatur ex aere, cum aliqua admistione alterius. Sicuti videmus in nube, quæ non est corpus plene mistum; habet tamen in se naturas plurium elementorum. Per hunc modum & corpus ab angelo assumtum, principaliter ab aere intelligitur esse formatum, concurrente ad hoc natura alicuius vaporis terrei vel aquei; qui quidem faciat tam ad varietatem condensationis quam ad multiformitatem coloris. Hanc autem non oportet Angelo de longinquo mendicare, quũ aer pro magna sui parte sit cõmistus vaporibus.
Atque hæc quidem opinio longe veri est similior, cum corpore scilicet à spiritu assumto coniunctum esse aliquid vaporis terrei vel aquei, vt scilicet tanto facilius formam quam vult spiritus exprimat: eius tamen perparum esse. Corpora enim eiusmodi facile & in vno momento euanescere, & mortalium oculis subtrahere se videmus. Quod si multum aquæ aut terræ in eis esset; præterquam quod difficulter eiusmodi corpora à spiritibus assumi possunt, quum elementa hæc solidiora sint ceteris; etiam in disparendo reliquiæ aliquæ vel terræ vel aquæ remansuræ fuerint, vt in igne fieri solet, qui fauillas & cineres relinquit. At Spiritus ita euane-

ſcunt, vt nihil poſt ſe relinquant, niſi quando mortuorum corpora induunt; qua de re ſuo loco agemus.

De Spiritibus Incubis & Succubis, deque eorum cum viris & feminis carnali commiſtione & generatione.

CAPVT III.



INCREDIBILE quidem, verum tamen eſt, poſſe malos ſpiritus (de bonis enim & ſanctis abſit vt quidquam tale cogitemus) corporibus eiuſmodi ex aere formatis indutos, cum hominibus actus venereos exercere, atque etiam generare. Hoc ſpirituum genus Incubos & Succubos appellant. Incubos quidem quod ſub viri forma cum mulieribus commiſceatur: Succubos, quod mulierum ſpecie corpora viris ſubſternant. Luxuriæ hæc exercitatio minime ob voluptatis ſenſum, quo non titillantur, à Spiritibus ſuſcipitur: ſed eam tantū ob cauſſam vt hominem in idem in quo ipſi ſunt præcipitium ſecum abripiant, in Dei indignationem ſcilicet & iram. Quamquam autem naturaliter per ſe ipſi coire, & generare nequeant, quippe corpore, ac proinde etiam ſemine vaſiſque ſpermaticis, & in primis calore deſtituti (quæ omnia ad generationem requiruntur) nihilominus tamen natu-

Incubi & Succubi vnde dicti.

Spiritus quomodo poſſint generare.

naturalibus illi medijs vsi, primum se in muliebrem effigiem transformant, & viro substernunt, receptoque ab eo in corpus assumtum semine, momento temporis cum femina congredientes illud in matricem transfundunt; vnde nonnumquam fetus procreantur, in primis quando semen prædictum eadem qualitate & calore naturali conseruatum, in conuenientem materiam, tempus ac locum inciderit. Scotus de hac generatione loquens ait: Quantum ad generationem ab immundis factam spiritibus, dicendum est fieri eam virtute seminis ex viro decidentis, & in feminam transfusi, in quo, vt communiter dicitur, virtus patris seruatur. Et si dæmon semen illud recipere posit, idque in naturali sua qualitate ad generationem apta eo vsque conseruare, donec illud queat transfundere; nihil facit quam quod primum semen illud in corpus assumtum recipit, & postea in mulierem cui incumbit, transfundens, localiter mouet. quod quidem semen si qualitatem suam & calorem naturalem prius non amiserit quam à muliere in matricem sit receptum, non minus generationem caussari potest quam si ab ipso homine cuius fuerat, esset transfusum. Augustinus eadem de re verba faciens, Fama, inquit, vulgatum est, & à multis approbatum, atque etiam acceptum ab ijs de quorum fide dubitari non debet, Faunos & animalia quædam syluestria à vulgo Incubi dicta, mulieribus ita molestos fuisse, vt concumbere cum ipsis luxuriamque explere cupierint. Aiunt quoque reperiri quoddam dæmoniorum genus à Gallis Dusij dictum, quod continuo mu-

Scot. in 2. Sent. d. 7. q. 1.

Augu. li. 15. De ciui. Dei cap. 23. & li. 1. Quæst. sup. Gen. 4.

lieres eiusmodi immunditie tentare, nonnumquam etiam libidinem explere soleat, ita vt negare hoc hominis sit imprudentis. Henricus Institor & Iacobus Sprangerus, qui à Papa Innocentio VIII. cũ ampla auctoritate ad magos & veneficas per Germaniã exstirpandas electi fuerunt, affirmant, multas visas esse sagas in tergum prostratas prono ventre, membra tamquam in actu venereo mouentes, spiritusque illos suos incubos visibiles esse persuasum habuisse; à circumstantibus vero nihil visum quam expleto actu vaporem teterrimum, hominis magnitudine à veneficæ corpore quasi euolantem. Quin etiam tamquam verissimum referunt, maritos nonnullos, eiusmodi spirituum, quos homines existimabant, cum vxoribus suis concubitum videntes, arma arripuisse; sed disparentibus incubis, ludibrio habitos, & à mulieribus acerbe irrisos esse. Ijdem auctores sunt iuuenculam quamdam monacham longo tempore cum incubo rem habuisse; idque sociarum vni Christinæ nomine aperuisse. Iussisse Christinam vt bono esset animo, ac cubitum se conferret: sperare, noctem eam quietam habituram. velle enim in se molestiam hãc recipere. Christinam ea nocte ab incubo ita infestatam, vt aliquoties ad vitandam immũdissimi spiritus petulantiam atque importunitatem è lectulo surgere coacta fuerit: deinde quũ ad preces se conuertisset, ab eodẽ tota nocte ita vexatam & percussam, vt sequenti mane obuiæ alteri illi monachæ dixerit: Molestiæ illi tuæ quam in me receperam, renuncio; quandoquidem maledicti spiritus tentationes ægre hac nocte,

Sagæ concumbere visæ cum dæmonibus.

Monacha ab incubo tentata.

ſte, nec ſine vitæ meæ periculo effugi. In vitis quoque Patrum mulier quædam, quæ tale cum peſſimo diabolo ſex continuis annis habuerat commercium, D. Bernardi precibus liberata legitur. Nec vero mirum eſt ſpiritus hos in viros ac mulieres talia patrare poſſe: quamuis multi in tam horrendum peccatum non conſentiant. Omnes enim eorum ſenſus Deo permittente, ita ligant atque obtundunt, vt tamquam ſtipites & trunci immobiles iaceant, ac nulla alia re vitam quam reſpiratione teſtentur. Apud Hectorem Boethium, qui de rebus Scoticis ſcripſit, dæmonis ſuccubi talis exſtat hiſtoria. Carictæ (vel Gareothæ) regionis vico quatuor vix paſſuum milibus ab Aberdonia, adoleſcens formoſus coram Aberdonenſi antiſtite queſtus eſt palam, ſeſe à dæmone ſuccubo (vt vocant) gratiſſima omnium quas vidiſſet forma, multos ante menſes infeſtatum; eundemque occluſis foribus noctu ad ſe ingredi, blanditijsque in complexum pellicere, immò compellere: dubia luce abire ſine ſtrepitu ferè. nullo ſe poſſe modo, quum plures tentaſſet, à tanta ac tam turpi veſania liberari. Iubet continuo optimus Epiſcopus adoleſcentem aliò ſe conferre, & plus ſolito orationibus & ieiunijs vacare: fore vt pijs operibus intento victus cacodæmon terga ſit daturus. idque conſilium adoleſcenti religioſe exſequuto ſalubriter eueniſſe. Scribit Cæſarius Colonienſis, ſacerdotis cuiuſdam filiam à dæmone incubo ita infeſtatam fuiſſe vt liberari diu nequiuerit: tãdem vero vltra Rhenum à patre ablegatam, immundi Spiritus libidinem quidem effugiſſe, patrem

vero

Merlinus incubi filius.

vero à dæmone ſic exagitatum & percuſſum, vt intra triduum mortem obierit. Merlinum aiunt, maximum olim in Britannia incantatorem, talis incubi dæmonis fuiſſe filium. Hic, vt à quibuſdam proditur, natus fuit è monacha quadam regis filia, vel in loco ſolitario degente: ad quam Spiritus formam iuuenis formoſiſſimi gerens, ventitare ſolebat, & cum ea in amorem pellecta, laſciue concumbere, donec tandem ea grauida facta Merlinum peperiſſet: quem tamquam ſapientiſſimum vatem Britanni diu coluerunt. Huius tempore in Britannia Vortigerius quidam regnabat, qui ob crudelitatem & tyrannidem ſubditis valde erat inuiſus; adeò vt vitæ ſuæ metuens, arcem ſtatuerit inexpugnabilem ædificare, vt quaſi compedes ſubditis res nouare ſtudentibus inijceret, & in omnibus periculis tutum aſylum & perfugium haberet. Delecto igitur loco, conuocatiſque architectis, operis iuſſit fieri initium: ſed vix iacta fundamenta quáto altius exſtruebantur, tanto profundius in terram ſubſidebant. Re iterum atque iterum tentata, quum fruſtra omnia fierent, artifices ab incœpto deſiſtendum monuerunt. Heic rex & voto ſe fruſtrari ægerrime ferens, & pro ſiniſtro omine interpretatus, magos & hariolos ſiue vates conuocat cauſſamque ab eis ſciſcitatur, & ſimul conſilium petit: à quibus reſponſum fuit, numquam opus proceſſurum, niſi ſaxa fundamenti eius ſanguine qui ſine virili complexu è matre natus eſſet, tingerẽtur. Miſſi ergo qui vndique perquirerent; & tandem Merlinus pro tali agnitus atque adductus. Is quum ad regem

gem venisset, caussamque & hariolorum respó-sa cognouisset, vehementer obtestari cœpit, ne rex vanissimis hominibus fidem haberet, qui nihil aliud quærerent quam vt odium & inuidiam iniuste contra se conceptam explerent, & hominis innocentis sanguine regem polluerent. Deductus inde in locum, eoque diligenter considerato, veram regi caussam, cur ædificium stare nō posset, indicauit, quod scilicet subtus ingens esset lacus. Re ita comperta, Merlinus ingenio vsus aquam aliò diuertit: atque ita castellum solo firmiori facile deinde fuit exædificatum. Post hoc factum Merlinus, vt Ioannes Poggius in Britannica scribit historia, non tantum pro sapiente, verum etiam insigni vate ab omnibus fuit habitus; multaque deinde alia non minus admiranda fecisse scribitur, adeo vt hodie quoque magna eius per Angliam sit fama. Eodem modo, ex incubis scilicet vel succubis, geniti videntur quos Mahumetani Neffesoglios vocant, & è spiritu sancto natos impiè credunt. hominum genus sceleratum, quibus tamen Turcæ tantum tribuunt honorem, vt à quo illi beneficium receperint beatum se putet: quin etiam tangi ab eis singularis felicitatis loco habent. Aiunt barbari capillos horum tanta esse virtute atque efficacia, vt ægrotis superimpositi morbos continuo depellant. quæ caussa Turcas impellit, vt ita natos esse credant: simul quod vitam illi agant ab hominum non consuetudine tantum verum etiam modo & moribus valde alienam. Et quamuis hæc omnia meræ sint diaboli illusiones; nec vllum scelus ab his hominibus alienum: dici tamen non potest quam reli-

Neffesogli apud Turcas quales.

religiose ab omnibus colantur atque obseruentur. Similiter spiritus incubus in Polycriti forma, AEtolorum princeps creatus esse, & iuuenculam Locrensem vxorem duxisse legitur; cum qua tribus exactis maritali consuetudine noctibus, subito disparuit, grauidamque vxorem reliquit: quæ postea hermaphroditum, monstrosum valde partum edidit. Mulieris parentes attoniti monstrum in forum detulerunt, vbi conuocato senatu vocatisque aruspicibus deliberatum fuit quid monstro illo faciundum esset. consuluerunt alij vt partus flamma aboleretur; alij vt mater cum partu AEtolorum finibus exigeretur. Heic Polycritus nigro vestitu amictus repente apparuit, & precibus primum, deinde minis filium reposcit. Recusantibus AEtolis, in medium prosilijt, & infantem apprehensum totum deglutiuit, capite excepto, statimq; disparuit. AEtolis ingēti stupore perculsis, & de legatis ad oraculum Delphicum mittendis consulentibus; infantis caput in medio foro iacens loqui cœpit, & graui oratione magnam cędem prædixit: quę non multo post sequuta est, prœlio inter AEtolos & Acharnanenses commisso. Sabinus narrat, in Bauaria nobilis cuiusdam vxorem mortuam, multisque lachrimis ab eo defletam, nocte quadam ei apparuisse, & dixisse, à Deo sibi in vitam redire permissum, ea lege vt matrimonium rursus celebraret; in quod tamē ipsa consentire nollet, nisi à conuicijs, quib. frequēter antea vti solebat, abstinere vellet. Quo promisso, mulierem ad maritū redijsse, multosque annos cum eo vixisse, colore tamen semper fuisse pallido, multos etiam filios genuisse.

Polycritus incubus.

Mulier mortua ad maritum reuersa.

genuiſſe. Tandẽ die quodam marito ancillã contumelioſis verbis inceſſente, evanuiſſe, veſtimẽta vero eius iuxta calathum, pomis, quæ marito apportatum ibat, plenum, iuuenta. Nobilis quidam Venetus, animo luxurioſis cogitationibus, vt credibile eſt, occupato, per vrbem noctu ambulans, virginem (vel potius ſuccubum eiuſmodi ſpiritum) forma ac veſtitu elegãter comtam atq; ornatam, forte fortuna oſtio adſtantem videt. accedit, rogat quid tam multa nocte in plateis negocij haberet. reſpondet illa, exſpectare ancillas, à quibus domum deduceretur. Offert ſeviꝗ comitem adoleſcens, modo gratũ id haberet. Illa manu apprehenſum ad domum vicinam deducit, vbi ſibilo euocatæ duæ ancillæ ſtatim cum lychnis ardentibus præſto fuerunt, domoq; aperta herã, vt videbatur, cũ comite intromiſerũt. Erat vero domus pretioſa admodũ ſupellectili & ceteris reb. mire exornata, in primis vero parietes corio inaurato, quod tum apud paucos erat in vſu, tecti. Vult abire iuuenis, ac mulieri valedicit. at illa blande inuitat ac rogat, eam ſecum noctem agere vellet. Inſtruitur cœna, opipara ſcilicet: qua finita, iuuenis ad lectũ cum mulieri conceſſurus, oculos per totum cubiculum circumferens, nec vllibi ſacram aliquam imaginẽ conſpicatus, Suo, inquit, arbitratu Deus vbique præſens eſt, ſimulque ſe crucis imagine ſignat. Quibus verbis vix prolatis, domus, ancillæ & mulier diſparuerunt; iuuenis vero in campo D. Paulli ſuper ingenti cumulo quiſquiliarum & ſordium è proximis ædibus cò conuectarum ſolus fuit relictus.

Nobilis Venetus à ſuccubo deceptus.

Simile

Rusticus Vicetinus. Simile quid rustico cuidam in agro Vicetino accidisse narratur: qui domo illuni nocte egressus, & ad amicam iturus, in via spiritum eiusmodi succubum, os habitumque prędictæ amicæ gerentem, obuiam habuit. Quare lætus iuuenis, & libidine incēsus, statim in complexum eius ruit, post quem mulierculæ species velut ignea statim disparuit: iuuenis vero, totus attonitus, vbi ad se redijt, in fimeto putidissimo iacere se animaduertit. inde quum tristis admodum & dolore plenus domum reuertisset, statim grauiter ægrotare cœpit, ac paullo post, putrefactis membris genitalibus, vi morbi est exstinctus. Franciscus Picus ait, notum sibi esse hominem Benedictum Bernam nomine, annos sexaginta quinque natum, qui per quadraginta annos Spiritus succubi consortio vsus sit. huic nomen Hermelinæ ab eo inditum, & passim in forum atque alia loca deductum: sermones etiam multos cum eo habitos, ita vt qui loquentem audiebant, nec tamē quemquam conspiciebant, insanire hominem putarent. Alius quoque fuit Pinetus nomine, qui tali dæmonio per triginta annos pro muliere abusus est. Iacobus Rufus feminam quamdam Constantiensem cum succubo rem habuisse, postea vero loco partus cum acerbissimis doloribus clauos, ligna, vitra, crines atque alia eiusmodi eiecisse, affirmat. Aliud multo admirabilius in Coloniensi diœcesi accidisse dicitur. *Incubus mulierem duxit.* Multis enim aliquando Principibus in magno & pulcherrimo ad Rhenum palatio congregatis, cymbam eo appulisse à cycno argentea catena attractam, exque ea ignotum militem in terrā egressum,

ſum,qui muliere ibidem ducta,liberos procrearit. Poſt multos annos eamdem cymbam rediiſſe, inque eam rurſus ingreſſum militem inde diſceſsiſſe, relictis vxoribus & liberis, nec amplius poſtea eſſe viſum. Incubum hunc fuiſſe quis neget? In Braſilia è barbaræ mulieris cum incubo congreſſu horrendum monſtrum prognatum fertur, & in ſedecim palmorum altitudinem excreuiſſe; dorſo lacertæ pelle contecto, turgidis mammis, brachijs leoninis, oculis rigentibus & inſtar ignis ſcintillantibus, ceteriſque membris deformibus admodum & fœdis aſpectu. Alexander mulierem Alcippen nomine bello Marſico è ſpiritu incubo elephantem peperiſſe ſcribit. Stumpſius in Heluetia Anno MCCLXXVIII. à muliere leonem partu editum affirmat. Ticini Anno MCCC LXX. feles ex muliere nata eſt; Brixiæ ex alia, canis. Lycoſthenes ſcribit Auguſtæ Vindelicorum feminam quæ cum incubo commercium habuerat, primum caput hominis pellibus vel membranis inuolutum, deinde ſerpentem duorum pedum, tertio porcum, vno partu edidiſſe. Apud Caſtagnedam, in Luſitanicis annalibus mira quidem, ſed pro vera ac certa deſcripta incubi exſtat hiſtoria. Accidit, inquit, vt mulier quædam naui impoſita & in inſulam quamdam deſertam fuerit deportata: vbi dum veris lachrimis calamitatem ſuam deplorat, multi ſpiritus incubi ſimiarum ſpecie accurrunt. Inter has vna ceteris grandior mulierculam manu apprehenſam in antrum ſub altiſſimo monte ducit, vel potius trahit. Deinde in caſa quadã magnum ei pomorum, nucum, caſtanearum, & alio-

Monſtrum

Partus admirabiles.

Incubi ſub figura ſimiæ mira hiſtor.

rum fructuũ aceruũ monstrat, nutu vt famẽ inde expleret inuitans Mox in saturam insilit, cumq; ea se commiscet. Quæ pessimæ bestiæ cum misera muliercula consuetudo vltra triennium durauit, ita vt duo ex ex ea filij sint procreati. Interea nauis Lusitana ad eamdem insulam appellit; & classiarij in terram descendentes, ad fontes cauernæ proximos aquandi gratia accedunt. Commodum tum simia aberat. quare audita hominũ voce muliercula ex antro prorepit, & re omni narrata, vt è tam acerba seruitute eriperetur per omnia sacra obtestatur. Infelicis mulierculę fortunam commiserati nautæ, ad nauim secum abducunt: qua vix conscensa, simia ad litus accurrit, vidensque ad nauim accessum sibi non patere, lugubre admodum & horrendum heiulare & tristi gestu quam grauiter mulierculæ ferret absentiã, significare cœpit. Quib. rebusquum nihil moueri illos cerneret, incredibili celeritate ad antrum recurrit, vnum filiorum ad litus secum defert, & eminus mulierculæ tamquam commune pignus, ostentat, quo scilicet filij amore commota rediret. verum vbi frustra se esse vidit, brachijs arreptum infantem in mare proijcit & suffocat. Mox inde ad antrum recurrit, & filiorum alterũ itidem eminus matri horribili cumgemitu monstrans, idem in illo quoque se facturum minatur. Ne hoc quidquã proficiẽte, & hunc abijcit: tandẽ seipsũ quoq; terribili rabie in mare præcipitans, nuspiã postea apparuit. Memorabilis inde hic casus per vniuersam Lusitaniã fuit diuulgatus: muliercula autẽ à mortis sentẽtia, quæ Vlyssiponæ ante in eam lata fuerat, à rege libera pronũciata,

mona-

monasterioq; inclusa, vitã pie ibi ac deuote exegit. Saxo Grãmaticus & alij scriptores affirmant Gothorum reges è matre nobili & spiritu incubo vrsi formã gerente, ortũ habuisse. Ioan. de Barros auctor est Pegusianos & Scianitas Indiæ populos à mulierib. dęmonũ cõcubitu impraegnatis originẽ traxisse. In Flandria horũ spirituũ aliquis subviri forma cũ vacca rem habuisse fertur: è qua natus infans, baptizatus, atq; educatus, in hominẽ piũ ac Dei timẽtẽ euaserit. hũc amicis narrare solitum, sentire se in animo continuum desiderium per prata ambulandi, & gramine cum ceteris pecoribus vescendi. Sed profecto ineptum sit credere verum hunc fuisse vaccæ partum, aut spiritum in ventrem eius humanum infudisse semen. Ex homine enim & vacca, vtpote diuersis speciebus, homo generari non potest: sed potius existimandum est, spiritum vaccam vtero eius inflato grauidam finxisse, postea improuiso, qua est incredibili celeritate, infantem supposuisse, quem pro vaccæ partu voluerit haberi. Illud quoque affirmare ausim fieri non posse vt spiritus in corpore assumto ad instar mulieris partum in ventre alat, filiosque habeat. neque enim vllo modo naturæ hoc viribus effici possit, vltra quas ne Luciferi quidem potentia se extendit, vt supra est indicatum. Sed neque partus humanus seruari, multo minus generari posit nisi in vtero muliebri, aptis organis distincto: tum præterea continua requiritur animę vegetatiuę in nutriendo fetu actio; cum quibus omnibus & multi alij admirabiles effectus concurrunt, qui in dæmoniorum corporibus nequaquam inueniũtur. Quare fetus

è succubis procreati, vere in eorum corporibus generati non sunt; quum tamen in muliebri vtero semine ab incubo infuso gigni possint. Ibi enim naturalium mediorum est defectus. Credibile ergo est succubi partum alijs matribus à spiritu furto esse surreptum, & ea qua dixi celeritate pro suo suppositum. Philostratus scribit, Menippum pulcherrimæ formæ adolescentem, Demetrij Cynici discipulum, Corintho Cenchreas profectum, in itinere in spiritum succubum bellissimæ puellæ specie tectum incidisse, & ab ea, amore illius ardere se fingente, in proximam casam pertractum, multosque ibi dies commoratum, non Veneris solum consuetudinem cum illa habuisse, verum etiam ita blanditijs atque illecebris captum, vt vxorem ducere statuerit. Quod consilium dum imprudens iuuenis agitat, Apollonium Tyaneum insignem magum forte fortuna eò delatum Menippo aperuisse, non esse hanc quam putaret feminam, sed spiritum succubum, ex eorum genere qui Laruæ vel Lemures dicũtur: spiritum vero vbi se proditum animaduerterit, subito disparuisse. Sozomenus refert monachum Apellem nomine in monasterio quodam AEgypti, ne ocio torperet, nocte quadam in arte fabrili se exercuisse, & à succubo sub lasciuæ virginis habitu ad inhonestum amorem inuitatum; monachum vero petulantia hac offensum, ardentem forcipem ex igniario abreptum in faciẽ puellę incussisse, atque ita illam subito disparuisse. Apud Hieronymus est monachum quendam aliquando à diabolo sub specie pulcherrimæ virginis luxuriæ fuisse tentatum: eumque quum turpi petitioni consen-

Menippus succubũ ducturus de fraude mouetur.

Monachus tentatus vincit.

Monacho tentatione vict. deluditur.

consensisset, & iam iamque optato complexu frui sibi videretur, spurcissime fœdatum à spiritu euanescente relictum. Vincentius libro III. historiæ scriptum reliquit, Rogerio in Sicilia regnum tenente, iuuenem quemdam natandi peritissimum, dum sero vespere in mari natat, à tergo sequentem aliquem animaduertisse, quem sociū esse existimans, capilllis arreptum in litus extraxerit. verum vbi puellam eximia esse specie vidit, ac toto corpore pulcherrimo; pallio tectam, domum secum abduxisse, ac tamdiu consuetudine eius vsum donec filium ex ea suscepisset. Vna res erat quę iuuenis animum valde angebat, quod tam bella forma muta videretur. neque enim vnquam loquentem audierat. Quodam vero die à socio obiurgatus quod spectrum, & non verum mulierem domi haberet; iratus simul & territus manu ad gladij capulum admota, vt quæ vel cuias esset continuo diceret, vehementer vrgebat; ni faceret, filium ex ipsa natum interfecturum se minatus. Heic spiritus tantum proloquutus bonam à iuuene amitti coniugem, eo quod loqui illam vellet, subito euanuit, relicto filio, qui post annos aliquot, cum sodalibus pueris in maris litore ludēs, ab eodem spiritu in mare abreptus est & suffocatus. Rem non minus mirā de incubo narrat Hector Boethius libro VIII. historiæ Scoticæ. In Marria, inquit, regione, vti ex his qui rem hanc conspexerunt accepimus, puella nobilis formosaque, auersata coniugium, inuenta est prægnans. Parentes qnum stupratorem quærerent, fassa est puella nocte dieque secum formosissimum cubare adolescentem, quem vnde veniret, non

Succubus è mari extractus.

Incubi mira historia.

non sciret. Illi tametsi parum fidei responso adhiberent, tertio die, indice ancilla, cognoscentes illum adesse, cum tedis ac facibus ardentibus subito ingrediuntur, reseratis foribus; horrendumque monstrum & supra humanam fidem terribile in complexibus filiæ conspicantur. Accurrerunt ocyus vicini ad fœdum spectaculum: atque inter illos sacerdos probatæ vitæ, nec sacræ paginæ ignarus, Euangelium B. Ioannis quum recitaret, eoque peruenisset, *Et verbum caro factum est*, dæmon asportans cubiculi tectũ, incensa supellectili, stridoreque horribili emisso, abijt. Femina post triduum peperit monstrum vndiquaque aspectu fœdum, & quale in Scotia numquam visum est: quod obstetrices, ne in dedecus familiæ seruatum esset, extructa pyra exusserũt. Aliud idem quod suo itidẽ tempore contigerit, subiungit. Anno M C C C C L X X X V I. quum naues quędam mercatorum onerariæ ę Forthæ æstuario soluerent in Belgicam, tanta vis ventorum ac maris nauim quamdam afflixit, vt velis, malo, ceterisque quæ ad nauis tutelam sunt fractis, sola imminens submersio exspectaretur. Exclamat nauta, dæmonum hoc esse factum, quod præter tempus sit; siquidem sub æstiuo solstitio, quando maxime ea Oceani pars est tranquilla. Quum diu sic questus esset, auditur vox mulierculæ quæ ex imo nauis accusat seipsam consuetudinis cum dæmone, iam multis annis, ac eo ipso tempore in naui ab illo subactam se fatetur; ob idque rogat, vt ne perniciem afferret omnibus, sola in mare eijceretur. Ea quum lachrymans exponeret, aderat forte sacerdos, qui hortatus feminam ad pœnitudinem,

tudinem, ſimul vt de Dei gratia non deſperaret, admonuit. Sic illa lachrymis, ſuſpirijs, animique dolore peccatum horrens, quum nubecula quædam è nauis ſentina exſiluiſſet, ſono, flamma, fumo, fœtore, prodidit dæmonem. cuius receſſu pacata tempeſtas omneſque cum rebus ſuis, inſperato ſalui in portum venere. Vxor cuiuſdam mercatoris in Saxoniæ oppido ſeptem miliaribus à Vitemberga diſtante, iuuenem adulterum, interea dum maritus negociandi cauſſa abeſt, intra ædes admittere ſolebat. Nocte quadam poſt mutuos complexus, adulter quis eſſet, ſpiritus ſcilicet incubus, aperuit, & in picam conuerſus, En, inquit, pulchrum tuum amaſium. quo dicto, euanuit, nec vmquam poſtea eſt reuerſus. Non procul à Rotemburgo oppido mirabile quid accidiſſe memoratur, quod equidem facere non poſſum, quin adſcribam. Vnus ex his ſpiritibus incubis, aſſumta forma nobilis extranei, ſumtuoſe admodum veſtiti, duob. ſocijs comitatus, nobilis cuiuſdam honeſti, cui eximia pulchritudine nubilis erat filia, domum frequentare ſolebat, multumque auri ac gemmas ingenti precij oſtentare; vnde mox de diuitijs eius & latifundijs quæ in longinqua neſcio qua haberet regione, fama ſpargi cœpit. Sequebatur eum magnus famulorum & pediſequorum ſplendido amictu inſignium numerus. Vix vllus dies aut nox abiatb quin turbam muſicam ad domum nobilis, in filiæ gratiam, quam vxorem ambire videri volebat, adduceret: quibus rebus animum filiæ non parum labefactauit. Pater hominis, vt putabat, externam pom-

Incubus ſub pica forma.

Incubus procus.

non sciret. Illi tametsi parum fidei responso adhiberent, tertio die, indice ancilla, cognoscentes illum adesse, cum tedis ac facibus ardentibus subito ingrediuntur, reseratis foribus; horrendumque monstrum & supra humanam fidem terribile in complexibus filiæ conspicantur. Accurrerunt ocyus vicini ad fœdum spectaculum: atque inter illos sacerdos probatæ vitæ, nec sacræ paginæ ignarus, Euangelium B. Ioannis quum recitaret, eoque peruenisset, *Et verbum caro factum est*, dæmon asportans cubiculi tectũ, incensa suppellectili, stridoreque horribili emisso, abijt. Femina post triduum peperit monstrum vndiquaque aspectu fœdum, & quale in Scotia numquam visum est: quod obstetrices, ne in dedecus familiæ seruatum esset, extructa pyra exusserũt. Aliud idem quod suo itidẽ tempore contigerit, subiungit. Anno MCCCCLXXXVI. quum naues quędam mercatorum onerariæ è Forthæ æstuario soluerent in Belgicam, tanta vis ventorum ac maris nauim quamdam afflixit, vt velis, malo, ceterisque quæ ad nauis tutelam sunt fractis, sola imminens submersio exspectaretur. Exclamat nauta, dæmonum hoc esse factum, quod præter tempus sit; siquidem sub æstiuo solstitio, quando maxime ea Oceani pars est tranquilla. Quum diu sic questus esset, auditur vox mulierculæ quæ ex imo nauis accusat seipsam consuetudinis cum dæmone, iam multis annis, ac eo ipso tempore in naui ab illo subactam se fatetur; ob idque rogat, vt ne perniciem afferret omnibus, sola in mare eijceretur. Ea quum lachrymans exponeret, aderat forte sacerdos, qui hortatus feminam ad pœnitudinem,

tudinem, ſimul vt de Dei gratia non deſperaret, admonuit. Sic illa lachrymis, ſuſpirijs, animique dolore peccatum horrens, quum nubecula quædam è nauis ſentina exſiluiſſet, ſono, flamma, fumo, fœtore, prodidit dæmonem. cuius receſſu pacata tempeſtas omneſque cum rebus ſuis, inſperato ſalui in portum venere. Vxor cuiuſdam mercatoris in Saxoniæ oppido ſeptem miliaribus à Vitemberga diſtante, iuuenem adulterum, interea dum maritus negociandi cauſſa abeſt, intra ædes admittere ſolebat. Nocte quadam poſt mutuos complexus, adulter quis eſſet, ſpiritus ſcilicet incubus, aperuit, & in picam conuerſus, En, inquit, pulchrum tuum amaſium. quo dicto, euanuit, nec vmquam poſtea eſt reuerſus. Non procul à Rotemburgo oppido mirabile quid accidiſſe memoratur, quod equidem facere non poſſum, quin adſcribam. Vnus ex his ſpiritibus incubis, aſſumta forma nobilis extranei, ſumtuoſe admodum veſtiti, duob. ſocijs comitatus, nobilis cuiuſdam honeſti, cui eximia pulchritudine nubilis erat filia, domum frequentare ſolebat, multumque auri ac gemmas ingenti precij oſtentare; vnde mox de diuitijs eius & latifundijs quæ in longinqua neſcio qua haberet regione, fama ſpargi cœpit. Sequebatur eum magnus famulorum & pediſequorum ſplendido amictu inſignium numerus. Vix vllus dies aut nox abiatb quin turbam muſicam ad domum nobilis, in filiæ gratiam, quam vxorem ambire videri volebat, adduceret: quibus rebus animum filiæ non parum labefactauit. Pater hominis, vt putabat, externam pom-

Incubus ſub pica forma.

Incubus procus.

pam conspicatus, omni in eum comitate & facilitate vsus est, ac non semel domum ad epulas inuitauit: tandem vero concepta ex eius importunitate suspicione, hominem religiosum, integræ vitæ, vnà ad prandium adduxit, qui varios de Deo ac rebus ad religionem pertinentibus sermones instituere cœpit. Grauiter hoc procus ferre, rogare vt quæ conuiuio digna essent, & ad animos exhilarandos facerent, potius promerentur: res enim sacras commodius alibi quam in mensis tractari. Heic pater quod erat suspicatus, quantum potest exclamat: Apage pessima turba infernalis, nihil vobis negotij mecum aut cum meis, qui in Dei nomine baptizati, & pretiosissimo filij Dei sanguine è vestra potestate redemti sumus, qui à vestris quoque insidijs saluos nos, sic precor, defendet. Vix hæc verba finierat optimus senex, quum subito scelesti illi Spiritus disparuerunt, relictis in cœnaculo tribus eorum qui paucos ante dies in furcam acti fuerāt, corporibus, cum incredibili fœtore. Bonfinius Hunnorum originem à Spiritibus eiusmodi incubis deducit. Ait enim Filimerum Gothorum regem è suo exercitu meretrices omnes in loca solitaria profligasse, ne militum animos & corpora eneruareut. Ad has postea incubos spiritus accessisse, atque ex eorundē concubitu gentem Hunnorum crudelissimam esse prognatam, quorū non mores tantum, verum etiam lingua ac sermo immane quantum ab omni humanitate degenerarunt. Suidas vult Appollonium Tyaneum incubi fuisse filium, ac patrem sæpe à matre eius visum, atque etiam quis esset,

Hunnorum origo. Bonf. lib. 2. decad. 21. Iordan. Gothus.

Apollonij Tyanei quis pater.

Prote-

Proteus scilicet AEgyptius, aperuisse. Anno MDXLV. mulier quædam Margarita Eslingensis (est vero Eslinga imperialis Sueuiæ ciuitas) cum incubo rem habuit, vnde venter eius ita intumuit, vt caput ac pedes tegerentur, nec quidquã præter ventrem ac rotundam quandam carnis massam conspiceretur: intra quam gallorum cantus, canum latratus, ouium balatus, boum mugitus, equorum hinnitus, porcorum grunnitus, varij denique omnis generis animalium soni cum ingenti stupore à circumstantibus exaudiebantur. Quarum quidem rerum omnium auctor nemo alius fuit quam diabolus. Vnde facile potest intelligi, diabolum mille modis, sed in primis luxuria ac libidine hominem tentare, ad quod vitium hominis naturam ita propensam nouit, vt magnetem ad ferrum. Multa alia exempla commemorari possint; sed quia alibi adducta sunt, iam omitto.

An spiritus corpora transferre possint: vbi de eorum agitur velocitate, quæ multis exemplis declaratur.

CAPVT IV.



VPRA admirabilem illam spirituum qualitatem, quoad motum attigimus: qui sane multum à rebus corporalib. differt. Corporis enim motus loco mensuratur, quia corpus

pus in loco est:ac propterea quantum est corpus mobile, tanta quoque motus est continuatio. Quoniam vero spiritus in loco non est, nisi per tactum virtualem quo locum ille tangit: motus quoque ipsius nihil aliud est quam diuersi contactus virtuales multorum locorum, successiue ab ipso contactorum. Eam ob caussam spiritus quo vult ire potest, & contactus illos continuat, aut non, id est, ita vt medium interuallum non transeat, aut transeat, prout ipsi placuerit. Interim vero dum continuato motu transit, necesse est vt corpus materiale assumat: atque ita hic motus spirituum non naturalis sed accidentalis esse intelligitur. Illud vero quomodo spiritus tam bonus quam malus, homines de loco in locum trāsportare posit, nō ita difficile est intellectu. Quia enim corpus assumere, & quocumque vult transferre potest; etiam omnem aliam substātiam naturalem, & consequenter animalium atque hominum corpora mouere potest, nisi à Deo prohibeatur. Neque hæc spirituum vis ita limitata est, vt certum aliquod tantum pondus, & nihil eo amplius mouere possint: quin potius tātum mouere possunt quantum voluerint aut nacti fuerint. Quare vnus solus spiritus montem, aut vrbem, immo integram regionem, Dei permissu, mouere atque euertere potest, quemadmodum postea de subterraneis spiritibus ostendemus, quorum vi nō exigua orbis pars vastata est, multæque vrbes funditus euersæ. Huius vero tantæ potentiæ caussa in abdito nō latet. Quanto enim substantia aliqua Deo propinquior, tanto quoq; fortior est & velocior: & econtra quanto longius à Deo

Spiritus nō est in loco.

Quomodo spiritus homines trāsportare posit.

Spirituum vires.

à Deo quæque abest, tanto quoque debilior est & tardior. Sic aquam terra, aerem aqua, & validiorem & celeriorē esse videmus: quorum omnium vires & velocitatem luna superat, huius rursus aliud superius cœleste corpus, quovsque ad primū mobile perueniatur, cuius tanta vis est vt omnia inferiora secum abripiat & circumducat; tanta velocitas vt plura quam decies centena miliaria quouis minuto vel scrupulo conficiat, vti supra est demonstratum. Quapropter vt Angeli quantū ad ordinem naturalem, propius ad Deum accedunt quam omnes cœli; ita quoque maiori robore, velocitate & virtute quam in hæc inferiora exercent, præditi sunt. Quare nullo negotio sine vlla molestia aut defatigatione non dicam animalia & homines, sed montes atque vrbes transferre possunt, non tamen integrum aliquod elementum aut vniuersi huius ordinem perdere: vt quidem omnes vno ore cōsentiunt Theologi atque Ecclesiæ doctores. Nec vero rationibus tantum naturalibus, verum etiam multis exemplis atque ipsa experientia opinio hæc confirmatur, quid enim tam in sacris quam profanis scripturis ferè crebrius, quam homines corpore atque anima à spiritibus transportatos? Immo nonnulli existimāt Theologi ipsum Christum è deserto super templi pinnaculum fuisse constitutum, atque inde rursus in altissimū montem à diabolo translatum, Deo permittente. Apud Danielem certe Angelus Domini Habacuc prophetam, cibos messoribus allaturum, in vertice apprehendisse, & capillo capitis sui è Iudæa Babylonē in impetu spiritus portasse, & Daniele cibis

Firm. ad Cypr. in epi.

Dan. 14.

cibis refecto, confestim in loco suo restituisse legitur. Alexander captiuum ad loca infernalia viuum abreptum, ac tribus ibi exactis diebus squalidum in carcerem quamuis diligenter obseratū reportatum esse scribit. Multa ab eo pœnarum genera quibus animæ damnatorum afficerentur, ibi visa, & alijs postea commemorata, sedulo monente vt quisque maiorem salutis curam gereret, & ne in tam miserum locum detruderetur, caueret. Pythagoras, si Apollonio credimus, vno atque eodem die Crotone & in Metaponto visus fuit, à dæmone, sine dubio, transportatus. Apollonius Tyaneus præsente Imperatore Domitiano colligatus, è conspectu eius euanuit, & Puteolos, vbi à socio exspectabatur, est translatus. Iamblichus, insignis Incantator siue magus, dæmoni sacrificans ab eodem decem cubitos è solo eleuatus, & quasi in aere suspenso ambulasse gradu fertur, vestimentis etiam vi incantationis mirum in modum transmutatis, vt Euanippus scribit. Similis historia apud Bocatium est de nobili quodā Insubro. Hic peregre abiturus annulum sigillatorium vxori custodiendum reliquit, hac conditione vt si intra triennium non reuerteretur, alteri ipsa nubendi potestatem haberet; interim vero se absente, castimoniam illibate seruaret. Maritus Hierosolymas proficiscens in itinere à prædonibus capitur, & in AEgyptum abducitur; tandem etiam ad ipsum Turcarum Imperatorem: à quo familiariter compellatus, eius se filium esse dicit, à quo Sultanus olim, dissimulata persona Europam peragrans, amice & humaniter domo fuerat receptus. Ea re lætus Imperator, hominē

Alex. li. 6 Geni. dier.

Apollonius Tyaneus.

Iamblich. magus.

Nobilis Insubri hist.

non modo libertati restituit, sed etiam magnis honoribus & præmijs remuneratur: & non modo ob pristini beneficij memoriam, sed etiã singularis animi & corporis dotes suprema Vesiris Bassæ dignitate ornat. Iam tres illi anni vxori præfixi, ad finem labi incipiebant: vnde ægeremore maritus multa summiaoloris signa prę se ferebat. Rogat caussam Sultanus: qua intellecta magum accersit, & vt amicum arte sua iuuaret, imperat. Iubet magus hominem lecto preciosissime adornato imponi; Sultanus magnam pecuniæ & gemmarum vim addit. Sic igitur addormiscens nobilis cum lecto Ticinum in patriam à spiritibus defertur, & in œde cathedrali collocatur. Mane templum ingressus æditiuus hominem & lectum conspicatur: vnd vehementer terrefactus statim se proripit, & obuijs quid viderit narrat. Redeunti obuiam fit nobilis, domum ad vxorem properans, quæ sequenti die nouo marito nuptura erat. Paullus Grillandus libro II. de Sortileg. q. VII. narrat anno M D X X I V. sibi vt inquisitori oblatam quandam Lucretiam; quæ dum ex congregatione ludorum deportaretur domum, & sub auroram matutinus campanæ pulsus, quo ad orandum populus vocatur, fuisset auditus, subito illam à dæmone à quo vehebatur prope fluuium in agro spinis obsito derelictam. forte iuuenis ei bene notus, illac transibat: eum ergo misera nomine proprio aduocat. iuuenis videns totam nudam, præter verenda femoralibus contecta, & passis crinibus, accedere formidabat. persistit illa

Grillandus li. de sortileg. 2. ca. 7.

Saga à diabolo relicta.

illa blanditijs allicere. tandem appropinquauit, & quæsiuit habitus & moræ eo loci caussam. illa primum alia omnia prætexere, & multa mentiri, donec iuuenis incredulus negauit se illi operam laturum, nisi vera fateretur. illa fidem secreti stipulata, cōfitetur quod sibi accidisset, & qua ex causa. Iuuenis eam secreto domū suam perduxit, & multis ab ea muneribus donatus fuit. sed tandem datæ fidei immemor rem vni atque alteri narrauit: sic paullatim sparso rumore, & mulier capta, & iuuenis testimonium veritati perhibere coactus hæc omnia Grillando narrauit. Subdit & aliud, his verbis: *Mulier quædam Sabinensis diœcesis hanc profitebatur diabolicam artem: de qua quum maritus suspicionem haberet, interrogauit eam pluries, quæ semper negauit. Maritus vero in suspicione sua persistens, anxie veritatem perquirebat: qui adeo astute se gessit, quod vidit illam quadam nocte se vnguento quodam vnguentem: qua vnctione peracta, vidit illam celerrime, quasi auem, recedentem, & ex superiore domus solario ad inferiora descendentem. illam maritus sequens vt videret quo tenderet, amplius eam non vidit, & accedens ad portam domus, inuenit eam clausam. Quæ res magnam illi præbuit admirationem. Die vero sequenti iterum maritus vxorem interrogat quod anxie scire cupiebat: & illa constanter, vt ante, se nescire dixit. Maritus vero, vt amplius negare mulier non posset, aperte ei dicit omnia, quæ nocte præterita illam fecisse viderat: deinde fustibus illam percutit grauiter*

Saga à diabolo transportata.

uiter, & duriora minatur verbera, nisi veritatem dixerit: quam si aperte exposuerit, veniam se illi daturum promisit. Mulier igitur se iam celare non posse intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petijt: quam illi maritus hac conditione indulsit, vt illum ad tales congregationes adduceret, illa vero vt veniam impetraret, facile petita promisit, & promissum ex licentia Sathanæ impleuit. Adductus igitur ille ad locum vbi ludi fiebant, ludum & choreas & cetera omnia contemplatus est, & tandem ad mensam cum reliquis, vt vesceretur, sedens, quum cibos insipidos iudicaret, petijt sibi dari sal, quod in mensa deerat: & quamuis iterum atque iterum petijsset, nunquam illi dabatur. Tandem quum post importunam petitionem prolixamque exspectationem sal illi daretur, dixit: Laudetur Deus, quoniam iam venit sal. Quibus verbis prolatis, dæmones, quia laudes Dei audire refugiunt, statim recesserunt, & reliqui omnes disparuerunt, luminaribusq; exstinctis, mansit ille nudus solus, quousque mane facto vidit quosdam pastores, quos interrogauit, quænam esset illa patria in qua erat. illi vero responderunt, agrum esse Beneuentanum in regno Neapolitano, qui locus distabat à patria viri per centum miliaria, ob quam caussam licet diues esset, coactus fuit per viam mēdicare, vt ad domū suā redire posset. ad quā postquā peruenit, vxore suā ob lamiæ crimē accusauit, & totam rē gestam, vt narrata est, coram iudicibus exposuit: qui rem totā plene, vt oportebat, examinantes,

vera

vera esse omnia quæ diximus inuenerunt, quæ etiam eiusdem mulieris confeßione confirmata sunt. Ioannes Teutonicus Halberstadiensis canonicus quum alia multa incredibilia vi magica perpetrasse, tum eodem die, natali scilicet Domini, à dæmone nigri equi specie vectum, tribus in locis, Halberstadij, Moguntię & Coloniæ missam celebrasse dicitur: inter quę loca ingẽs sane est distantia atque interuallum. Antonius Turquemada Hispanus narrat iuuenem quemdam à veneficio seductum, ad conuentum eiusmodi diabolicum fuisse delatum, vbi ingentem viderit sagarum numerum solio assistentium, in quo dæmon conuentus præses sederit, forma hirci terrifica. accessisse singulas, & in signum homagij podicem ipsius deosculatas. heic iuuenem rei fœditatem auersatum, Dei nomen inuocasse, statim vero sagas omnes & dæmonem disparuisse, & iuuenem in latissimo quodam & solitario campo solum relictum, tã procul à patria, vt in itinere domum reuertens, tres integros annos consumserit. Plutarchus auctor est, victis Persis, Græcos sollemne sacrificium peragere constituisse, eamque ob caussam Delphos ad consulendum oraculum legatos misisse. iussos ergo Ioui liberatori aram erigere, non tamen prius sacrificium offerre, quam omnis per vniuersam regionem ignis esset exstinctus. Eum enim a barbaris pollutum esse: eoq; purum atq; incontaminatum ex insula Delphica esse petendum. Omnibus igitur per vniuersam eam prouinciam ignibus publico magistratus edicto exstinctis, Euchidam quemdam Platæensem incredibili celeritate

Ioannes canonic. Halberstadiens.

Iuuenis cõmentum sagarum videt.

Euchidas. eiusque velocitas.

ritate Delphos cucurrisse (qui locus à Platæarum ciuitate mille circiter stadia abest) & lotum inde ac lauro coronatum cum igne eodem die reuertisse: statim vero vt ciuibus ignem tradiderit, mortuum concidisse. Hinc populi iussu in Dianæ templo humatum, eiusque sepulcro tale epitaphium inscriptum: *Euchidas Delphos cucurrit, & die reuersus vna est.* Berengarium quoque hæreticum Romæ atque in templo Turonensi eadem nocte visum, atque etiam cantantem auditum fuisse, aiunt. Memorabile quoque est quod apud Bartholomæum Spineum sacri Palatij magistrum exstat, exemplum. Quandam ait puellam, quę cum matre Bergomi morabatur, inuentam fuisse noctu Venetijs in thalamo sui adfinis: quam mane repertam nudam, recognitamque, quia consobrina erat, quum interrogassent quomodo illuc venisset, aut ibi esset, & quare? plorans illa, postquam vestita ab eis fuit, hæc quæ subdo enarrauit, dicens: Hac nocte quum in lecto vigilarē, vidi matrem meam, quę me dormire putabat, surgentem de lecto, & exsutam camisia se quodam vnguento, quod ex vasculo assumsit desub lateribus extracto, perungentem corpus; & statim in assumpto quodam baculo ibi præparato, in modum equitantis ascendens extra fenestram deportata est, & à me nequaquam ex tunc ibi visa. quumque ipsa quoque de lecto surgens, meum, vt mater fecerat, perunxissem corpus, extra fenestram educta, statim in hunc locum deportata sum, vbi matrem puero in hoc lecto decumbenti insidiantem vidi. ex quo ego territa, quum matrem quoque ob meum aduen-

Puella Venetias Bergomo trãsportata.

tam conturbatam vidissem & comminantem, nomen Domini IESV & Beatæ Virginis inuocaui, & extunc matrem non vidi, & ego heic nuda solaque remansi. His auditis è puella, scripsit omnia hæc adfinis ille narrantis Patri inquisitori Bergomensi, à quo capta mulier & tormentis subiecta, cuncta confessa est, & addidit, se à dæmone plus quam quinquagies deportatam, vt puerum illum prædicti adfinis occideret, sed tamen præualuisse numquam, eo quod semper illum inuenerit signo crucis & sanctis orationibus à parentibus bene munitũ. Subdit & aliud, quod etiam exscribam. Quidam Antonius Leo carbonarius Ferrariæ habitator, de valle Tellina, narrauit mihi hoc anno, se in parria sua ab eo cui infra scripta contigerunt, cognouisse, quod quum suspectam haberet ille vxorem suam ex relatione multorum, quod iret ad cursum (hoc est, cõuentum sagarum, quando ipse nocte dormiret, finxit se quadam nocte profunde nimis dormire. Quod vbi percepit vxor surgens de lecto, inunxit se vnguento ex vasculo prius abscondito, & statim nusquam comparuit. stupens autem vir suus, & quadam curiositate ductus, de lecto surgens idem fecit quod vxor; & statim per caminum, vt sibi videbatur, per quem etiam sibi visum fuerat ascendisse vxorem, delatus, in quãdam cuiusdam nobilis Comitis cellam vinariam deportatus est: quo loci etiam vxorem suam cum alijs pluribus reperit. Eo autem viso, vxor eius statim cum alijs signo facto discessit, eodem viro suo in illo loco relicto. qui mane à famulis domus inuentus, & cum clamoribus quasi latro

Alia malefica historia.

captus

captus, & ante Comitem constitutus, accepto loquendi spacio cum rubore factum narrauit. Ex eo ab hoc accusata vxor illius apud inquisitorẽ, & tandem confessa, pœnam dedit suis dignam sceleribus. Non minus exploratum aliud Balduinus Ronsæus quod suis temporibus in Hollãdia acciderat, ita narrat. *Erat in pago Ostbrouco, non procul à Traiecto mulier vidua, cui seruus conuixerat, ad obeunda, vt res postulabat, munia domestica. Is quum iam sæpius, vt solent esse curiosuli serui, per transennam animaduertisset heram nocte intempesta, statim ac quieti se tradidissent domestici, quotidie in stabulum ad certum præfixumq́ locum venire, atque exporrectis manibus præsepi cõtiguum fœnile apprehendere: admiratus tandem ille quidnam hoc negocij esset, statuit & ipse inscia hera idem semel experiri, atque eamdem pertentare aleam. Igitur hera ex consuetudine ad solita veniente, atque sicuti videbatur, digressa, subsequitur & ipse, locum contemplatur, atque exemplo heræ fœnile complectitur. Ibi ille ex tempore in aera raptus defertur in oppidum VVick, in abditum & subterraneum specum, vbi cœtum maleficarum de maleficijs conferentem inter sese reperit. Hera cũ suis inopinam famuli sui præsentiam admirata, rogat quo astu aut qua tandem ratione momento temporis illuc appulisset. Respondet ille ordine, vt res trãsacta esset. Tum illa indignari primum atque excãdescere cœpit, veritane nocturni atque clandestini illi conuentus hac ratione tandem eliminarentur. Cum consortibus igitur deliberandum censuit, quid*

Ronsæ. epi. Medic. 50.

in ambiguo hoc negocio faciendum suadeant. Conuenit tandem inter eas vt amice exciperetur, silentium stipularentur, atque arcana hæc, quæ illi præter meritum atque opinionem videre cõtigisset, nulli communicaturum se aut reuelaturum, sancte deieraret. Ille interim quiduis pollicetur, abblanditur, & vt mitius agant, simulat se omnibus votis hoc vnum petere, vt cum illarum gratia liceat posthac sortilegarum interesse collegio. Interim dum consultatur, labitur hora, & iam abeundi tempus instat. In dubium iterum, instigante hera, iam vertitur, remittendusne domum sit totius cœtus periculo, an bono publico enecandus. Communi tandem omnium consensu mitior placuit sententia, quæ iuramento adactum domum deferendum decerneret. Suscipit eam prouinciam hera, atq; fide data in humeros receptum, domum delaturam pollicetur. accinguntur operi, atque euro ocyus per aera feruntur. Sed ecce, emensis iam bonam partem itineris, conspicuum sese dedit lacus arundineto obsitus. Ibi malefica illa anus occasionem nacta, verita ne iuuenis pœnitentia ductus, quod furialibus istis ferijs, quemadmodum simulabat, initiatus esset, visa tandem eliminaret, prouolans à se disiecit adolescentem, sperans, vt suspicio est, eumdem partim casus violetia enectum, partim lacus ipsius altitudine absorptum iri. Verum, vt est Deus misericors prorsus, non volens mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, vesanæ illius menti metas constituit, neq; passus est iuuenem insontem submergi, sed aliquãto

æquio-

æquiori conditione permisit, vt in hunc vsque diem vita protraheretur, dum forte fortuna in arundinetum decidens, lethalem plagam ex casu non accepit, violentia impetuque casus per arundinetum quodammodo refractis. interim miser, qui solius iam linguæ ministerio iam vtebatur, dum illucesceret, mille distorquebatur cruciatibus, ac suspiria trahens tantisper ingemiscebat, dum prætereuntes insolita lamentatione attoniti, facta indagine compererunt hominē prorsus elumbe, & cui vtraque excidisset coxa. Rogant vnde sit, quomodo eò calamimitatis deuenerit. narrat ille ordine singula, defertur tandem curru Vltraiectum. Ibi nobilis vir Ioannes Culemburg. vrbis prætor, rei nouitate quodammodo perculsus, admirabundus singula perquirit, atque indagine facta fascinatricem heram comprehendi iubet, vinculisque constringi. Illa simul ac in manus præfecti venisset, nihil negare, singula fateri &c. In Germania inferiore nobilis quidam centurio magnæ apud omnes ob singularem fortitudinem existimationis, dum nocte quadam paucis famulis comitatus syluam transit, multos equites obuiam venientes vidit, qui omnes taciti sunt præteruecti: tandem ex vltimo agmine aliquis, coqui paucos ante dies mortui formam præferens, prope herum consistit, equo insidens, & alium manu ducens. Rogat centurio ecquis esset: num coquus ille? Annuentem vlterius rogat, ecqui domini illi essent qui præterequitârint: quo ipse tenderet, & quid sibi equus desultorius quem manu ducebat, vellet. Respon-

Mira spectri historia.

det coquus, omnes hos milites esse, editis singulorum nominibus; in terram sanctam iter habere; equum vero si vnà Hierosolymas proficisci vellet, vsui ipsius paratum. Non ingratum sibi fore centurio ait, si tam graue iter conficere, & eorum locorum aspectu, tot votis sibi expetito, frui daretur. Statim ergo conscenso equo Hierosolymas auectus, sequenti vero die in eumdem locum, vbi eum famuli expectantes manserant, fuit reportatus. Idem coquus, vel dæmon in forma coqui eidem centurioni mappulam salamandræ, vt dicebat, sanguine vel succo tinctam, & cultellum vagina inclusum, in grati animi signum dono dedit, monuitque vt sttophiolum inquinatum igne perpurgaret, cultellum vero, cuius, vtpote veneno infecti, omnes ictus lethales essent, bene custodiret. Neque vero corporum ista tam velox translatio impossibilis videbitur ei qui spirituum & corporum etiam cœlestium summam celeritatem habeat exploratam: quorum illi quasi vno temporis momento vniuersum hunc orbem circumire & lustrare possunt, hæc vero ab intelligentijs tanta velocitate torquentur, quæ omnem plane captum humani ingenij fidemque superet. Quapropter magi, Deo permittente, celerrime de rebus quæ toto orbe contingunt, à dæmonibus edocentur: cuius rei multa passim conscripta sunt exempla. Quo tempore Antonius contra Domitianum Imperatorem in Germania bellum gessit, dæmonum opera mors Antonij eodē die quo mortuus est Romæ diuulgata fuit; quamuis locus ille vbi prœlium est commissum, mille & quinge-

Spirituum velocitas.

cis fere miliaribus à Roma absit. Scribit Cedrenus, Adrianum Patricium à Basilio Imperatore ad bellum contra Carthaginenses missum, quum adhuc in Peloponneso cum classis parte hęreret, dæmonum auxilio Syracusas captas esse & igne vastatas, cognouisse. Bello inter Locrenses & Crotoniatas duo Spiritus sub forma iuuenum cādido vestitu amictorum apparuerant, qui victoria à Locrensibus obtenta, disparuerunt; ac confestim eodem momento illi ijdem Athenis & Corinthi visi sunt, victoriæ nuncium perferentes: quamuis vtraque harum vrbium Locris & Crotone circiter quinquaginta leucis absit. Paullus Diaconus & Nicephorus memoriæ prodiderunt à Calligrapho quodam Alexandrino media nocte domum repetente voces statuarum è metallis factarū auditas esse, clamantium Mauritium Imperatorem cum liberis Constantinopoli crudeliter trucidari: idque Calligraphum statim alijs quibusdam indicasse. Nouem post dies nuncium Constantinopoli allatum de prædicti Imperatoris nece, ea ipsa hora illata qua statuæ loqui auditæ sunt. Pertharis Longobardorum regis filius, qui à Grimaldo regno fuerat exactus, in Angliam nauigans à Spiritu eiusmodi alta voce monitus fuit vt domum reuerteretur, quod Grimaldus sanguine è brachio extracto, mortem obijsset. Reuersus adolescens, post tres menses paternum regnum recuperauit. Zonaras & Cedrenus affirmant eodem die quo Cōstantinus Imperator ab Andrea in balneum vna cum Imperatore iturum se simulante, Syracusis interfectus fuit, mortem eius à Spiritibus, voci-

Cedrenus. *Fulgosus.* *Paullus Diaconus.* *Nicephor.* *Platina in Dono.* *Zonaras.*

bus per aerem ita claro & distincto sono, vt ab omnibus intelligi possent, iactis, Romæ fuisse diuulgatam. Xiphilinus & Fulgosus tradunt, olim Apollonium illum Tyaneum Ephesi in publica schola cum philosophis disputantem, subito obmutuisse, & defixo in terram obtutu, immotum aliquamdiu perstitisse, non secus ac solent illi quorum mens deliquium passa nõnumquam ab ipsis discedere videtur: tandem vero ex improuiso in hæc verba erupisse: Stephanus hominem iniustum ferit. vbi ad se penitus redijsset, eis qui aderant aperuisse, ea ipsa hora Domitianum Imperatorem à Stephano quodã occisum: idque postea ita compertum. Quis alius hæc atque talia quam Spiritus reuelauit? Olaus Magnus in Gothica historia scribit Gouarum Noruegiæ regem de eo quod nonnulli in Saxonia cõtra ipsum machinabantur, mature fuisse admonitum, quamuis ab eo loco vltra quingenta miliaria abesset. Multa alia exempla corradere vndique liceret: sed hæc ad id quod volumus demonstrandum satis sunt. nunc alias Spirituum vires inspiciamus.

Xiphilinus in Domit. Fulgos. lib. cap. 6.

Olaus lib. 3. cap. 16.

Dæmones nullam in cœlos & stellas habere potestatem. de sex Spirituum generibus; & primum de ijs qui Ignei dicuntur, additis aliquot exemplis.

CAPVT V.

Spiritus an in cœlos aliquid poßint



NEC in cœlos, nec in stellas vllam habent mali Spiritus potestatem. Quum enim ob superbiam & impios conatus æter-

æternis pœnis addicti ſint: in cœlis equidem cõmorari, aut quidquam ibi efficere non poſſunt, quum cœleſtia corpora ſimplicia ſint, omniſque alterationis expertia. Quare in mundum hunc elementarem magis vilem & continuis paſſionibus ſubiectum præcipitati ſunt. Opinioni huic D. Auguſtinus adſtipulatur, in libro contra Manichæos, & in alio De agone Chriſti ſic ſcribens: *Hoc dixi ne quis exiſtimet ibi habitare mala dæmonia, vb Solem, & Lunam & ſtellas Deus ordinauit.* Subiungit mox: *Non ergo arbitremur in ſummo cœlo habitare diabolum cum Angelis ſuis, vnde lapſum eſſe credimus.* Sunt ergo in mũdum hunc elementarem mali Spiritus tamquam in carcerem detruſi, vt ad diem vſque iudicij in eo crucientur; poſt quem diem in æternum illum ignem conijcientur, vt Petrus innuit, dicens: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferi detrudens, tradidit in iudicio puniendos ſeruari.* Quapropter dæmonum vires vltra quatuor elementa ſe non extendunt, nec ad ſuperiores cœlos perueniunt. Vana ergo ſunt & ſuperſtitioſa quæ nonnulli magis adſcribunt, poſſe videlicet eos ſiderum motum ſiſtere, curſus retroagere, ſtellas cœlo deripere, ſolem & lunam obſcurare: & quæ talia de ſe ipſa magice gloriatur. vt illa apud Virgilium:

Auguſtinus.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam:
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Eclo ga. 8.

Et rurſus:

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena

Ipsa dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulcris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Et alibi incantatricem ità describit:

Æneid. 4.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes
Quas velit, ast alijs duras immittere curas:
Sistere aquam fluuijs, & vertere sidera retro;
Nocturnosque ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terrã, & descendere montibus ornos.

Ouidius similia fere tradit, inquiens:

libr. 14. Metamor.

Concipit illa preces, & verba precantia dixit,
Ignotosque Deos ignoto carmine adorat,
Quo solet & niueæ vultum confundere lunæ,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes,
Tunc quoque cantato densatur carmine cœlum,
Et nebulas exhalat humus, &c.

Et de Medea Circes nepte idem:

Epistol. Hypsiph.

Illa reluctantem cursu deducere lunam,
Nititur, & tenebris abdere solis equos.
Illa refrenat aquas, obliquaque fulmina sistit:
Illa loco syluas viuaque saxa mouet:
Per tumulos errat sparsis discincta capillis,
Certaque de tepidis colligit ossa rogis:
Deuouet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in iecur vrget acus.

Tibullus de saga venefica:

Lib. 1. eleg. 2.

Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi, &c.

Et lyræ Latinæ princeps de sagis tribus famosissimis, de Folia:

Qua

Quæ sidera excantata voce Thessala
Lunamque cœlo deripit.

Et ibidem Canidia sic canit:

Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum:
Priusque cœlum sidet inferius mari
Tellure porrecta super, &c.

Et post eadem:

Quæ mouere cereas imagines
Vt ipse nosti curiosus, & polo
Deripere lunam vocibus possum meis,
Possum crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum.

Tam multa, tam magna, inquit Delrius, sibi hæc vanitas vindicat: quædam falso, quædam vere. Falso quidem illa quibus Naturę ordo perturbatur, in quem nihil immundis spiritibus iuris. Ad bonos vero Angelos quod attinet; possunt illi manum in cœlorum, solis & lunæ cursum, atque isthæc talia immittere: quemadmodum Deus Iosuæ precibus motus per Angelum, vti credibile est, solis cursum integrum per diem quasi sufflaminauit & stitit, vt hostes populi Israelitici tanto facilius delerentur. Sic quoque quum Dominus noster & Seruator Iesus Christus cruce affixus penderet, sol atque luna obscurata leguntur; Angelo scilicet miraculose operante, & luctum quasi ob filij Dei mortem, creaturis indicente. Simile est quod tempore Ogygij regis accidisse Augustinus memorat, qui Veneris stellam ceteris fere omnibus lucidiorem, non colorem tantum, figuram & magnitudinem, tenui, obscura &

Iosue 10.

ia & caliginosa luce vix conspiciendam, verum etiam cursum mutasse scribit. Marcus quidem Varro, Adrastus Cyzicenus & Dion mathematicarum artium peritissimi, numquam ante nec postea quoque tale euenisse produnt. Etsi vero dæmones, vti diximus, in superiora illa corpora cœlestia nullam habent potestatem, neque etiam Naturæ legem præter vnum qui fixit quisquã refigere potest: magna tamen eorum in hæc inferiora vis est ac potentia, sic vt diabolus à Christo D N. Mundi huius princeps dicatur; à Iobo vero potentia Luciferi in terra hac supra omnes creaturarum vires extollatur. Sunt ergo quatuor hæc elementorum loca spiritibus malignis plena: quos Marcus apud Psellum diuidit in sex genera; dæmones scilicet æthereos siue igneos, aereos, aqueos, terrestres, & subterraneos siue lucifugos. Primum quidem genus appellatur igneum, quod circa superiorem peruagatur aerem, qui ignis sphæræ proximus est, immo in ipso igne demoratur. His nonnulli diuersas illas quæ in aere conspiciuntur impressiones atque ostenta adscribunt: quorum ingens numerus tam antiquis quam recentibus monumentis est consignatus. Darij Persarum regis tempore saxum ignitũ in flumen AEgonem cœlitus est delapsum. Iulianus Imperator pridie quam occideretur à Persis, quum nocte surrexisset ad sacrificium, ignem è cœlo descendere vidit. Quando Ioannes XXII. Papa Ludouicum Bauarum Imperatorem excommunicauit, eo quod Petrum Corbariensem Antipapam ipsi opposuisset, tres cœlo lunę & ingens stella crinita apparuerunt, quarum hæc cõtinuos

Dæmonũ genera.

Ignis cœlo delapsus.

Tres lunæ.

Cometa.

tinuos tres menses fulsit. Anno MDXIV. toto Mundo armis perstrepente, spirituum horum opera tres soles terræ ostensi sunt, iuxtaque singulos gladius sanguine veluti tinctus. Rotulæ in Germaniç ad syluam Hercyniam oppido bis tres lunæ visæ sunt, sol vero adspectu valde terribili, circulis siue halonibus diuersi coloris cinctus. *Tres soles.* Viennæ in Austria cum Iride trabs ignea magnitudine admirabili conspecta est. Paulli Iouij ætate cometes per quadraginta dies tristi luce fulsit, *Trabs ignea.* eo ipso tempore quo Ioannes Franciscus Picus in omni scientiarum genere versatissimus nefarie occisus, & insignis illa bibliotheca à Ioanne *Ignea aliquot prodigia.* Pico Mirandulano, qui ob raram eruditionem doctorum Phœnix appellatur, incredibili labore & sumtu congesta, flammis est absumta. Anno MXII. quo Hierosolymarum vrbs ab infidelibus capta fuit, luna tota sanguinolenta apparuit; deinde flamma turris ardentis similitudine cœlo decidit: magno cum vniuersæ Græciæ atque etiam Italiæ terrore. Idem Constantinopoli Anno DCLIV. accidisse Paullus Diaconus memorat, ciuitate cineris atque igni cœlestis vi pæne oppressa. Anno MCCCL. Spirituum hoc genus ventos ita inflammauit, vt ædes passim & villæ integræ quacumque illi flabant, igne concepto cremarentur: deinde in aere trabs ignita incredibili magnitudine apparuit, ac tandem in terram est delapsa. Similiter Anno MCCCLIII. inter Austrum & occasum cœlestis flamma conspiciendam se præbuit, quæ maiorem in modum se dilatans, & horribile monstrans incendium, tandem & ipsa in terram decidit. Anno MCCCCXLVII.

Augusti

Augusti die XXVII. Spiritus hi ignei solis lumen mortalium oculis ita eripuerunt, vt in Gallijs, Germania, Anglia & Vngaria passim medio die densissimæ essent tenebræ, ac non modo alter alterum non videret, sed omnes extremum Mundi diem in foribus esse suspicarentur. Anno MCCCCLXXI. circa festum Agnetis horribilis cometa igneo colore rutilans, sed cauda prolixa admodum & nigricante, mortalibus terrori fuit. Mouebatur aliquando versus occidentem, principium sumens à signo Libræ; inde ad septétriones deflectens, vniuersum fere Zodiacum peragrauit, donec post octogesimum tandem diem euanuit. Memorabile imprimis illud est prodigium quod Anno MCCLXII. factum est. eo enim ipso die quo Vrbanus IV. Pontifex ægrotare cœpit, cometes apparuit, qui tres menses durauit, post quos eodem iterum die quo prædictus Pontifex, est extinctus. Referunt Hispani in Brasilia visum cometen mense Iulio, qui decé diebus tam interdiu quam noctu radijs emicuerit. Ait Cardanus igneos hos Spiritus nũquam impune apparere, sed clades semper & maxima mala prænũciare. Quare scribit sibi Anno MDLVI cometen visum, æqualem fere Lunæ dimidiatæ, cum crinibus non longis, nec constantibus, sed velut in incendio rutilantibus, quales sunt tedarum flammæ ventilatæ. Fuscum fuisse, rubentem ac turbidum. Quinto die Martij iuxta medium Libræ incessisse, tum quum primum fuerit conspectus: nono vero in ipso Mundi polo. Tum vero assidue pluisse, & quum desijt pluuia, non apparuisse. A fine Martij subsequutam esse perpetu-

am se-

am serenitatem vsque ad XXVII. Aprilis, & tantos calores vt mense Iulio vix vmquam sint maiores. Ab igneis his spiritibus antiqui fulgurum ac fulminũ sumserunt obseruationem, cuius exquisitã diligentiam Plinius eò processisse dicit, vt etiam numerum dierum Hetrusci prædicerent. cuius quidem superstitionis hoc apud eos est exemplũ. Antequam mortem Augustus obiret, decidens fulmen è nomine CAESAR primam litteram sustulit, vt AESAR tantum relictum sit. Aruspices consulti, intra centum dies Augustum moriturum prædixerunt. Hetrusca enim lingua AESAR Deum significabat: C. autem apud Romanos centum. Centesimo die deum dici debere Cæsarem, quod nulli viuentium conuenire poterat, argumentum clarissimum fuit eum illa die interiturum. Idem Cardanus affirmat arcem Mediolanensem XXVIII. Iunij Anno MDXXI. de cœlo tactam fuisse, tanta vi vt centum & tredecim homines in ea perierint, portarum vectes maximi aut fracti aut flexi, homines etiam quingentis passibus distantes in terram prostrati sint, locus denique vniuersus mirum in modum deformatus. Paullo post, mense scilicet Octobri proximo Gallos pulsos fuisse. Idem aliam de spectris eiusmodi igneis mirabilem narrat historiam; quam ipsius verbis recitabo. *Redibat*, inquit, *amicus quidam meus fide dignus Mediolano Gallaratum, & erat iam nox, sed cœlum atrum obscuriores tenebras faciebat, pluebatq; leniter, & ipse è regione oppidi alterius Busti quatuor milia passuũ aberat adhuc Galla-*

Diuinatio è fulmine.

Spectrum igneum.

Gallarato : quum visus est sensim videre splendorem vocesque bubulcorum à sinistro latere increbescere: ac breui quum seps intermedia esset, iam videt currum totum flamma contectum. vox bubulcorum erat, Caue, Caue quo ostento. territus calcaria equo addit, sed seu curreret, seu citato pede progrederetur, semper illi è regione currus obuersari videbatur, ipse vero quum interim supplicationes ad Deū recitaret, tandem post horæ ferme spacium peruenit ad ecclesiam seu sacram ædem B Laurentij, quæ extra portam oppidi est, atq; ibi sub terra omnia mergi visa sunt, currus, boues, bubulci, flamma. Hęc Cardanus: qui vbi de natura huius ignis aliquid disputauit, addit, Gallaratenses non solum pestem, sed multa alia mala eo anno perpessos. Oppidum est in Heluetia (è docti viri epistolis narrationem adscribo) nomine Schiltach, quod IV. idus Aprilis Anno MDXXXIII. totum subito conflagrauit, eiusque incendij caussam, quantum illius loci municipes apud Friburgi magistratum (quæ vrbs illinc abest octo miliaribus Germanicis) renunciauerunt, talem fuisse rumor est. Dæmon sibilo signum dedit è quadam ædium parte. Caupo suspicans esse furem, ascendit, neminem reperit. mox signum rursus ex alto cœnaculo redditum est. & hunc locum conscendit caupo, furem persequens. Quum nec illic quidquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarij. illico tetigit cauponis animum, esse dæmoniacum quiddam. iubet suos esse præsenti animo. accersiti sunt sacerdotes duo: adhibitus exorcismus. respondit se esse dæmonem. rogatus quid illic ageret, ait se velle eruere oppidum. Minitantibus sacrificis

Schiltachi oppidi incendium.

crificis

erificis respondit, se pro nihilo ducere minas illorum, quod alter esset scortator, vterque fur. aliquanto post mulierculā, quicum habuerat cōsuetudinem annis quatuordecim, quum interim illa quotannis confiteretur, & acciperet eucharistiā, sustulit in aerem imposuitque fumarij fastigio: tradidit ollā, iussit vt inuerteret; inuertit: & intra horā totum oppidum combustum est. Aliud non minus rei nouitate admirabile Anno MDXXXVI. die Martis XXI. in Sicilia contigisse fertur. Non procul ab oppido Taurominitano mercatori Siculo iter facienti decem, fabrorum habitu occurrerunt, ac paullo post alij decem; tandem vero vnus Vulcano similis. Rogati à mercatore quo tenderent, responderunt, AEtnam versus, ad fabrilem officinam. heic mercator, mirum sibi videri quomodo eo in monte quidquam fabricari possint, qui altissima niue esset obtectus. respondens Vulcanus, Ignotæ tibi, inquit, meæ sunt vires, quas non multo post cū alijs experieris: simul cum dicto euanuit: vnde mercator totus horrore rigescens ægre in proximam domum correpsit, & sequenti die letho concessit. Sub vesperam Aetna mons tanto cum fragore moueri, ac cinerem & flammas euomere cœpit, vt Taurominitani vltimum Mundo finem instare rati, latibula vndique quærerent, nec vllum satis tutum inuenirent: tandem vero indictis ad D. Agathæ supplicationibus, fusisque ad Deum precibus, tempestas præter omnem exspectationem cito conquieuit. Ex hoc spirituum genere esse videntur qui circa sepulcra, bustuaria, patibula, & paludes nonnumquam

Spiritus ignei in forma fabrū.

quam apparent. Ignes fatuos Latini vocãt, quod sulphureo sint colore per aerem volantes faculæ: Galli *des Aduis*, Germani, Stalliechter oder Feldliechtlein. Mizaldus Ambulones appellat, quod præcedere aut subsequi viatorem vnaque ambulare videantur: item capras saltantes, quod instar caprarum ante homines vel equos saliant, sæpe etiam auribus equorum insideant. Ignes hi fatui siue ambulones noxij admodum sunt & insidiosi, adeo vt vel solo sibilo prouocati hominem persequantur, & nonnumquam etiam occidant. Etenim experientia compertum est, sæpe spectra eiusmodi per fenestram à prospicientibus visa, & sibilo vel fistulando prouocata, continuo aduolasse, sic vt nisi quamprimum fenestræ fuissent clausæ, homines illos male accepturа viderentur. Ijdem ignes viatores in stagnorum fluuiorumque voragines & præcipitia pelliciunt. Qui tutos se ab his seruare volunt, Dei nomẽ alta voce inuocent, & prona facie prostrati, diuinam opem implorent. neque enim tum cuiquam possunt nocere, sed precum vi abacti quam longissime aufugiunt. Interdum etiam ijdem ignes fatui aut capræ saltantes non aliter quam tedæ piceæ ardentes aqua adspersæ crepitant, & inconditos quosdam sonos emittunt humanis vocibus non absimiles: vnde quibusdam persuasum est animas defunctorum his ignibus circumdatas expurgari. Talis etiam albus ille ignis, qui post tempestatem nautis apparet super malum nauiumque armamenta sidens. si vnicus sit, Helena à nautis dicitur, infaustique ominis creditur; sin geminus, Dioscuri olim, siue

Ignei spiritus malefici.

Castor & Pollux.

Castor

Castor & Pollux, nunc S. Elmus vocatur, & pro bono augurio habetur. Ab hoc ſpirituũ genere illud ſuperſtitioſę diuinationis gen', quod ὀνυμαντείαν ſiue ὀνυχομαντείαν veteres appellarũt, ſdeſcendiſſe videtur In hoc oleo ac fuligine impolluti pueri vnguem illinebant, & vngue ſolem verſus obuerſo, certum quid ſubmurmurantes, videbant quæ cupierant. Scribit Delrius, Queuedum quemdam veteranum militem Hiſpanum ſe nouiſſe, qui quo tempore Dux Medinæ Cœli ex Gallæcia ſoluebat, Belgium petens, Bruxellis non vni in vngue ſuo claſſem è portu Corunnæ ſoluentem, & paullo poſt procellis vehementer afflictam, velut in ſpeculo clare oſtenderit. Huc alia quoque ſuperſtitio referenda videtur, quam πυρομαντείαν ſiue πυροσκοπίαν veteres dixere. In hac aliquãdo pix trita in ignẽ ſpargebatur, horũ dęmonũ inuocatis nominibus: aliquãdo tedæ pice illitæ accendebantur, & certis characteribus ſignabantur. ſi flamma tedarum in vnum coibat, proſperum; ſi lambens & diuiſa comparebat, infelicem; ſi tricuſpis aſſurgebat, glorioſum euentum; ſi variè diſperſa, in ægro mortem, in ſano morbum; ſi crepitans, infortunium; ſi ſubito extincta, ingens periculum ominabantur. Aliquando hoſtiam in ignem conijciebant, & dumtaxat conſiderabatur flamma ignis victimarij, vtrum in vnam coiret pyramidem, quod proſperum; an vero diuideretur, quod aduerſum: quis ignis color, ſplendor, aſcenſus, ſtrepitus; an cito victimam comprehenderet, an extingueretur, & ſimilia. vti hodie magiæ hac ſpecie Lituanos ferunt. nam ægris ſi vmbra, corpore igni oppoſito,

Onychomantia.

Mart. Delri. Diſq. mag. lib. 4. ca. 2. q. 6.

Pyromantia.

Lituani magiæ dediti.

oppoſito, aduerſa cadat, certam ſpem recuperandæ valitudinis concipiunt; ſin aduerſa ceciderit, conclamant, & pro depoſito ægrum habent. Glycas docet magos olim igneis his ſpiritibus filios ſuos ſacrificaſſe. Ioſephus tradit Achazum quemdam ſuorum filiorum Baali ſolido ſacrificio concremaſſe. Theodoretus aliter ſentiens, *Arbitror*, inquit, *his verbis ſignificari ſpeciem quandam erroris, qui ad noſtra vſque tempora durauit. Videmus enim ſemel in anno rogos accendi, quibus initiantur pueri quidam & viri. Quinetiam infantes ab ipſis matribus per flammam transportantur: quæ res videtur eſſe quaſi quadam auerruncatio & luſtratio.* Hæc ex Theodoreto Glycas. Eſt etiam quæ huc quoque pertinere videtur χαπνομάντεια fumi obſeruatrix: eaque duplex. nam vel grana ſeſami vel papaueris nigri in ardentes prunas iaciebant, & inde ſurgentem fumum notabant: vel ſine huiuſmodi granis ſolum obſeruabant ſacrificij fumum, & interdum fumum rogi. Vſos etiam Capnomantia Iudæos, & conſideraſſe an fumus qui ex victimarum ſacrificio aſcēdebat, rectus aſcēderet, an in obliquum vergeret, Theophylactus docet. Pictorius quoq; lib. De Magia ca. XI. quoſdam Papinij verſus huc retulit. Non alia forte ſpecies, ſed genus quoddam ipſius Capnomantiæ Thurifumia fuit; illa in qua ex fumo thuris adoliti diuinabāt. Libanomantiæ huic nomen: quam tamen longe aliam Delrius putat. Eam proponit Dion Caſsius agens de Nymphæo prope Apolloniam: *ibi & oraculū*, inquit, *editur, idque hoc modo. Thure accepto, precibuſq; eius rei ergo quam volunt factis, ipſum thus, vt ſe-*

Glycas p. 2. Annal.

Capnomātia.

Theophyl. in Oſe c. 4.

Turifumia

Libanomantia.

vt secum eas preces deferat, ad ignem proiiciunt: tum si ratum sit futurum votum, ab igni thus è vestigio corripitur: at si thus extra ignem forte ceciderit, accurrens ignis id abripit & consumit: sin irritum erit votum, neque accipitur ab igni thus. & si in ipsam flammam conijciatur, recedit ab ea atque effugit. ita in vtramque partem ignis futura prædicit, morte nuptijsque exceptis. de his enim non licet cuiquam oraculum illud consulere.

De spiritibus aereis, eorumque prodigijs: vbi multa exempla.

CAPVT VI.



AEREI spiritus inde dicuntur, quod in aere nobis propinquo commorantur, superbi, audaces, inuidi, ambitiosi. Hi subtile aeris & leue elementum sæpius permittente Deo, perturbant, tonitrua & tempestates concitant, aliaque quibus homini ceterisque rebus ad commodum eius creatis nocere se posse putant, immittunt; prodigijs etiam varijsque portentis hominum genus perterrefacere voluptati habent. S. Ambrosij tempore apud Atrebates lana cœlo delapsa est. Anno DCCCCXXXI. partę salutis in Gallia species duorum exercituum in aere concurrentium visa est. Hugone Capeto idem regnũ armis sibi vindicante, aer piscibus & frumentorum granis pluit. Sansouinus scribit ingentem aliquando coruorum & cornicum (Spiritus hos fuisse

Spirituum aereorum effecta.

Lana pluuia.

Pisces pluuij.

fuisse non inepte quis forte crediderit) circumuolitantium multitudinem ingentem terrorem tam viris quam mulieribus passim incussisse. Ensshæmi in Alsatiæ oppido, ingens saxum è sereno aere decidit. In Germania Anno MDXXXVIII. ad Monasterium Vestphaliæ vrbem tribus continuis diebus sanguine pluit. Philostratus scribit Apollonium apud Brachmanas duo dolia vidisse, quibus apertis, imbres & venti erumpebant, clausis, serenitas & tranquillitas aeris redibat. Sopater quoque philosophus, si Eunapio & Suidæ credimus, affectus vltimo supplicio fuit, quod accusaretur carmine magico vẽtos vinxisse ne annona Byzantium inueheretur. In sacris quoque historijs Satanas facit ignem de cœlo decidere, & absumere seruos ac pecua Iobi; excitat ventũ vehementem, qui filios ac filias conuiuantes ruina oppressit. Grandinem qua Aegyptij puniti, expresse sacra scriptura dicit per malos angelos immissam. In Apocalypsi offerunt se quatuor angeli stantes super terræ angulos, ventorum flatus impedituri, & sic damna viuentibus illaturi maxima. A magis horum spirituum ope vẽtos compressos & tempestates sedatas tempore Xerxis, testis est Herodotus. De Finnis & Lapponibus affirmat Olaus, olim ventos venales mercatoribus exhibuisse, tres nodos magica arte sacratos offerentes, quorum primo soluto placidos ventos, secundo vehementiores, tertio vehementissimos sint habituri. Remigius historiam refert, quæ apud Delrium itidem est descripta. In ditione Treuirensi rusticus fuit qui cum filia sua octẽni caules plantabat in horto. pater forte filiam collau-

Saxum cœlo delapsũ.

Dolia mira.

Iob.1.

Exod 99.

Apoc.7.

Finni & Lappones magi

Olaus lib. 3.cap.6.

collaudat, quod scite munus hoc obiret. illa sexu garrula & ætate imprudens, se nosse alia facere, magis stupenda, iactat. pater quid id foret sciscitatur. secede paululum, inquit, & in quam voles horti partem subitum imbrem dabo. miratus ille, age secedam ait. eo digresso, puella scrobem fodit: in eam aquam suam fundit, eamque bacillo turbat, nescio quid submurmurans. Ecce tibi heic subito pluuiam de nubibus in condictũ locum. Marcus Venetus scribit tantam esse Tartarorum cum his dæmonibus aereis familiaritatem, vt quoties & quandocumque velint aerem crassissima caligine obducant; idque frequenter eos facere vt viatores deprędentur, quod quidem ipse, ægre è manibus eorum delapsus, expertus sit. In Concilio Basiliensi doctis quibusdam viris per syluam iter vna facientibus, horum spirituũ vnus in forma luscinię liquidissimos cantus fundebat, ita vt omnes obstupefacti consisterent. tãdem vnus eorum auiculam in Iesu Christi nomine adiurauit, vt quis esset, aperiret. illa respondit, animam se esse damnati alicuius, atque ibi loci ad diem vsque extremi illius iudicij sibi manendum. quo dicto, horribili edito stridore auolauit: qui vero eam audierant, in morbum inde, ac paullo post in mortem inciderunt. Fincelius lib. I. De miraculis, refert, Brunsuici Anno MDLV. multos eiusmodi spiritus equitum cataphractorum habitu plurimis omnibus eius loci incolis palam esse conspectos. Sub Traiano Imperatore vnus horum spirituum Cornicis formam gerens, Græca hæc verba prolocutus est: ἔςαι πάντα καλῶς, id est, omnia bene se habebunt.

Puella pluuiam excitat.

Tartari tempestates cient.

Spiritus in forma lusciniæ.

Spectra armatarum.

Cornix loquuta.

bunt. Erfordiensis quidam ciuis Coruum in delicijs habuisse dicitur, quem spiritum eiusmodi fuisse, quod sequitur euincit. Quum enim quodam die tacitum & tristem videret, quid tu, inquit iocabundus, mi corue, ita mœstus es, quidve cogitas? heic ex improuiso coruus è psalmo LXXVI. versiculum illum ingeminat: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*: statimque ex oculis heri disparuit. In bello quod Romani cum Quadis gesserunt, Arnulphus magus horum spirituum ope tum quum maxime ferueret prœlium tantũ imbrẽ excitauit, vt attoniti Quadi terga verterint, & victoriã Romanis reliquerint. Pythagoras quas sanguine speculo inscripsit literas, in luna legẽdas exhibuisse fertur. Nicolaus Venetus in historia sua Indica testatur, nautam magum vel hariolum, cessante vento, spirituum horum aliquem, Mutianum ab eo appellatum, inuocasse. confestim eum in Arabem quemdam ingressum: Arabem furibundum vociferari, ac discurrere cœpisse; mox è mensa ad malum nauis eum in finem positos carbones arreptos deglutijsse, inde galli gallinacei iam iam occisi sanguine epoto, nautam quid peteret rogasse: nautam zephyros optasse. eos intra triduum spiraturos Arabem respondisse. Finita incantatione, & Arabe ad se reuerso, nec quidquam amplius eorum quæ ante triduum acciderant recordante, promissum ventum flare cœpisse, magna cum omnium admiratione. Pythagoras aquilam, vel potius talem spiritum carmine cicurauit, cum qua frequẽs colloquebatur. Ericus rex Gothorũ quocũque verteret pileũ, inde prosperũ ventum elicio-

& Coruus.

Arnolphus magus.

Pythagor.

Nauta incantator.

Pythagoras.

Ericus rex Sueciæ.

eliciebat. Simili arte signifer quidã Tartarorum memorabilẽ gentibus suis de Polonis victoriam cõciliauit, quam Cromerus describit his verbis: *Poloni Tartaros Anno Christi MCCXL. ad Legniciam commisso prœlio grauiter vrgebant, & fugientibus instabant. Erat in extremo Tartarorũ agmine inter alia signa vexillum insigne, cuius pictura X. litteræ figuram præseferebat; in cuspide vero figura erat tætra nigraq; capitis humani barbati. Id vexillum quum signifer vehementius quateret, fumum atque nebulam densissimam & fœdissimam exhalabat. Ea nebula non modo aspectum barbarorũ Polonis adimebat, verum etiam odore tætetrimo eos enecabat. Incantationibus id quibusdam Tartari effecerant, quibus iuxtaq; hariolationibus diuinationibusq; ceteris quum aliàs tum in bello plurimum vtuntur, ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare soliti. Barbari vbi Polonos trepidare senserunt, cohortati sese inuicem, impressionem in eos faciunt, perturbatisq; ordinibus magnam cædem ediderunt. Tantus eo prœlio interfectorũ Christianorum numerus fuit, vt singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisæ, nouẽ ingentes saccos explerint.* Ab his iisdem Spiritibus Cianitæ Indiæ populi pluuiam superstitioso & ridiculo ritu sic petunt, vt in epistolis Peruanis à Gaspare Spitillo collectis narratur. Quando pluuia indigẽt, magus quispiam magna vocis contentione & acceleratione clamat vt omnes ad montem concedant; quo postquam peruenerunt, vt quilibet consueto more à cibis abstineat. Est autem eo-

Cianitæ quomodo pluuias excitent.

rum hoc ieiunium, vt à sale, pipere, cibis coctis contineant: quod vbi factum est, voce intensa & clamore summo stellas inuocāt, aquamque precantur, & ad terras castellumque paganum sese vertunt, potionē quādā manibus tenent; quā vbi nobilis alicuius adolescentulæ manu porrectam ebiberint, ita à sensibus abducuntur mentisque impotes fiunt vt mortui videantur: sed vbi in se redierint, mel aqua & maizo miscent, quibus permistis nubes aspergunt. Die sequenti nobilem aliquem, aut conspicuum & venerandum quempiam senem in lectum deponunt, subiecto lento igne, atque vbi sudare cœperit, sudorem vase excipit magus, anserino sanguini admiscet, atq; ex radice expressæ aquæ, rursus in aera iactat, nubes vt tingat, rogat per sudorem, sanguinem & aquam, vt desideratam pluuiam largiantur. Quod si casu eo die quo superstitioni vacant pluat, gratias agunt stellis, magumque multis muneribus ornatum efferunt. Refert Hieronymus Mengus, magum quemdam suis præstigijs Ioanni Bentiuolo & Roberto Sanseuerinati celeberrimis militiæ ductoribus, in area arcis Bononiensis ingentis conflictus spectaculum exhibuisse, in quo & tympanorum strepitus, & clangor tubarum, & clamor virûm, & hinnitus equorum, & armorum fragor tantus sit exauditus, vt circumstantibus cœlum terræ misceri videretur: extra locum illum vero omnia pacata fuisse & tranquilla. Nec vero difficile hoc est dæmoni, aut sensibus illudēti, aut aerem varijs modis, prout voluerit, restringenti. In Lybia circa Syrtes, Diodoro Siculo teste, Spiritus

Conflictus imaginarius.

tus in aere varijs animalium figuris cernuntur. Mouere se alij, alij consistere, alij currere, alij aliud facere videntur. Illud vero permirum est, quod homines pone nonnumquam sequuntur, atque etiam insiliunt, ita vt membra quoque eorum quauis glacie frigidiora sentiantur. In regionibus septemtrionalibus, vt Olaus Magnus scriptum reliquit, Spiritus hi aerei vẽtum Circium ita exasperant & concitant, vt omnia secum abripiat, vel conquasset & euertat. In Islandia Insula, quæ Danorum regis hodie imperio paret, portus est Vestrabord nomine. non longe ab eo litore homines quidam à Spiritibus huiusmodi ventorum turbine inuoluti, ac per aerem instar palearum abrepti sunt. Ijdem Spiritus in partibus maritimis Noruegiæ occidentalioribus noxio suo contactu efficiunt, vt nullæ ibi arbores nec gramina germinent & virescant. Similiter in litore Bothniæ occidentali eorundem violentia domorum tecta abripiuntur, ac longe lateque hinc inde disijciuntur. Idem in agris Beneuentano & Narbonensi accidere Cato & Procopius scribunt, quibus in locis magnus est magorum & veneficarum numerus. nam & homines armatos, & currus quantumuis onustos, & obuia quæque in sublime rapi, & non secus quam plumam circumgyrari, ac tandem in terram cõfracta & comminuta deijci. Solent nonnumquam hi ijdem Spiritus turbinibus sese & procellis immiscere, & puluerem instar columnæ euehere. Et vt breuibus dicam, maxima profecto damna, ab hoc Spirituum genere hominibus inferuntur. nam & tecta, vti diximus, abripiunt, & do-

procellæ & tẽpestates.

& domos diruunt, & muros ac turres deijciunt, & arbores eruunt, & in quæcumque inciderint prosternunt. Vincentius ait à Spiritibus his non domos tantum & villas, ſed integras etiam vrbes è ſedibus ſuis ac fundamentis conuulſas, & ruinis ac fragmentis campos longe lateque conſperſos eſſe. Narrat Diodorus Siculus in Noruegiæ quadam regione (Vichiam appellat) Spiritus hos ex ingentibus piſcium vento ante locupletum ædes expoſitorum aceruis, magnum ſæpe numerum tollere, & ad pauperum caſas aſportare atque abijcere: neque hos repetendi cuiquam ius eſſe, quod hæc Dei voluntate, cui repugnare nefas, fieri arbitrentur. Zoroaſter, quem nonnulli primum magices auctorem faciunt, in turbine ab his Spiritibus aſportatus, neque vmquam poſtea viſus eſt. Ad hoc Spirituum genus pertinet illa ſuperſtitioſæ diuinationis ſpecies quam ἀηρομάντειαν vocant, quæ ex aere coniurato dabat oracula. Huius Ariſtophanes in *Nubibus* mētionē facere videtur. ſed iſta ſi tonitru fulmen, & alia ſimilia conſiderat, ad igneos ſpiritus; ſi oſcines, ad auguralem pertinet diſciplinam vel potius ſuperſtitionem; ſi aereorum ſpectrorum inſolita viſa, vt equitum, armorum, &c. ad τερατοσκοπίαν referenda eſt. Eſt etiam quędam ὀρνιθομάντεια ſortiaria, quam ita deſcribunt. in capſula abaculi forma conſtructa quaſdam ali auiculas: ad has venire qui conſilium quærunt, & obolum offerre: auiculam ſtipem accipere, inque capſulam inferre roſtro: deinde regredi, & reſponſum in chartula referre conſultori.

Æromantia.

Di

De Spiritibus Aquaticis; de Fatis siue Feis & fatalibus sororibus, Sibyllis & Nymphis albis, Dominabus bonis & nocturnis, alijsque: & eorum effectis.

CAPVT VI.



QVARTVM genus dæmonum nominatur aquaticum: suntque qui aquas conturbant, ex ijs crassos & pestiferos vapores emittũt, concitant tempestates, demergũt nauigia, homines, infantes præsertim in profundum trahunt, alijsque multis modis hominum generi insidiantur. hi nonnumquam, noctu præsertim, lacubus & fluuijs inambulantes cernuntur, aut ad fontes Nympharum & Sirenum specie nocturnis puellarum pudicitiæ insidiatoribus se ostentant. Itali *Fatas* vocant, Galli *Fees*, quæ nomina à *Parcarum* siue *fatalium sororum* appellatione non multum abludũt. Dicuntur item *Sibyllæ* seu *Nymphæ albæ, Dominæ nocturnæ, Dominæ Bonæ*, & earum *regina Habundia*: quarum aduentu multum prosperitatis & rerum omnium copiam putârunt superstitiosæ anus domibus contingere, quas frequẽtarint; & ideo domi suę illis epulas instruxere, escarijs lancibus & vasis vinarijs omnibus apertis ac discoopertis, ne quid illis ad sumendum moræ obijceretur: qualis præparati illis conuiuij in vita D. Germa-

Germani Episcopi mentio habetur. Scribit Plutarchus, & ex eo Sabellicus, Numam Pompilium, quum nihil domi obsoniorum haberet, præcipuis dignitate Romanis equitibus ad se inuitatis opiparæ cœnæ apparatum exhibuisse: hincque cum AEgeria Nympha (quæ si quid fuit, Spiritus eiusmodi fuit aquaticus) cõsuetudinem habere creditum esse. Idem Scottus Parmensis superioribus annis factitare solebat, cuius tamẽ conuiuia phantastica tantum siue imaginaria fuisse inde potest intelligi, quod ex epulis saturi, vt sibi videbantur, conuiuæ, mox vera fame cruciarentur. Talibus conuiuijs à Brachmanis Apollonium Tyaneum exceptũ Philostratus scribit, & talia sine dubio fuerunt Petri Abani, & Pasetis apud Suidam. Quod si quandoque ex veris cibis eiusmodi epulas strúunt dæmones; aut morticina sunt, mali gustus & odoris tætri: tum sal vt plurimum deest, & panis; raro permittente Deo vt suaues cibos apponant, ne gumijs hęc sit ad inescandum efficax illecebra. In septemtrionalibus vero oris Spirituum eiusmodi frequentes esse illusiones, Olaus Magnus testatur; apud quem inter ceteras hæc historia perscripta legitur. Hotherus rex Suetiæ & Daciæ, inter venandum errore ob densissimam nebulam ab ijs qui retia seruabant longissime auulsus, in quoddam syluestrium virginum conclaue incidit, à quibus proprio nomine salutatus, quænam essent perquirit. Illæ suis ductibus auspicijsque maxime bellorum fortunam gubernari testantur. sæpè enim se nemini conspicuas prœlijs interesse, clandestinisque subsidijs optatos amicis præ-

Numa Põpilij cœna.

Scottus Parmensis.

Conuiuia imaginaria

Olaus li. 3.

Hotherus Sueciæ rex Nymphas videt.

præbere ſucceſſus: quippe conciliare proſpera, aduerſa infligere poſſe pro libito memorabant, hortatæ eum ne Balderum arcano ſuperûm ſemine procreatum, armis laceſſeret. Quo accepto, Hotherus labentis hoſpitij tegmine defectus, ſub dio ſe relictum, totiusque expertem vmbraculi medijs repente campis expoſitum conſpicatur. præcipue tamen præpetem puellarum fugam, lociq; verſilem ſitum, & fallacem ædis imaginem mirabatur. Deinde aliquot euolutis annis, idem Hotherus acerrimis contritus bellis, extrema locorum deuia peruagatus, inſuetumq; mortalibus nemus emenſus, alium ignotis virginibus habitatum forte reperit ſpecum. Eaſdem eſſe conſtabat, quæ eum inſecabili veſte quondam donauerant. A quibus cur eo locorum venerit interrogatus, infauſtos belli declarat euentus. itaque fide earum damnata, geſtarum infeliciter rerum fortunam triſteſq; caſus deflere cœpit; ſecus ſibi ceſſiſſe queſtus, quam ab ipſis acceperat promiſſum. At nymphæ eum, quamquam raro victor exſtiterit, æquam tamen hoſtibus cladem intuliſſe dicebãt, nec minoris ſtragis auctorem fuiſſe quam complicem. ceterum adfuturam victoriam, ſi edulium augẽdis inimici viribus excogitatum præripere poſſet. Sic enim omnia ad votum & nutum proſpere ipſi ſucceſſura. Hoc modo dimiſſus, vires reparat, militiamq; conſcribit in hoſtem. cuius caſtra dum peruigil obſeruat, videt exceſſiſſe tres nymphas arcanæ dapis gerulas, quas curſim inſequens (nam earum fugam roſcida prodidere veſtigia) tãdem tecta quibus aſſue-

uerant.

uerant subit, citharæque, cuius peritissimus erat, dulcissimo ministerio accurati nitoris cingulum potentemque victoriæ zonam ab eis obtinuit; atque itinere quo venerat repetito, hostem obuium ilico lethifero vulnere fudit. Erant præterea, vt idem auctor affirmat, in aquilonaribus terris nonnulla templa Dianæ & Cereri consecrata, ædesque fatalium sororum absque humana ope prestigioso quodam artificio extructę, quas antiqui super futuris liberorum euentibus Parcarum oracula consulturi, nuncupatis solenniter votis precabundi accedere cõsueuerunt, vbi introspecto sacello, quandoque ternas, quandoque plures sedes totidem nymphis occupari cognouere: quarum aliæ liberalem pueris formam, vberemque humani fauoris copiam erogabant, aliæ vero liberalitatis aut aliarum virtutum excellentiam condonabant; demum aliæ proteruioris ingenij, reliquorum donis officere cupientes, futuris puerorum moribus auaritiæ, luxuriæ aut aliud vitium admiscebant. nec solum pueris, verum etiam ætate profectis, & quandoque regibus huiusmodi prestigiosarũ artium cõmentis impositum fuisse comperitur. Hactenus Olaus. Similis fere apud Hectorem Boethium exstat historia. Erant simul, inquit, Machabæus amitinus regis Scotiæ Duncani, & Bancko Stuart Forres vir strennuus, per syluas proficiscentes ad regem. heic obuiam tres habuere mulieres insolita facie, quarum vna inquit, Salue Machabæe Thane Giammis. Hoc nomen erat dignitatis quam nuper acceperat. Altera vero inquit: Salue Caldarie Thame. tertia vero: Salue Machabæe olim

Machabæi seu Macbethi, & Banckonis Stuart admirabilis historia.

lim rex future. Tum Bancko, Et vos, inquit, quæcumque estis, parum mihi propitiæ videmini, quæ huic præter opimos magistratus etiam regnum defertis, nec mihi quidquam. Ad ea quę prima fuerat, respondit: Immo tibi maiora quam huic nunciamus. nam hic quidem regnabit; verũ infausto exitu, neminem post se ex suis posteris regem relicturus: at tu longa nepotum serie, quæ regnum obtinebit (licet tu rex futurus non sis) relicta decedes. His dictis è conspectu eorum hæ se proripuerunt. Vana itaque primo visa sunt hæc, adeo vt alter regem salutaret per iocum, alter multorum regum parentem. Sed vbi Machabæus Caldarius (id nomen dignitatis apud Scotos) inde rex factus est præter spem, occiso rege Duncano, cui erant filij duo; memor ostenti, conatus est Banckonem & vnicum eius filium Fleanchum ad cœnam inuitatos occidere; sed occiso patre, tenebrarum suffragio filius euasit. Tandem à Malcolmo Duncani filio Machabæo occiso, post multas stirpes, quemadmodũ prędixerat fatidica, regnum in familiam Banckonis Stuart, apud cuius stirpis regem Iacobum V I. nuper adiuncto Angliæ regno, adhuc manet, translatum est. Porro hi spiritus sunt qui vndosum mare perturbant, vectores è nauibus detrahunt, quod Palinuro Æneæ Troiani nauclero accidisse fertur; naues scopulis afflictas submergunt, aut in breuia destituunt: quin etiam Dei quandoque permissu marinas vndas vltra terminos suos & litora ita propellunt, vt magna pars terræ aquis obruatur. Id factum sub Damasi Pontificatu legimus, quãdo multæ Siciliæ ciuitates vndis haustæ & delerę sunt. Idem Alexandro VI. Pontifice contigit, bo-

Aquaticorum spir. effecta.

Diluuia in Italia.

uerant subit, citharæque, cuius peritissimus erat, dulcissimo ministerio accurati nitoris cingulum potentemque victoriæ zonam ab eis obtinuit; atque itinere quo venerat repetito, hostem obuium ilico lethifero vulnere fudit. Erant præterea, vt idem auctor affirmat, in aquilonaribus terris nonnulla templa Dianæ & Cereri consecrata, ædesque fatalium sororum absque humana ope prestigioso quodam artificio extructę, quas antiqui super futuris liberorum euentibus Parcarum oracula consulturi, nuncupatis solenniter votis precabundi accedere cõsueuerunt, vbi introspecto sacello, quandoque ternas, quandoque plures sedes totidem nymphis occupari cognouere: quarum aliæ liberalem pueris formam, vberemque humani fauoris copiam erogabant, aliæ vero liberalitatis aut aliarum virtutum excellentiam condonabant; demum aliæ proteruioris ingenij, reliquorum donis officere cupientes, futuris puerorum moribus auaritiæ, luxuriæ aut aliud vitium admiscebant. nec solum pueris, verum etiam ætate profectis, & quandoque regibus huiusmodi prestigiosarũ artium cõmentis impositum fuisse comperitur. Hactenus Olaus. Similis fere apud Hectorem Boethium exstat historia. Erant simul, inquit, Machabæus amitinus regis Scotiæ Duncani, & Bancko Stuart Forres vir strennuus, per sylvas proficiscentes ad regem. heic obuiam tres habuere mulieres insolita facie, quarum vna inquit, Salue Machabæe Thane Glammis. Hoc nomen erat dignitatis quam nuper acceperat. Altera vero inquit: Salue Caldarie Thame. tertia vero: Salue Machabæe olim

Machabæi seu Macbethi, & Banckonis Stuart admirabilis historia.

lim rex future. Tum Bancko, Et vos, inquit, quæcumque estis, parum mihi propitiæ videmini, quæ huic præter opimos magistratus etiam regnum defertis, nec mihi quidquam. Ad ea quę prima fuerat, respondit: Immo tibi maiora quam huic nunciamus. nam hic quidem regnabit; verũ infausto exitu, neminem post se ex suis posteris regem relicturus: at tu longa nepotum serie, quæ regnum obtinebit (licet tu rex futurus non sis) relicta decedes. His dictis è conspectu eorum hæ se proripuerunt. Vana itaque primo visa sunt hæc, adeo vt alter regem salutaret per iocum, alter multorum regum parentem. Sed vbi Machabæus Caldarius (id nomen dignitatis apud Scotos) inde rex factus est præter spem, occiso rege Duncano, cui erant filij duo; memor ostenti, conatus est Banckonem & vnicum eius filium Fleanchum ad cœnam inuitatos occidere; sed occiso patre, tenebrarum suffragio filius euasit. Tandem à Malcolmo Duncani filio Machabæo occiso, post multas stirpes, quemadmodũ prędixerat fatidica, regnum in familiam Banckonis Stuart, apud cuius stirpis regem Iacobum VI. nuper adiuncto Angliæ regno, adhuc manet, translatum est. Porro hi spiritus sunt qui vndosum mare perturbant, vectores è nauibus detrahunt, quod Palinuro AEneæ Troiani nauclero accidisse fertur; naues scopulis afflictas submergunt, aut in breuia destituunt: quin etiam Dei quandoque permissu marinas vndas vltra terminos suos & litora ita propellunt, vt magna pars terræ aquis obruatur. Id factum sub Damasi Pontificatu legimus, quãdo multæ Siciliæ ciuitates vndis haustæ & deletę sunt. Idem Alexandro VI. Pontifice contigit, bona

Aquaticorum spir. effecta.

Diluuia in Italia.

na Italiæ parte, inprimis agro Bergomati & Veronensi, aquis restagnante. Anno MDXV. tristissimum diluuium complures Europæ regiones ita inundauit, vt ad quingenta milia hominum misere suffocata dicantur. Carolo V. Imperatore, Hollandia & Selandia florentissimæ insulæ, maris ac fluminum eluuione pæne totę obrutę, certe non exigua parte truncatæ sunt: qua calamitate non minorem Frisia, parem fere tum Flandriæ ora maritima sensit. A simili clade quamuis minus Oceano assita non immunis fuit Polonia, fluminibus ita turgescentibus supraque alueum egressis vt non domus tātum & pagi abriperentur, verum etiam vix vllus omnino pons, quamquam omnes è viuo saxo facti, in Cracouiensi præsertim & Casimiriensi territorio remanserit. Atque hę quidem Deo permittente aquaticorum eiusmodi & maledictorū spirituum operationes fuere; ad quorū furorē placandū, Amilcar contra Agrigentinos bellum gerens, sacerdotum turbā mari submersā sacrificauit, vt Diodorus Siculus testatur. Ad hos Andronicus Imperator, quū multiplicibus propter crudele edictū odijs ac malis se videret obsessum, ad futura noscenda se conuertit: *seque totum*, inquit Choniates, *permisit ijs qui futura ex aquis quasi per caliginem coniiciunt, & imagines futurarum rerum, velut ex vmbra solarium radiorum consectantur.* ergo dæmones percunctantur, quis post Andronicum sit imperaturus. Malus genius in aquis litterā Sigma primum, deinde Iota exhibuit: vnde nata suspicio Andronico Isaacium Comnenum, qui ab Isauria veniens Cyprum occupauerat, significari. Secunda igitur interrogatione facta, quando id futurum

Hollandia & Selandia.

Polonia.

Andronicus hydromantia deceptus.

esset,

esset, responsum fuit, intra exaltationem crucis. quare Andronicus, non ignarus Comnenum longius abesse quam vt intra illud tempus venire posset, oraculum contemnere cœpit. atqui intra illud tempus iussu Isaacij Angeli, quem tamquã mollem & effeminatum hactenus semper contemserat, occisus fuit Ollerus magus Suecus horum spirituum ope incantato osse, tamquam nauigio, vastissima maria superabat. Alius Othinus nomine Hadingum Danorum regem equo impositum per mare in patriam deuehi curauit, atque ita præsentissimo vitę periculo subtraxit. De Oddone Danico pirata Saxo Grammaticus scribit; absque carina altum pererrantem hostilia sæpe nauigia concitatis carmine procellis euertisse. sed & hunc tandem fortior magus eorumdem spirituum vi euertit, & vndis submersit. Pertinax, teste Sabellico, paullo ante mortẽ spectrum eiusmodi in piscina vidit, nudo gladio ictus intentantem. Ex hoc genere credibile est fuisse aprum illum, qui Isaaco Comneno prope Neapolim ad venationem proficiscẽti occurrit, statimque magno cum impetu in mare se præcipitauit, Imperatore pæne exanimi relicto. In Finlandia quę Suecorum regis imperio subiacet, arx est Rupes noua nomine, quam maximum flumen alluit, immensæ profunditatis. aqua nigro est colore, vt & pisces; optimo nihilominus sapore. In hoc flumine multa spectra apparere dicuntur, quæ plerumque mortem vel arcis gubernatori vel militum alicui denũciant: vt plurimum autẽ sub persona citharœdi suauiter canẽtis, & sub vnda ludẽtis. In territorio Cracouiensi lacus est, ab eiusmodi

Ollerus magus.

Othinus magus.

Oddo magus.

Sabell. li. 2.

Zonaras.

eiusmodi Spiritibus circa annum MCCLXX. VIII. vehemẽter infestatus, sacerdotis cuiusdam precibus atque exorcismis tandem profligatis. In hoc piscatores aliquando piscem retibus extraxerunt, caprino capite cum cornibus, & oculis instar flammæ micantibus: cuius aspectu territi, atque etiam fœtidissimo spiritu afflati piscatores trepide aufugerũt, monstrum vero toto commoto lacu, horribili cum vlulatu disparuit. Alexander ab Alexandro Thomæ cuiusdam monachi facit mentionem, qui vespere quodam equum quæritans, quum ad vadum fluminis venisset, rusticum vidit vltro se baiulum offerentem. Inscendit in humeros monachus, progrediuntur in flumen: ibi forte deiectis oculis videt monachus crura non humanis sed caprinis similia. Ratus ergo quod erat, dæmonem hunc esse aquaticum, qui suffocare ipsum cupiat, precibus se Deo commendans, mox ab eodem euanescente medio in flumine deponitur, vnde bene vuidus, ac metu pæne exanimatus ægre ad alteram ripã erepsit. Idem Antonio Lauorerio Archipresbytero Barbarano, quod oppidũ est agri Vicetini, inter omnes non Insubriæ tantum, sed etiam totius prope Italiæ exorcistas celeberrimo, superioribus annis accidit. Erat mulier quædam à dæmone obsessa, quem prædictus archipresbyter multis exorcismis iam diu exagitarat. Factum est vt is aliquando peregre profectus, quum iam iam in flumen quod transeundum erat, equum adigere vellet, vocem audierit admonentis: Ne tu, ne progrediaris, nisi madefieri velis. Antonius respiciens, vbi neminem adesse animaduertit, ratus

Piscis monstrosus.

Monachus à Spiritu in flumen conuectus.

Antonius Lauorerius exorcista à dæmone illusus.

vocem

vocem eam angeli esse custodis de periculo commonefacẽtis, crucis signaculo se munit, & vtroque pede ex stapedibus expedito, flumini se committit. Medium iam flumen, & quidem vadosum transierat: quum subito equus quamuis validus, ac vadi quod sæpissime traiecerat, bene gnarus, sublatis vi fluminis vel potius dęmonis, pedibus, sessorem medijs in aquis destituit; qui totus madidus in ripã aduersam eluctatus, equum ibi inuentum rursus conscendit, & domum quam citato poterat, progreditur gradu. Mox vestimentis mutatis, & arreptis stola & libro, ad dæmoniacam se confert, & dæmonem exorcismis fatigare incipit, nulla tamen eius quod acciderat facta mentione. Ibi vltro spiritus malus quid eo die fecisset gloriari: Ah proditor, inquiens, qui tantopere me torques; equidem volui te hodie in torrente illo suffocare, nec tamen potui. atqui, spero alio tempore meas non effugies manus. Tempore Iulij Cæsaris in ripa fluminis Rubiconis aquaticus eiusmodi spiritus in forma hominis, sed humana statura longe maior tibia canere auditus est; qua spoliatus à milite quodam Cæsaris, mox in aduersa ripa tubam horrifico sono inflauit: quod victoriæ augurium Cęsar est interpretatus. *Sabel. li. 1.* Ab his spiritibus fecundissimum imposturis sumtum est diuinationis genus, ὑδρομάντεια dictum. Fiebat vero per annulum de filo suspensum in aqua, & verbis quibusdam demurmuratis vasculi latera cõstitutis ictibus pulsantẽ. Alia species hydromãtiæ est, quæ fiebat coniectis in aquã statiuam tribus lapillis, & obseruatis gyris, qui circa lapillos diffundebantur. Maris etiam motũ

Hydromãtia eiusque varij modi.

Orientaliũ mare baptizantium superstitio.

atque agitationem, vt olim Siculi & Euboeenses, hodie multi nautæ, notant. Hinc apud Christianos quosdam Orientales superstitio inualuit, vt mare, tamquam animatum baptizent. Longe autem aliò id pertinet, quod Dux Venetus quotannis in festo Ascensionis Christi Bucentauro extra duo illa quæ ad ingressum sinus sunt sibi inuicem opposita castella prouectus, annulum in mare iacit, neque enim magię argumentum, sed dominationis est indicium, quam hac arra senatus Venetus sibi despondet: origo huius cæremoniæ talis est. Alexandrum III. Pontificem M. Otho Friderici Ahenobarbi filius armis ita persequutus est vt Venetias profugere coactus fuerit,: vbi in monasterio Charitatis quum aliquamdiu ignotus latitasset, tandem agnitus & honorifice inde eductus, Venetorum arma pro se atque Ecclesia promta ac parata inuenit. Gesto bello, Otho à Venetis nauali prœlio victus, & captiuus Pontifici est oblatus. Tunc duci venetorum Sebastiano Ziano Pontifex annulum de manu sua detractum obtulit, dicens: *Auctoritate mea hoc annulo fretus Oceanum tibi subijcies, & quotãnis tibi posterisque eo die quo hanc victoriam pro Ecclesiæ defensione obtinuisti, despondebis mare; vti sciant omnes maris tibi dominium concessum, quia sedis Apostolicæ tuendæ curam & studium fideliter suscepisti. Sit hoc tibi quasi pignus benedictionis, & secundæ sortis in futurum.* Narrat hæc Villamontius lib. I. Peregrinat. suæ, cap. XXXIV. & prior illo Sabellicus Decad. I. lib. VII. Aliud quoque est hydromantię genus, quo ex aquæ colore & imaginibus in ea apparentibus res latentes & futuræ eruebantur. sic

Venetorũ ritus mare sibi desponsantium, & vnde.

tradit

tradit Varro belli Mithridatici euentum à puero quinquaginta versibus præsignificatum esse. hoc etiam credibile est Andronicum Imperatorē, de quo supra, vsum. Alius modus fuit, quo statuebatur cyathus aqua plenus, & verbis immurmuratis obseruabatur, nū aqua sponte efferuescens effunderetur. Alij, Afri inprimis Fessani (de quibus Leo lib. III. descript. Africæ) aquam in phialam vitream effundebant, eique olei guttulam admiscebant: deinde in aqua tamquam in speculo, mira se cernere opinabantur. pro oleo nonnulli ad eundem vsum plumbum liquefactum inijciebāt. Non aliena ab hydromantia est illa qua aliqui etiamum ad furtorum auctores detegendos hodieque vtuntur ratio, trium suspectorum nominibus pilulæ inscriptis, & cum magicis quibusdam carminibus in peluim aqua plenam coniectis. Hydromātiam proxime subsequitur πηγομάντεια: quę in aqua fit fontana. Erant enim olim particulares quidā fontes spiritibus aquaticis dedicati. Tales fuerūt crateres illi Palici ad Symetū fluuium in Sicilia, quorum mentionem facit Macrobius. De cisterna quadam in AEgypto in templo Amphaceno, mira commemorat Zosimus in vita Aureliani; vt iam nihil dicam de Iunonis palude apud Laconiæ Epidamnum, de Thyrxeo Apollinis oraculo ad Lycum, alijsque. Pegomantię huius vestigia D. Bernardini Senensis temporibus superfuisse, testatur qui vitam eius descripsit, his verbis: *Extra mœnia vrbis eius* (de Aretio loquitur) *fons antiquus fuit, iam olim temporibus illis quibus idololatria regnabat, impuris dæmonibus dicatus. Solebant eò ciues Aretini, & alij, circūquaque*

Pegomantia.

Fontes sacri vel incantati.

Bernardini Senensis zelus & factum.

quaque vicini, tamquam ad oraculum Apollinis confluere, responsa petētes ad occultas quæstiones suas, & morborum curationes. Id vero animaduertens Bernardinus, verus religionis Christianæ cultor & amator, aduersus hunc dæmonum cultum fortissime sese erexit. & primo quidem concione ad populum habita & absoluta, magnopere omnium confirmatis animis, hortatus est eos, sequi se, ad demoliendam impurissimorum dæmonum habitationem, prorsusq́ʒ abolendam. Mox vero arrepta securi vel malleo, cum populo egressus est ad fontem, quumque ad fanum dæmonis peruenisset, primus ipse ictibus cœpit contundere, euertitque aram, & fontem lapidibus penitus obturauit. Aliud quoque est hydromantiæ affine manganiæ genus, λεκανομάντεια Græcis dicta: cuius mentio est apud Glycam, Psellum & Cedrenum. In peluim aqua plenam lapides pretiosi, auri & argenti laminę diuersique characteres inijciuntur: inde responsum de rebus interrogatis ex peluis fundo auditur. Turcæ hodie plurimum vtuntur. Gastromantia simile est superstitiosæ diuinationis genus. In hoc phialis vtebantur vitreis ventricosis, similiter aqua plenis; quas puer impollutus vel prægnans mulier inspectabat. Responsi loco certæ figuræ & imagines à dæmonibus expressæ cernebantur. Alterius generis Pausanias meminit in Achaia ad fontem qui ante Cereris erat ædem, vsurpati. Speculum, inquit, tenui suspensum funiculo demittūt, ita librātes vt in fonte omnino non mergatur; sed imo ambitu summam aquā contingat. Exinde vbi odores adoleuerint

Lecanomantia.

Gastromantia.

rint, & rite Deam precati fuerint, inſpiciunt in ſpeculum, & ex eius imaginibus diuinant. Alio quoque modo Turcæ Lecanomantiam exercent, dum ſcilicet ceram liquefactam in aquam infundunt, & figuras ibi expreſſas diligenter obſeruant. Sed de his multi ſcripſerunt, quos conſulere poterit qui plura ſcire cupit. Nunc reliqua Spirituum genera proſequamur.

De terreſtribus Spiritibus, quæque ad eos pertinent: & primum de Genijs, Laribus, aut Dijs domeſticis, quos profana antiquitas olim vocauit.

CAPVT VII.



ETSI omne cacodæmonum genus hominibus & nocere vult & poteſt: frequentiora tamen ſunt damna quę ab ijs quos terreſtres vocant, quod cõmune quaſi in terra cum homine habeant domicilium, patiuntur. Sunt hi diuerſorum generum, ab operationibus ſcilicet quę de ipſis leguntur; omnes tamẽ ad vnum eumdemque ſcopum feruntur, vt ſcilicet Dei nomen ignominia afficiãt, & hominem in exitium rapiant ſempiternum. Tanto ergo maior cautio nobis eſt adhibenda, vt pedicas ipſorum effugiamus. Primo autem ſunt quidam dicti *Genii, Lares*, aut *Dii domeſtici*: alij *Spectra, Alaſtores*, & *Dæmonia meridiana* appellantur

Spiritus terreſtres maxime noxij.

ſunt etiam *Fauni, Syluani, Satyri, Folletti*, vt Itali appellant, credo quaſi *Fatuelli, Paredrij* ſiue *ſpiritus familiares*; alij denique, quorum omnium nomina longum eſſet recenſere. Genios quidem Athenæus, Maximus, Philoſtratus, Eunapius, & in vniuerſum omnis Platonicorum ſchola cenſuit mortuorum eſſe animas, quæ ſi bene in hoc mundo vixerint, poſt mortem poſterorum ſuorũ curam ſortiantur, & pacato quietoque numine domum poſsidere, vocarique *Lareis familiareis*; ſin male & ſcelerate vitam egerint, nullis bonorum ſedibus recipi, ſed in terra veluti proſcriptas vagari, longoque exſilio puniri, & inania terriculamenta bonis hominibus, noxia malis *Laruas* dici, vel *Lemures*, ſecundum Auguſtinum, perhiberi. Seruius Honoratus & Sabinus, ab anima ſeparant *Vmbram* & *Simulacrum*. Falſo enim perſuaſum habebant, hominem conſtare anima, vmbra & corpore: poſt mortem animam in cœlum euolare, corpus in terra remanere, vmbram ad inferos deſcendere: eſſe vero vmbram non verum corpus, ſed ſpeciem quandam corpoream quæ tangi nequeat, inſtar venti; tam vero hanc quam animam viuis interdum apparere; animam Genium, vmbram laruam ſiue vmbram infernalem dici. Sunt vero Genij, terreſtres maligni ſpiritus, qui etiamſi pro ſalute hominis excubare ſimulent, omnia tamen in perniciem eius moliuntur. vt ille quem Plotino Iſidis ſacerdos ſpectandum exhibuit. Plotini enim animum vehemẽter tumefecit ſuperbiaque extulit, quod intellexerat Deum ſe pro Genio habere. Conſtantinus Imperator Antiochia Tarſum proficiſcens Genium ſuum

Genij quid.

Vmbra quid.

Genij viſibiles apparent.

suum sæpe vidisse, atque etiã cum eo varios sermones habuisse fassus est: quin etiam quũ squallidum eum atque horridum totum, quem auctorem ac custodem suæ salutis ante appellare solebat, aliquando conspexisset, valde indoluisse fertur. In peninsula quadam maris glacialis populi esse dicuntur, Pilapij nomine, qui continuo cum defunctorum vmbris edunt, bibunt, ac familiariter non secus quam cum viuis conuersantur. In Socratis historia Ecclesiastica vnus ex horũ spirituum numero sub figura Mosis integrum per annum in Creta insula ostentasse se legitur, ac Iudæis persuasisse, velle se eos iterum vltra mare sicco pede traducere. Quum ad condictum diem ingens Iudæorũ turba conuenisset; personatus ille Moses altam eis crepidinem litoris commonstrans, natatu eò traijcere iubet: inde se tutum illis iter per mare aperturum pollicitus. Tantum valuit perfidi spiritus fraus, vt multi confestim in mare insilirent, qui magna ex parte fluctibus abrepti, piscibus esca fuere, pauci piscatorum lintribus excepti, ægre semiuiui ad litus reportati sunt. Interim bonus ille Moses Hegemonius nuspiam comparet. Ephesi diu cacodæmon eiusmodi mendici habitu obambulare visus fuit: quo tempore horribilis pestilentiæ lues per vrbem grassabatur. Cuius caussam quum Apollonius Tyaneus ciuibus aperuisset, suasit vt pessimum illum mendicum è medio tollerent. sic enim breui pestem desæuituram. Parent ciues, & personatum medicum lapidibus obruũt, ingenti cumulo super mortui, vt putabatur, cadauere exstructo: quo

Pilapij cũ Genijs conuersantur.

Moses fictitius.

Spiritus sub mendici habitu.

quo retecto, at nullibi reperto cadauere, ingens prosilijt canis, quem Apollonius vnũ ex eorum Spirituum numero esse ciuibus persuasit, à quibus ciuitas peste fuisset afflicta. Quid multa? Ab his Genijs vel idolis vniuersus Mundus ante Christum natum idololatria fuit infectus: qui aduẽtu suo eosdem regno, quod tamdiu trãquille possederant, deiecit & profligauit. Atque hęc vna caussa est cur oracula eo fere tẽpore quo Christus natus est, cõticuerint: quod factũ Plutarchus fatetur, sed caussas frustra alibi quærit. Horum dæmonum instinctu populus Hebræus vitulum aureum diuino nomine & cultu est dignatus. Ijdẽ apud alios populos sub diuersis Deorum nominibus se venditarunt: vt sub Adonidis apud Syrios, Adramelech apud Capharnaitas, Asimæ apud Emathitas, Astartes apud Sidonios, Astaroth apud Palæstinos, Dagonis apud Philistæos, Tartari apud Heuæos, Melchonis apud Ammonitas, Nergalis apud Cuthæos, Chamos apud Moabitas, Beli apud Babylonios, Beelzebub apud Accaronitas, Baalis apud Sidonios, Samaritanos, & Moabitas. Ludouicus Romanus libro V. Nauigationis suæ mentionem facit idoli cuiusdam, Demus nomine, quod in insula Tamerana diuinis honoribus colatur. AEgyptij idolum Osiridis, quod Theodorus Serapidem, alij Apim etiã appellant, pro Deo habebant: quem eumdem Porphirius caput & principem omnium malignorum spirituum appellat. Hi sub forma Apollinis Delphis, sub forma Iouis Capitolini Romę, sub forma Dianæ Ephesi, sub forma Palladis Ilij adorati fuerunt. Hinc existimant nonnulli esse hos

Plut. in li. cur orac. def.
Idola veterum.
Ezec. 8. 4. Reg 11. 4. Reg. 3. & 17. & 24. Hier. 49. Num. 21. 3. Reg. 13. 4. Reg. 1.
Lud Rom. lib. 5. ca. 2. Demus idolum.
Apollo, Iupiter, Diana.

hos spiritus ex primo ordine eorum qui vna cum Lucifero cœlo sunt ob superbiam depulsi. Nihil enim his elatius, nihil arrogantius: vtpote qui id vnice agunt vt honorem Deo ab hominibus debitum, interuertant ac sibi vindicent. Quo vno nihil est quo Deus magis offendatur. neque enim quidquam magis nefarium vel cogitatione fingi possit, quam creaturam nõ modo creatorem suum non velle agnoscere, sed etiam æquales ipsi honores affectare. D. N. Iesus Christus à diabolo in deserto tentatus, non prius tentatorẽ increpuit quam quum à supplice adorari vellet. Ait enim: *Dominum Deum tuum solum adorabis eique soli seruies.* Ab his spiritibus Lycurgus in olympicorum ludorum spectaculo forte sedens, iussus est festum illud cum omnibus suis ciuibus singulari cum reuerentia obire. Quod ille pro diuino monitu accipiens; cum Iphito se coniunxit, & multo maiori cum pompa ludos Olympicos quã vmquam ante eum diem celebrauit. Ijsdem adscribendum videtur quod Pelopidæ Thebanorum duci contigisse legitur: cui Scedasis filiorum, in Leuctricis campis sepultorum, vmbræ quum sæpius apparuissent, tandem aliquis Scedasis patris formam referens, è sepulcro prodijt, ac si Thebani contra Lacedæmonios victoriam obtinere vellent, filiorum manibus flauicomam virginem immolari iussit. Id quum inhumanum nimis & crudele Peopidæ videretur, eamque ob causam diuersas in partes animum versaret: ecce equa iuuencula flaui coloris ei offertur, quam vbi primum Theocritus hariolus aspexit, Pelopidam monuit, nullam aliam hostiam vltra expectan-

Quod maximũ peccatum.

Matth. 4.

Lycurgus à dæmonibus deceptus.

Pelopidas.

ſpectandam; hãc enim eam eſſe quam manes expeterent. Ita ergo equa coronis redimita, & ad Scedaſis filiorum ſepulcra immolata fuit. Scribit Pauſanias in pugna Athenienſium qua Perſas in cãpis Marathonijs ingenti clade fuderunt, conſpectum eſſe aliquem forma hominis, qui aratro plurimos è barbarorũ exercitu interfecerit. Rogatum quis eſſet, Echelei genium ſe eſſe reſpõdiſſe, ſtatimq́ue diſparuiſſe: atque inde Atheniẽſes diuinos ei fieri honores iuſſiſſe. Geminum huic plane eſt quod Plutarchus in vita Theſei de Medis itidem à Spiritu eiuſmodi occiſis, & diuinis honoribus ab Atheniẽſibus eidem decretis, ſcriptum reliquit. Aliud eſt apud Pauſaniam: Eleis ſcilicet genium ſub pueri forma datum fuiſſe qui res ipſorum contra Arcades adiutaret. In pugna puerum nudũ ante ſigna ſtatutum, mox in ſerpẽtem mutatum; inde victoria Eleis parta, in ſpecum ſubterraneum correpſiſſe. At beneficij memores Eleos templum ei loco, Soſipolidi patriæ Genio dedicatũ, inædificaſſe. Franciſcus Petrarcha pueri mentionem facit, ab aratore in agro inuenti, ac ſapienter multa ſupra pueri captum cũ eo ſermocinati; ad cuius rei famã mox vniuerſa accurrerit Hetruria: addens, ſermones huius exceptos, & litterarum monumentis ſignatos, è quibus poſtea haruſpicũ profluxerit diſciplina. Euſebius teſtatur, oraculum Iouis Antiocheni quum aliquãdiu conſiluiſſet, tandem Theotecni cuiuſdam incãtationibus & vi magica loqui iterum cœpiſſe, eum in finem vt Maximini furor contra Chriſtianos tanto magis accenderetur: at fraude detecta, ipſum incantatorem graues & iuſtas Licinio pœnas dediſſe. Horum Spirituum

Echelei genius.

Serpens ab Eleis pro genio cultus.

vnus assumta Apollonij Tyanei forma, Aureliano Imperatori Tyanę vrbi ob rebellionẽ excidiũ meditanti, visibilis apparuit, his verbis eum alloquutus: Ne tu Aureliane, si vincere porro hostes tuos velis, ne tu ciues meos perdere coneris. Ego enim huius vrbis & regionis sum genius, cui facile tuam quantacumque est potentiam & vires refrænare. Narrat Herodotus. Spiritum eiusmodi ad decipiendum Proconnesios fullonis officinam sub poetæ Aristęi persona ingressum, repente ibi velut mortuum cõcidisse: qua re vehementer perterritum tabernarium, occlusa officina propere vt rem omnem renũciaret, ad mortui parentes abijsse. Diuulgata iam per totam vrbem de morte Aristæi fama, quẽdam Cyzico (quę fuit Propontidis ciuitas) aduenisse, qui Aristæũ non vidisse ibi tantum, sed etiam alloquutum interposito iureiurando affirmarit. Dubios parẽtes, quantũ poterãt ad fullonis ædes properasse, quibus reseratis, ac diligẽter omnibus angulis excussis, Aristæũ nuspiã nec viuũ nec mortuũ esse inuentũ. Post septẽ annos eũdem Spiritũ Aristęi iterum figura Proconnesijs apparuisse, ac versus etiã eos, qui Arimaspij à Græcis dicuntur, fecisse; ac tandẽ disparuisse. Eumdẽ Aristæũ trecẽtis & quadraginta annis post Metapontinis in Italia visũ, eiusq; iussu arã Apollinis exstructã, & Aristæo Proconnesio dicatã, ipsi Metapontini fatẽtur. Apollonius Tyaneus Roma Cõstantinopolim proficiscẽs, teste Cedreno, horũ Spirituum vnius ope scorpiones omnes & culices, quibus antea vehementer infestabatur, ab vrbe Cõstantinopolitana abegit. Idẽ Antiochię ab eo factũ. Scorpionem, proculdubio incãtatũ, & à dęmone insef-

Apollonij Tyanei genius.

Dæmon in forma Aristæi.

Apollonius scorpiones & culices fugat.

insessum, marmoreç colũnç superimposuit, & ab omnibus adorari iussit, vniuerso populo inter tubas & cymbala acclamante: Hic Deus est, qui scorpiones & culices omnes à nostra vrbe fugauit. Huic tam turpi atq; nefario idolo ab ijsdem deinde etiam sacrificiorũ cultus fuit exhibitus. Adriano VI. Pontifice, pestilenti lue multa hominum milia Romæ depascente, Demetrius quidam Spartanus populo sospitatẽ promittere ausus est, si in capitolio sibi Genio eius loci & protectori sacrificare liceret. Quo concesso, quod populus, dummodo morbi contagione liberaretur, nihil pẽsi haberet: prædictus incantator taurum ferocissimum, dextro cornu decusso apprehẽdit, & magicis quibusdam carminibus in aurem immurmuratis, momẽto tẽporis tam cicurem ac mansuetum reddidit, vt tenui filo ad alterum cornu ligato per totam vrbem circumductum, tandẽ in Amphitheatro immolârit. Paullo post morbus remittere cœpit: ac vix contineri populus poterat quin apertum committeret idololatriæ crimen. Sed Prælatis alijsque ecclesiasticis, qui hactenus abfuerant, in vrbem reuersis, magus captus, sed mox furore vulgi è carcere liberatus; liber vero incantationum pro eo, qui fuga iam sibi prospexerat, crematus fuit. Fincelius libro 1. De miraculis rem notatu dignã recenset. Anno MDLV. ciuis quidam Geranus (est vero is agri Brunsuicensis pagus) cum curru in syluam ad ligna conuehenda profectus, turmas aliquot nigrorum valde equitum ante syluam in acie stantium conspicatur. Territus, domum quàcelerrime currit: rem narrat. Effunditur cum eo ad in-

Demetrius Spartanus magus.

Spectra in agro Brunsuicensi.

ad insolitum spectaculum vniuersa plebs rustica. Vident duas acies ex aduerso dispositas: mox cócursum & conflictum. Quo finito, vtrimque duo equites immani statura ac truci aspectu prodeunt, & ex equis desilientes, copias quasi vterque suas recenset. Inde rursus conscensis equis, vniuersus exercitus se ductoribus coniungit, & fumo citius ex oculis euanescit. Hæc recentia fere; illa vetera. Quum apud lacum Regillum, inquit Valerius Maximus, A. Postumius dictator, & Tusculanorum dux Mamilius Octauus magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquádiu pedem referret; Castor ac Pollux (qui alij hi quam dæmones genij?) Romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt. Similiter, vt apud eumdem est, Castor & Pollux illo tempore pro imperio populi Romani excubantes visi sunt quo ad lacum Iuturnæ suum equorumque sudorem abluerunt, iunctaque fonti ædes eorum nullius hominum manu reserata patuit. Porro ad dæmonum hoc genus referéda videtur, primo ἀξινομάντεια, qua securim rotundo infigebant palo, & ex eius motu furem deprehendebant. Quando autem futuri alicuius successus diuinatio petebatur, tunc gagatem lapidem securi imponebant: de quo Plinius lib. xxxvi. cap. xix. Huc quoque pertinet κεφαλομάντεια, qua asini caput prunis impositum assabant; priscis Germanis, vt nonnulli volunt, vsitata. Longobardos postea pro Arcadico pecore caprino capite vsos aiunt. Iudæos eidem superstitioni deditos fuisse, illud suspicionem facit, quod Apion Grammaticus & reliqui AE-

Castores visi.

Axinomantia.

Cephalomantia.

gyptij, & hos sequutus Tacitus eos asininum caput pro Deo habuisse calumniantur. Est & aliud non minus vanum huc spectans diuinandi genus, quod χοσκινομαντείαν Græci appellant. Fiebat autem cribro, cui forcipem imponebant, deinde duobus digitis comprehendebant, & præmissis verbis conceptis, subdebant nomina eorum quos de crimine aliquo suspectos habebant; reum vero iudicabant illum, quo nominato, cribrum tremebat, nutabat, aut conuertebatur. Scelerata hæc, sed longe sceleratior κλειδομάντεια, in Dei cõtemtum & mortalium perniciem, & quod pessimum, ab ipsis Christianis excogitata. Clauem sumunt, cui chartulam circumdant suspecti nomine inscriptam: deinde clauem alligant S. scripturæ codici, quem virgo teneat; & verbis quibusdam demurmuratis, chartulæ ad nomen rei motum obseruant. Quid? quod etiam nonnulli ab ijsdem dæmonibus instigati, sanctissimis sacramentis ad res nefarias abuti non verentur? In eũ enim omnia omnium dæmoniorum directa sunt finem consilia & actiones, vt Christi lex euertatur, præcepta eneruentur, verus Dei cultus penitus aboleatur. Quod vt tectius facere possint; diabolicas illas artes rebus sacris quantum possunt palliant, admiscendo preces, aquam lustralem, aliasque res similes. Ab ijsdem alia Magiæ species inuenta est, quam ἱεροσκοπίαν veteres appellarunt. Consistebat hæc in victimæ adhuc viuæ obseruatione, dum producebatur, dum ad aram sistebatur, dum vinum ei infundebatur, dum mactabatur. Eiusdem postea (quæ extispicina dicta fuit) singula membra rimabantur, extra scilicet, cor, &

Coscinomantia.

Clidomãtia.

Hieroscopia vel Haruspicina.

Extispicina.

cor, & inprimis iecur: è quorum diſpoſitione & habitu vel proſperos vel aduerſos euentus prædicebant. Fuerunt præterea antiquis in vſu Critomantia, Aleuromantia, & Alphitomantia, quæ in ſacrificijs molas & libamenta, triticum, hordeum, far, & ex eo toſto freſoque factam farinam obſeruabant. Eorumdem Spirituum inuentum fuit Lithomantia, cuius Iamblichus & Orpheus, de Siderite lapide agentes, meminerunt. Sed huius ritus doctiores nondum ſibi ſat cognitos fatentur. Erat tamen Lithomãtiæ quædam ſpecies feminis in vſu: quæ in lapide quadrato ac bene expolito, deinde magicis artibus incantato, quæ ſcire vellent videre ſe profitebãtur. Eſt præterea ῥαβδομάντεια, qua magicis verbis efficiebant, vt virgula recta in circulum coiret, iunctis extremitatibus. hanc collo appenſam, quartanæ febri remedio eſſe aliqui nugantur. Huc aliæ quoque Magiæ ſpecies poſſunt referri, vt παρθενομάντεια, qua virginitatem puellæ explorant. λαμπαδομάντεια, quando candelas nõnulli ante ſancti alicuius ſtatuam, vt S. Antonij aut S. Danielis, accendunt, ac precibus quibuſdam demurmurttis, res perditas inuenturos, aut quos amant, in caſſes pellecturos ſe confidunt. παλομάντεια, πεττιμάντεια, ἀστραγαλομάντεια, quibus bacilli, oſcilla, pilulæ, aut tabellæ inſcriptæ in altum vel in vrnam conijciebantur, atque inde diuinatio fiebat: itemque κυβομάντεια, ſeu aleatoria, cui valde dediti Auguſtinus & Tiberius Cæſares: etiam Græci aliquibus in locis, Pauſania teſte. Rabdomantiæ ſpecies illa fuiſſe videtur, qua Tacitus Germanos olim

Critomãt. Aleuromãtia. Alphitomantia. Lithomantia. Rabdomãtia. Parthenomantia. Lampadomantia. Palomantia. Pettimantia. Aſtragalomantia. Cubomantia.

Tacit. De moribus. Germ. lim vsos prodidit. Adscribam ipsius verba: *Sortium consuetudo simplex, ait. Virginem frugiferæ arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox si publice consulatur, sacerdos ciuitatis: sin priuatim, ipse paterfamilias precatus Deos, cœlumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur.* In sacris quoque litteris nonnullæ inueniuntur, huc pertinentes, vt illa de qua Eze-

Ezechi. 21. chiel: *Stetit enim rex Babylonius in biuio in capite duarum viarum diuinationem quærens commiscens sagittas: interrogauit idola, exta consuluit. ad dexteram eius facta est diuinatio super Hierusalē.* Et illa

Osee 4. apud Oseam: *Populus meus in ligno interrogauit, & baculus eius annunciauit ei.* Quem locum Theophylactus his verbis interpretatur: *Virgas duas statuentes carmina & incātationes quasdam submurmurabant: deinde virgis dæmonum operatione aut effectu cadentibus, considerabāt quonā vtraque earum caderet, antrorsumne an retrorsum, ad dexteram vel sinistram, sicque tandem responsa dabant insipientibus, virgarum casu pro signis vsi. Eundem ad modum Nabuchodonosor vaticinabatur,* &c. D. Hieronymus quidem vtrumque aperte de Rabdomantia vel Belomantia accipiendum monet: sed Rabbi Moses Samsonis F. alium commemorat ritum. Nos ad reliqua disputationis nostræ progrediamur.

De

De admirandis Geniorum, Larium & similium spirituum effectis, quibus diuinos sibi honores conciliare studuerunt.

CAPVT VIII.

DICI non potest quam impotenti ardore in homines dominium, & diuinos cultus maligni spiritus affectent. Quare vt hominem à vero Deo auertant, & in suas partes pertrahant, nihil omnino intentatum relinquũt: quin etiam ea, Deo iustis de caussis permittente, efficiunt, quæ magnam merito tam apud vulgus quam sapientes habent admirationem, immò quæ sine stupore cogitari vix possunt: cuius rei exẽpla quædam prodigiosa hoc capite proponemus. Primum penates illi Dij (si dijs placet) quos AEneas tanto cum labore & periculo è patrię incendio eripuit, Lauinium ab eodem, deinde ab Ascanio Albam transportati, etsi non minus quã equus ille Troianus, qui excidij caussa, durati, id est lignei erant; nihilominus tamen velut postliminio ad primam Lauinij stationem redierunt. Fugitiuorum absentiam admiratus Ascanius, vbi eos in Latio esse accepit, furto subtractos exstimans, Albã reportari iussit. At boni illi penates, ne parum dij viderentur, secundùm ad primum locum reuolarunt. Et sane eam ob caussam multo deinceps in maiori habiti sunt veneratione. Quid Isidis ab AEgptijs cultæ simulacrum? nonne,

Penates Ascanij Lauinium reuertuntur.

Aug. li. 10. De Ciuit. Dei. ca. 6.

Isidis simulacrum, & mira.

nonne, Diodoro Siculo teste, & ægris sanitatem & cœcis luminis vsum restituisse, aliaque mira, ad decipiendum hominum genus, patrasse visum est? Non minus mira sunt quæ de AEsculapij Epidaurensis simulacro, Romam postea aduecto, apud Pausaniã & alios scriptores legũtur, sed & locuples satis testis est antiqua tabula Romæ in templo AEsculapij inuenta, quæ hodieque in Maffæorum ædibus seruatur, cum Græca inscriptione, quæ in hanc sententiam, vt apud Hieronymum Mercurialem medicum doctissimum & variæ lectionis videre est, Latinis verbis est expressa:

Æsculapij mira effecta.

Hisce diebus Cato cuidam cœco oraculum reddidit: veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, à parte dextra veniret ad læuam, & poneret quinque digitos super altare, & eleuaret manum, & poneret super proprios oculos. Et recte vidit populo præsente & gratulante, quod miracula grandia fierent sub Imperatore nostro Antonino.

Sanguinem reuomenti IVLIANO *desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus, veniret, & ex ara sumeret nucleos pini & comederet vnà cum mele per tres dies: & conualuit, & viuens publice gratias egit præsente populo.*

*V*ALERIO *A*FRO *militi cæco oraculum reddidit Deus, veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus vteretur supra oculos: &*

los: & venit, & vidit, & gratias egit publice Deo.

LVCIO, *affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus, oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & vna cum vnione misceret, & poneret supra latus: & publice gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi.*

Admirandi hi quidem sunt effectus, non tamen vera miracula, sed illusiones diaboli & imposturæ, cui facile est pro ea quam habet tam potentia quam scientia, sensus decipere, aut corpus aliquod inter visum & rem visilem interponendo, aut visus organa perturbando, vt qui homo est, asinus, equus, lupus, aut aliud animal videatur. Nec vero exteriores tantum, sed interiores etiam sensus peruertit, dum scilicet rem aliter exhibet quam reuera se habet, vt quando sanum pro ægro obtrudit, aut videntem pro cœco; aut astantium oculos ita fascinat vt quis equos & currum deglutire videatur. Neque vero in alijs tantum sed etiam in seipsis recte diiudicandis hominum sensus aliquando aberrant. Exemplo est asinus ille Apuleianus, qui sibi asinus esse cumq; reliquis pecoribus pascere videbatur: multique alij ex veraciorib. historijs, de quibus paullo post. Id vero inde accidit quod externi sensus ab internis ludificãtur atque oppressi tenẽtur. Species enim sensibiles quæ in memoriæ scrinio custodiuntur (loquor autem non de memoria intelligibili, sed de ea quæ in occipitio sedem habet) ad sensum communẽ & phantasiam extrinsecus promanant, atque

Dæmones nulla faciunt miracula.

Quomodo sensibus illudat dæmon.

que ita penitus ei imprimuntur, vt quemadmodum educta dæmonis aut præstigiatoris vi è memoriæ ſinu ſpecie aliqua vel ſimilitudine, vtputa cæci, loripedis, hominis, leonis, elephanti, &c. imaginatiua vis neceſſario eá apprehendit; ita quoq; non poſſit nō oculus ſibi videri cernere eius animalis vel rei formam: quæ tamen reipſa longe eſt diuerſa. Neque vero mirum dæmonis hoc artibus poſſe effici quod etiam naturaliter nō raro fieri ſolet, vt in phreneticis, aut atra bile laborantibus, vel etiam vino oppreſsis eſt manifeſtum: qui ea ſibi audire aut videre fingūt, quæ nec audiunt nec vident. De vinolentis elegans eſt apud Cœlium Rhodiginum ex *Athenæo* transſcriptum exemplum. Agrigēti domus *fuit*, inquit, cui cognomen, *Triremis*, ab euentu tali. Adoleſcentes aliquot (*Taurominitani*) illuc conuiuium hilarius agitabant. Mox vti aſſolet, quum incaluiſſent vehementius, ita decuſsi mente ſunt, itaque externati, vt in triremi ſe opinarentur cōſtitutos, marique altius vndabundo, hyemem ingruere atrocem. Proinde, velut naufragium veriti, tamquam egeſtis quæ intus forent, nauigium facturi leuius, vaſa omnia & quidquid mero feruidis occurrebat, in viam, ceu in mare, feſtinantius iactare adorti ſunt, accurrentibus hinc inde qui proiecta diriperēt. Inſequenti die vbi adfuere magiſtratus, factum arguentes, quum illi necdum ſatis edormiſſent, reſpondêre, ſe metu mortis præoptaſſe quæ in naui forent diſperdere, quá fluctibus deuorari. Admirantibus mentis ſtuporem vniuerſis, qui inter eos videbatur natu grandior: Ego, ô viri Tritones, inquit, præ formidine

Imaginationis vis: & quomodo peruertatur.

Vinolentia phantaſiæ corruptrix

infra

infra thalamos me conijciens, in imo iacui. Quúque amplius delirare animaduerterentur, dimittuntur ab ignoscēte magistratu, commoniti modo grauius, cauerent in reliquum inuitationem eiusmodi brutalem. At illi velut gratiam fatētes: Si, inquiunt, seruati ex tam procellosis vndis portum fuerimus assequuti, inter marinos Deos vobis, ô Tritones, vt seruatoribus in patria statuas surrigemus. Tantum vinum potuit: nec minus atra bilis & mania in his qui sequuntur. Fuit qui nasum tam grandem habere sibi persuaderet, vt cubilis fores ad efferendum eum nimis angustæ viderentur. Increpitus & irrisus, quum à sententia dimoueri non posset; accersitur chirurgus, homo versatilis, & omnium, quod dici solet, horarum. Assidet, condolet, consolatur: depromto scalpro, remediū sibi in parato esse dicit, sine dolore. Præbēte nasū melancholico, chirurgus frusta pulmonis bubuli, cultro admoto, manu occultata, quasi recēs abscissa ante pedes ipsius abijcit: quibus visis, paullatim cū phantasia nasus ille prægrandis, ita decorticatus, ex ægri quoque oculis euanescere cœpit. Mortuum alius se existimauit, atque ita existimauit, vt nec cibum nec potū capere vellet. Perijsset inedia homo, nisi pari industria vitæ eius esset succursum. Apponitur ei alius, itidem mortuum se simulans. Hic paullo post surgit, cibosque eum in vsum allatos manducare incipit. Miratus alter, Heus tu, inquit, quid ita tuburcinaris? An etiam mortui comedūt? Nescin' tu hoc? inquit ille. immo suus quoq; vmbris est cibus. Atque en tibi; si placet, gusta. Enimuero, inquit alter, numquam hoc putaram: sed quoniam

Nasus phantastici.

Mortuus phantasticus, & eius cura.

am ita eſt, age conuiua tuus eſſe non recuſo. Ita diſcuſſa cibi ac vini calore mentis nubecula, homo ad ſe rediјt. In alio eadem imaginationis vis, ſed aliquanto vehemētior fuit. Nam & hic mortuum ſe omnino perſuaſum habebat, neque tantum à cibo & potu abſtinebat, ſed etiam importune parentes atque amicos vrgebat vt antequam totus computreſceret, ac fœtore omnibus grauis eſſet, ſepulcro conderetur. Ex medicorum conſilio imponitur ſandapilę, effertur. Interim in via quidam ſubornati, cuius funus id eſſet, rogant. Audito nomine, Euge, inquiūt, benefactum, quod homo nequam totque ſceleribus coopertus tandem viuendi ſimul & flagitia deſignandi finem fecit. His auditis, commoto animo, & capite aliquantum eleuato, Oh bipedum, inquit, nequiſsimi: equidem ſi tam viuerem quam mortuus ſum, melius vos de homine innocente loqui docturus eram. nunc impune id facitis, quia à mortuis nihil periculi vobis eſſe ſcitis. Heic illi multo procaciora dicta iactant: nec cum viuis tantum, ſed etiam cum mortuis decernere paratos. Quod phreneticus efferueſcente bile ferre amplius nequiens, è ſandapila proſiliјt, & conuitia non dictis ſed pugnis refellere incœpit, donec totus laſſus, alteratis corporis humoribus velut è longo ſomno euigilauit, & domum reductus, ac cibo & potu refocillatus, priſtinam tam corporis quam animi ſanitatem recuperauit. Non multos ante annos Ticini presbyter fuit, in quo tāta fuit imaginationis veſania vt Cardinalem Borromæum ſe eſſe putaret. Die quadam quum in eccleſia cathedrali tabulatum eſſet erectum, & in eo ſella, ad Car-

Alius mortuum ſe credens, quomodo ſanatus.

Presbyter Cardinalē Borromaū ſe eſſe credit.

ad Cardinalis vſum collocata: bonus noſter ſacerdos lutoſis calceis & pallio bene ſordidato magnifice ſe inferens, in paratam ſibi, vt putabat, ſedem ſe confert, ſe Cardinalem Borromæum eſſe dictitans: & quamuis circumſtantes monere non deſiſterent vt loco cederet, abigi tamen prius non potuit, quam pugnis probe contuſus, & vi inde eſt abſtractus. Sed hæc minus mira præ illis, quod quidam gallus gallinaceus, alius melo, alius milij granum, alius denique aliud ſibi eſſe viſus eſt. Poſſunt igitur dæmones omnia quæ natura poteſt, actiua paſsiuis immenſa velocitate applicando, efficere; non tamen vllam rerum mutationem, cuius naturales non ſint cauſæ: qualia illa ſunt, cæco nato luminis vſum reſtituere, hominē in veram beſtiam transformare, mortuos in vitam reuocare, & ſimilia multa. Vnde apparet qui ſupra ab AEſculapio ſanati dicuntur, vere cœcos aut loripedes non fuiſſe, ſed tantum ita viſos eſſe. Eodem modo credibile eſt Ilo, quod Palladium cœlitus (ita credebant) demiſſum è templo Mineruæ incenſo abripere conatus eſſet, ab impuris ſpiritibus glaucoma aliquod ob oculos obiectū, vt cœcus videretur; at eidē poſtea quum Palladiū reſtituiſſet, depulſo glaucomate, oculorum vſum integrū fuiſſe. Pheronē Seſoſtris filiū lumine priuatū, Herodotus ſcribit ab oraculo iuſsū Heliopolitanorū Deū placare; deinde mulierē quærere, quę nullū aliū virū nouiſſet quā maritū, cuius lotioſi oculos abluiſſet, viſū eſſet recuperaturus. Longe lateque facta per vniuerſum Aegypti regnū indagine, diu nullā illibatæ pudicitię inuenta, prętervnā olitoris cuiusdāvxorē: cuius aqua ablutis regis oculis, confeſtim caliginē ab eis depulsā

Ili cæcitas, & eius cauſſa. & cura.

Item Pehronis.

atque

atque ex eo recte oculis regẽ vti rursus cœpisse: sed mulierũ impudicitiæ Pherona iratum, omnes pro remedio ante conquisitas, atque hoc experimento adulterij conuictas, in pyram conijci & comburi iussisse; illam vero per quam sanatus fuerat, vxorem duxisse. Post hæc Deo, vel potius dæmoni Heliopolitano sacrificasse, in eiusque honorem è saxo viuo duos obeliscos octonûm cubitorum latitudine, & centenûm longitudine exstruxisse. Alterius cuiusdam sacrificij mentionem facit Diodorus Siculus, Geryoni & Iolao à pueris apud Leontinos fieri soliti: quod qui neglexerant, cæcitate, membrorum contractione alijsque morbis percutiebantur; sed sacrificio rite peracto, sani rursus & validi inde discedebant. In Castabali, si Strabo fidem meretur, templum fuit Dianæ Persicæ, cui dicatæ virgines super prunis ardentibus illæsæ ambulabant. Idem ait ad radicem montis Soractis oppidum esse, Feroniam nomine, ac templum eiusdem nominis Deæ consecratũ, multisque cæremonijs augustũ. inter alia & hoc esse, quod omnes sacræ ibi virgines impune carbones ardentes calcent. Alia multa Genij hi siue dij domestici apud antiquos mirabilia effecisse perhibentur; omnia eum in finẽ vt pro dijs haberentur & colerentur. Nam & vera multis responderunt, & fidentes sibi in rebus aduersis adiutarunt, & contemtores suorum simulacrorum vlti sunt. Ab his Aristides Smyrnensium prætor instante grauissimo terræmotu, sub AEsculapij figura admonitus fuit vt in montem Atim concederet, ad sacrum ibi faciundum. Vix abierat Aristides: quum ecce terra ita tremere ac concuti

Diod. Sic. lib. 5 Geryonis sacrificium

Diana Persica.

Dea Feronia.

Aristides terræ motus periculum effugit

concuti cœpit, vt ne vna quidem domus tota illa regione integra manserit; solus vero mons Atis ab illa calamitate fuerit immunis. Expugnatis Veijs, Camillus, vt Plutarchus & Liuius scribunt, conuocatis multis artificibus Iunonis simulacrum sacro prius facto, precatus est, vt populo Romano propitia esse, secumque Romam ad inhabitandum concedere, & huius suæ voluntatis signum aliquod dare vellet. Tum simulacrũ non modo Camillum brachijs circumplexum, verum etiam his verbis alloquutum esse: Romam veniam, teque lubens volens sequar. Pana Athenienses diuinis honoribus coluerunt, quod ipsorum legato Philippidę in Parthenia sylua occurrens, in pugna Marathonia Atheniensium res se adiuturum dixisset. Mithridate Cyzicum obsidente, die festo Proserpinæ vacca nigra, quæ cum alijs Cyzicenorum armẽtis in vlteriori maris litore pascebatur, in hostiam prædictę Proserpinæ destinata, relicto grege sola in aduersum litus enatauit, atque ea ipsa hora qua Deæ sacrum fieri debebat, commodum se obtulit. Id pro indubitato fausti exitus omine ciues acceperunt: nec spes eos fefellit, Mithridate non multo post cum exercitu fame plusquam dimidia parte mutilato, re infecta, in Bithyniam reuerso. Cleomene Spartanorum rege Iunoni sacrificante, ac de futuræ cõtra Argiuos expeditionis euentu sciscitante, è pectore simulachri flamma emicuisse dicitur: quod haruspices ita interpretati sunt, non voto suo integre potiturum Cleomenem, sed vrbem tantũ capturum atque incensurum, non vero arcem, quæ caput erat. Narrat Turpinus Rhemensis, in litore

Iuno Veientana.

Pan cur ab Atheniensibus cultus.

Cyziceni obsidione liberati.

Cleomenes Spartanus.

litore maris ad Gades saxum fuisse antiquissimum, subtili opere incisum, subtus latum & quadratũ, fastigio vero in pyramidis modũ acuminato, cui ęrea statua hominis magnitudine fuerit superimposita, vultu ad Austrum conuerso, manuque dextra clauem prægrandem tenente. Hanc Saracenos dixisse à Mahumete ibi esse collocatam, eique custodiæ caussa integram Geniorum siue Larium legionem adiunctam; addito vaticinio, eo anno clauem ex idoli manibus casuram quo in Gallia rex natus fuerit qui totam subiugaturus sit Hispaniam. Delapsa claui, ac humi inuenta, Saracenos statim defossis in terram thesauris, fugam arripuisse: atque inde idolum illud tamquam futurorum præscium venerabile semper Saracenis mansisse. Iidem dæmones Romæ sub Vestæ nomine adorati sunt: & quo addictiores cultui idololatrico haberent Romanos, effecerunt vt Tuccia Vestalis, ad diluendum cuius accusabatur crimẽ, aquam cibro haustam in Vestæ ædem pertulerit: & Claudia de eadem societate virgo, debili zona nauim, quę Matrem Idæam siue Cybelem vehebat, sine vlla alia humana ope aduerso Tiberi in vrbem pertraxerit. Hercules, vt Pausanias refert, quum ab Eleis muscarum examina, quæ totam illam regionem insederant, depellere non valeret, victimam dæmonum alicui immolauit: quo remedio abactis muscis, templum in honorem maledicti dæmonis, quem lingua Elea Apomion, id est, muscipetdam nominauit, erexit, cui deinde quotannis Elei sacrum solẽne fecerunt. Annibal atque Amilco A-

Tuccia vestalis. *Claudia vestalis.* *Paus. lib. 5.* *Apomius.*

co Athenienſium duces Agrigentum obſidentes, milites ſepulcra omnia demoliri, & ex eorum ruderibus congeſtis propugnacula ſibi aduerſus muros ciuitatis facere iuſſerant. Id quum impigre milites exſequerentur, & iam pulcherrimi operis Mauſoleo in quo Theron cõditus erat, manus admouerent: ecce ſepulcrum de cœlo tangitur, ſine dubio eorum qui in illo erant geniorum ſiue dæmonum operatione: vnde perterriti milites, præpropere aufugerunt. Nec his contenti dæmones, peſtilentiſſimam luem caſtris immiſerunt, qua & magna exercitus pars conſumta, & ipſe Annibal eſt extinctus.. Quare anxius Amilcar, ad placandam iram dæmonum Saturno infantẽ immolauit, Neptuno vero propitiando ſacerdotes aliquamultos in mare demergi iuſſit, abominabili, ſed ſpiritibus hominum oſoribus grato ſacrificio vſus. Et quid non peſsimi cacodæmones, quà vi, quà fraude, moliti ſunt, vt vero Dei cultu abolito, ſe adorandos hominibus præberent? Longum ſit omnia prodigia, oſtenta, minas, falſa miracula, calamitates & innumera mala referre, quibus Dei permiſſu, ad horribiles ſtabiliendas idololatrias, homines terruerunt atque afflixerunt. Pegaſo imagines Dionyſi ex Eleutheris Bœotiæ ciuitate in Atticam regionem portante, Athenienſes Deum (ſi Dijs placet) neglexerunt, neque, vt mos erat, cum pompa acceperunt. Quare Deus indignatus morbo longe omnium grauiſſimo inguina eorum infeſtauit. Conſulto oraculo quo pacto liberari poſſent; Deo, ſcilicet, à Pegaſo apportato tem-

Sepulcrorũ deiectio punita.

Natalis Comes li. 5. cap. 13.

templum ædificare, & sacra facere iussi sunt: qui cultus idololatricus per multa sæcula inde durauit. Refert Athenæus, quum Iapitarum duces Deos domesticos è templis sustulissent, dicterio addito, potentioribus loco cedendum; ignem cœlitus delapsum ita eos perterruisse, vt nō modo signa ablata reposuerint, sed etiam maiori quam vmquam antea honore sint venerati. Epidaurij quum sterilem terram diu essent experti, de remedio oraculum consuluerunt. responsum est à Pythia, Damiæ & Auxesiæ simulacra, non ex ære aut lapide, sed è ligno oleagino erigenda. Rogabant igitur Epidaurij Athenienses vt sibi liceret oleam in terra ipsorum incidere. Id concessum, hac tamen lege, vt quotannis sacra Mineruæ vrbanæ & Erechtheo offerrent. Paullo post ea simulacra Epidaurijs ab AEginetis erepta sunt: vnde Epidaurij quod pacti erant postea Atheniensibus soluere recusarunt. Moniti, ab AEginetis qui statuas illas haberent, quod conuentum erat repetere Athenienses iubent. AEginetæ nihil sibi cum Atheniensibus rei esse, dicere. Quum tamen ad publicā res ea videretur pertinere iniuriā: missam ab Atheniensibus triremem aiunt cum ciuibus quibusdā: qui AEginam quum venissent, simulacra tamquam è suis lignis facta, conati sint sedibus suis emoliri, vt absportarent: quumque eo pacto auferre nequirent, circumdatis funibus trahere tentasse. Sed dum trahunt, tonitrum, & cum tonitruo terræmotum extitisse; eaque de re illos remiges qui trahebant simulacra, in amentiam esse conuersos; & ex hoc morbo sese tamquam hostes mutuo trucidasse, donec

Athen. lib. 12. cap. 7.

Hero lib. 5.

donec vnus tantum ex omnibus relictus sit. Addunt, simulacra illa dum traherentur, in genua procubuisse, atque ex eo tempore semper genu nixa mansisse. Artabazum Persarum ducem, eo quod Neptuni statuam contumeliose habuisset, maris insolitò tumescentis fluctibus cum suis fere omnibus absorptum, idem Herodotus testatur. Quam acer numinis sui, scilicet, vindex Apollo? qui Carthagine à Romanis oppressa & direpta, veste aurea nudatus, id egit vt manus eius qui eam abripuerat, inter fragmenta abscissæ inuenirentur. Nec impune Q. Fuluius Flaccus malos hos Spiritus lacessiuit, quum tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ tẽplo in ædem Fortunæ equestris transtulit. Negatur enim, inquit Valerius Maximus, post hoc factum mente constitisse: quin etiam per summam ægritudinem animi exspirauit, quum ex duobus filijs in Illyrico militantibus, alterum decessisse, alterum grauiter audisset affectum. Cuius casu motus senatus, ilico tegulas reportandas curauit. Sic quoque Milesia Ceres, ex hac Geniorum siue Larium classe dæmon, Melito ab Alexandro capta, milites qui spoliaturi templum irruperant, flamma obiecta priuauit oculis. Sibaritæ, vt apud Pausaniam est, occiso ad Iunonis aram, qui salutis caussa eo confugerat, citharœdo, paullo post riuulum sanguinis è templo profluentem conspexerunt. Vnde vehementer consternati, Apollinem Delphicum super hac re consuluerunt, qui in hunc modum respondit:

Herod. li. 8

Val. Max. lib. 1. cap. 1.

Val. Max. lib. 1. cap. 2

Pausanias.

Cede meis mensis. manibus nam sanguis adhærẽs
Destillansq; recens, probibet tibi limina templi.

Non tibi fata canam: magnæ Iunonis ad aram
Musarum innocuum strauisti cæde ministrum.
Non immortales hoc Dij patientur inultum.
Si quis enim prudens scelerata è mente profectũ
Committat facinus, grauis hunc pone pœna sequetur:
Non exorabit, nec si genus ab Ioue summo
Duceret. ipse suo collo collisque nepotum
Hoc luet, & generi cumulatim damna sequẽtur.

Nec vanæ fuerunt hæ minæ. Non enim modo post Sibaritæ cum Crotoniatibus bellum gerentes, victi & ad internecionem fere cæsi sunt; sed eorum etiam ciuitas funditus est euersa. In monte Haleso prope Mantinæam templum fuit Neptuni Equestris, à cuius ingressu *funiculus* è lana per transuersum extentus omnes arcebat. Eum quum Epitus Arcadię rex contemtu quodã rupisset, atque in templum esset ingressus: subita aquæ marinæ scaturigine oppressus fuit atque extinctus. Id delubrum quum postea Adrianus Imperator restauraret, architectis custodiã apposuit, quæ prohiberet ne quisquam in vetus templum oculos inferret, aut vel minimum saxum loco moueret. Simile quid de Iouis Lycei fano in Arcadia legitur, neminem scilicet qui inuito & contemto illo idolo eò ĩgressus sit, annum superuixisse. Aliud in Achaia Eumenidum fuisse templum perhibetur, quò si quis scelera-tus pedem intulisset, statim ab ipsis furijs infernalibus obsessus fuerit & cruciatus. Suidas genij cuiusdã Anagirasij nomine meminit, à loco quodam Atticę regionis ita dicti: aitq́ue senem fuisse qui lucum huic consecratum, cæsis quibusdam lignis

Neptunus Equester.

Iupiter Lyceus.

lignis, violauerit, ſed graues eo nomine perſoluerit pœnas. Iratus enim dæmon concubinam ſenis inſtigauit, vt filium eius vnum vnicum ſtupri ſibi intentati accuſaret. Cuius rei indignitate commotus ſenex, filium de feneſtra præcipitauit; ipſe dein ex arbore ſe ſuſpendit, meretricula vero in furorem verſa, in puteum ſe præcipitauit. Ita miſerabili trium interitu dæmon nomini ſuo honorem quęſiuit & venerationem. Numa Pompilio regnante grauis peſtilētia Romam valde afflixerat. Eam occaſionem ſuperſtitionis amplificandę arripiens cacodæmon, Pompilio magicæ artis, vt ſupra quoque diximus, gnaro, ancile æneū quaſi cœlitus demittit: quod ille tamquam ab AEgeria Nympha ceteriſque Camœnis, ad ſalutem vrbis ſibi miſſum, in templo ſuſpendit, AEgeriæ dedicatum, additis vndecim ſimili forma alijs, ita vt dignoſci non poſſent, ne cœleſte illud, ſcilicet, ab improbo aliquo ſurriperetur. vt vero congreſsibus ſuis, quos cum AEgeria & ceteris Nymphis habere ſe ſimulabat, colorem quæreret, templum illud in loco pratis viridantibus vndique cincto, exſtruxit. Remittente dein morbo, dici non poteſt quantum incrementi ſumſerit ſuperſtitio. In Halicarnaſſo quoties Ioui Aſcræo ſacrum fiebat, caprarum grex vltro adueniens conſpiciebatur: è quibus vna, finitis cæremonijs, nemine ducente ad aram ſe ſiſtens, à ſacerdotibus immolabatur. In Bæotia ijdē mali genij alia verſutia diuinitatis titulum affectārunt. Erat in templo Cereris Herculis ſimulacrū: ad cuius pedes omniū fructuum primitiæ abiectæ, per totum annum virides at-

Ancilia.

Iupiter Aſcræus.

Herculis ſimulacrum.

que incorruptæ seruabantur. Quam rem diuinitatis certissimum esse indicium, stulta credidit gentilitas; ac propterea Herculem diuinis honoribus est prosequuta. Cælius ait, in Daulia templum fuisse Mineruæ, in quo canes (dæmones potius dixeris) Græcis Mineruam adorantibus blanditi fuerint, econtra barbaros cultum illum aspernantes, allatrarint. Cuiusnam opera illud effectum dicemus, quod templum Herculis in foro Boario Romæ positum nec canes, nec muscas tulit, vt & Achillis ad Borysthenem nullum volucrum genus? Persas, quos in Græciam Xerxes adduxerat, quum ad Mineruæ aram, quæ ante Apollinis Delphici erat ædem, propius accessissent, fulmine percussos, & duorum iugorum è Parnaso abruptorum ruina oppressos Herodotus testatur; etiã sibilos è templo & horribiles vlulatus perceptos, quibus hostes territi & in fugam acti, deinde ab incolis oppressi, & magno numero occisi fuerint, ijs qui superfuerant ægrè in Bœotiæ interiora se recipientibus. Hi deinde duos sibi heroas maximis equis insidentes visos narrarunt, Philacona scilicet & Autonoum, hastas manibus tenentes, & fugientibus instantes: quorum narratio mirum est quantum superstitionem auxerit. Quum bello Sabino Romani portã, quę sub radicibus collis Viminalis erat, quæ postea ab euentu Ianualis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes irruebant; postquam est clausa, mox sponte patefacta est: quumque iterum ac tertio idem contigisset, & Romanis aduersi prœlij à suis commissi terrore fugientibus Sabini instarent: fertur ex æde

Hercul. fanum in foro boario.

Minerua Persas percussit.

Herod. lib. 8

Philacon & Autonous genij.

Porta Ianualis Macrob. lib. 1 Saturn. c. 9.

adelani per eam portam magnam vim torrentium vndis scatentibus erupisse, multasque perduellium cateruas aut ex æstas feruenti aqua, aut deuoratas rapida voragine deperijsse. In Diomedea insula, quæ non procul à Gargano Apuliæ monte abest, Augustinus affirmat in Diomedis templo aues esse, vel dæmones potius in forma auium, quæ oblongo rostro templum orandi caussa ingressuros aqua aspergant; sed easdem vbi barbarum aliquem eius superstitionis contemtorem aspexerint, continuo horribilem stridorem edere, atque in caput & oculos inuolare, etiam occidere nonnumquam. In Russia orientali messis tempore sub ipsam meridiem malum quemdam genium viduæ lugentis habitu per agros obambulantem conspectum esse, & ab eodem eis qui non statim proni ac supplices venerarentur, brachia & crura confracta esse, ferũt. Sed quid multa? Nihil profecto his Spiritibus de quibus loquimur, impurius, nihil sceleſtius, nihil humano generi infestius. Continuum enim bellum cum Deo gerunt, dum quod illi soli debetur, sibi vindicant, eiusque loco adorari volunt: non quod ignorent æquum esse vt creatura creatori seruiat & subiecta sit: sed quod tãquam rebelles, in æternum à diuina gratia exclusi, hominem in idem crimen atque exitium pertrahere nitantur. Sed quanto maior est ac semper fuit horum cacodæmonum astutia ac crudelitas; tanto magis conspicua in ijs per patriarchas & prophetas refrænandis ac destruendis Dei semper fuit misericordia erga homines & benignitas. Et quamquam populus Israeliticus

Aues Magicæ.
Aug. li. 18. De ciuit Dei, ca. 16.

Spectrum meridianũ

multis peccatis Deum subinde offenderit, nullũ tamen grauius fuit ex omnibus quam idololatria, quod & acerbissimis pœnis vindicauit. Salomon rex postquam iam senex ad Deos alienos se conuertit, & Astarten deam Sidoniorum, & Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum coluit, eisque fana & aras exstruxit, scissum est regnum eius, & datum seruo eius, vnica tribu penes Roboamum filium relicta: sed neque hęc pars ei mansisset, nisi Deus hoc precib. animæ Dauidis, carissimi serui sui dedisset. Similiter Ochozias rex Samarię quũ idololatria se polluisset, morbo à Deo percussus est: sed quũ ne sic ad verum cultũ rediret, immo etiã ad Beelzebub Accaronitarum idolum legatos misisset, qui de morbi euentu sciscitarentur: Elias à Deo missus est qui mortem ipsi denunciaret his verbis: *Hæc dicit Dominus. Quia misisti nuncios ad consulendũ Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonẽ; ideo de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris*, &c. atque ita factum est. Sic quum populus Israeliticus Moabitarum deos adorasset, Dei ira iustissima ita exarsit, vt ad viginti quatuor hominum milia occisi sint. Et quemadmodum nulla Deo maior gloria dari potest quam si solus adoretur & diuinis laudibus celebretur; ita nihil in eundem fieri potest contumeliosius quam si qui soli ipsi debetur honos, malignis his spiritibus attribuatur. Hinc omnibus sanctis qui post Christum ecclesiam Dei in terris plantarunt, præcipua illa cura fuit, vt idola illa quæ miseros populos sub Deorum domesticorum

Salomõ ad idola conuersus.

3. Reg. 11.

Ochozias idololatra

4. Reg. 1.

Num. 25.

sticorum aut tutelarium nomine oppressos tenebant, destruerent ac proculcarent. Sic Iacobus Apostolus magnam eiusmodi cacodæmonum multitudinem ab Hermogene ad se missam colligasse atque exarmasse legitur. Sic Bartholomæus Apostolus idolum Astaroth in India, vbi diuini verbi sementem faciebat, destruxit; idque omne, quod hactenus ἀλεξίκακον idolum id creditū fuisset, merum esse figmentum ostendit. Sic Philippus Apostolus virtute Spiritus sancti effecit vt Tartari ipsi solis statuam, in qua dæmones adorabantur, deiecerint. Effecit enim vt horribilis inde draco egressus, filium pontificis, qui ignem ad sacrificium adolendum portabat, cumque eo duos tribunos prouinciæ rectores occiderit, ac vniuersum fere reliquum populum in templo præsentem pestifero infecerit afflatu. Quare detecta idoli turpitudine, populus ab errore reuocatus, simulacrum ipse euertit; & in vitam à D. Philippo reuocatis ijs qui à dracone occisi erant, Christianam religionem suscepit. Sic Simō & Iudas Apostoli Varadæ summi à Xerxe militiæ præfecti idola ita constrinxerunt, vt plane obmutuerint. Concessa deinde rursum eis loquendi potestate; facile fraus & vanitas patuit. Sciscitante enim Varada de belli exitu, ab idolis responsum fuit, in longum id ductum iri, & vtrique parti fore calamitosum. econtra Apostoli, irrisa idoli vanitate, Indorum legatos in via iam esse dixerunt, terram omnem à se occupatā restituere, ac quibus Varadas vellet conditionibus pacem facere paratos. Quod quum ita euenisset, Varadas

S. Iacobus.

Bartholomæus.

Philippus idolum euertit.

Et Simon & Iudas.

das omnia idola in ignem conijci & concremari iussit, idem centum & viginti sacerdotibus facturus,, nisi Apostolorum precibus eos condonasset. In territorio Vicetino mons est altissimus, Sumanus olim & nunc etiam appellatus, in quo Apostolorum temporibus itidem idolum fuit eiusdem nominis, ad quod ex vniuersa tum Italia ingens hominum erat concursus, tam ob responsa quæ ibi dabantur, quam præstigias quæ quotidie fiebant. At S. Prosdocimus, primus Patauij episcopus, prædictum simulacrum deiecit, inque locum eius ecclesiam B. Mariæ sempervirginis honori dedicauit; quam hodieque vniuersa Insubria frequens adit, & religiose veneratur. Sed iam hac de re satis, credo, multa diximus. Si enim omnia conquirere velimus quę tam in sacris quam in profanis libris de his Spiritibus eorumque operationibus perscripta sunt: equidem caput hoc ipso libro prolixius futurum erat. Quare his contenti, ad alia properamus.

Sumanum idolum proculcatum.

De ijs terrestribus spiritibus qui Spectra, Alastores, dæmonia meridiana, &c. dicuntur: vbi iterum varia exempla.

CAPVT IX.

Spectra.



PECTRA maligni sunt & truculenti admodum spiritus, eis quibus apparēt nihil ferè nisi ruinam, stragem, excidium, mortem atque exitium apportantes, Hinc *Alastores* dicun-

dicuntur,& ab Origene contra Celſum *Azazel*, à Zoroaſtre *Carnifices*. Ἀλάςορας quidam dictos volunt, quod nihil eos ſcelerum lateat, ὅτι οὐκ ἔςι λαθεῖν: alij, quia nihil eos fugit aut latet eorum quæ Deus permittit perdere ac deſtruere. Credibile eſt id genus eſſe ſpirituum, quod in Apocalypſi *Exterminans*, Græce ἀπολλύον, Hebraice *Abaddon* nominatur: quibus trium linguarum vocibus ſignificatur dæmon cuncta corrũpens ac deſtruens. *Hecaten* antiqui finxerunt triuiorum & quadriuiorum præſidem, triplici facie, dextra equi, ſiniſtra canis, media feminæ. hanc cenſebant ſpectrorum immittere terriculamenta, illaque aduentante,& ſolum tremebat,& tedarum fulgur cernebatur,& canum quibus vndique cincta erat, terribiles vlulatus & latratus audiebantur. Pauſanias nobis deſcribit dæmoné quemdam, *Eurynomum* nomine, longis & prominulis dentibus, & corpore liuido ac cadaueroſo formidabilem, pelle vulpina veſtitum, cadaueribus mortuorum veſci ſolitum, eaque ad oſſa vſq; deuorantem. Sacra ſcriptura meminit etiam *dæmonij meridiani*: quod ſcilicet latenter & palam, vt Chaldæus Paraphraſtes & Origenes volunt, ſed noctis potiſsimum & meridiei tempore homines aſsiliat ac perdere nitatur. Sic enim Origenes: Sicut enim in noctis tenebris, ſic ſimiliter in medio meridie pluriores horum dæmonum tentationes ſe demonſtrant quam ceteris temporibus. Id antiqui è filiorum Iobi exemplo manifeſtum eſſe dixere; qui tempore meridiano, ſub ipſam horam prandij ſcilicet, domus ruina à diabolo

Hecate.

Eurynomus.

Dæmon meridianus.

bolo oppreſsi ſint. Alij hoc, vt Nicetas & Theodoretus, ad tentationes ſpirituales, luxuriam potiſsimum & acediam transferunt, quod duo hæc peccata maxime vrgeant hominem plenum ac cibis diſtentum. *Empuſam* cum dæmonio meridiano Ariſtophanis interpres confundit, quæ in omnes formas ſe vertebat. fiebat enim, vt Epicharmus ait, planta, bos, vipera, lapis, muſca, femina.

Empuſa.

Memorabile exemplum eiuſmodi transformationis à Gaguino Francicarum rerum ſcriptore eſt proditum; Philippo Bello rege quendam laicum ſiue conuerſum (vt vocant) monaſterij vallis Sarnariç, nomine Adamum, paullo ante Natalitia feſta ſummo mane ad monaſterij negocia peragenda vnà cum famulo ſe in viam dediſſe *equitē.* ei ſe in via offert arbor ingens gelu & pruinis obſita, ad ipſum properans, quaſi conferre gradum & corpus cupida. equus pauefactus caput retrorſum flectit, & viam remetiri quam peregerat conatur. Adamus ingenti labore iumentum retinet, & calcaribus porrò cogit. propinquior vt arbori fuit, illa confeſtim euanuit ex oculis, odore tætro ac ſulphureo relicto. Argumentum inde ducit Adamus, dæmonicum eſſe ſpectrum, ſeque Deo precibus commendare ſatagit, *nec iter* intermittit. Paullo poſt reſpiciens, nigrum quemdam videt virum equo inſidentem ſpadici, ſe ſubſequi. Cui ſub iratus, Quomodo, *inquit, infelix* & damnate, audes me his technis aggredi? an neſcis fratres meos qui domi ſunt, pro me ſaluteque mea ſupplices ad Deum preces fundere? abi quantum potes. nulla tibi mei curatio, *nihil* in me poſsides. Abit malus: ſed ecce mox *redit, ſi*milis

Spectrum monachū aſſilit.

ilis viro gracile & protensum habenti collum. Adamus, tot molestias pertæsus, gladium qui ad ephippium ligatus, stringit, & ense ter quaterque per aerem vibrato, aereque propter celerem divisionem sibili sonum edente, conatur abigere spectrum. hoc vero subito personam mutat, & sistit se statura mediocris viri, cui caput cappa, & scapulario monachi corpus indutum, oculi scintillantes instar chalybis vel æris radijs solaribus oppositi. Adam punctim aliquoties hostē petit, sed irritis & cassis ictibus, aere cedente. Tum maiore despectu & irrisione dęmon induit formam asini. Perterritus famulus, hero suadet gladio circulum in terra ducere, & in circuli medio dominicam crucem efformare. Adamus consilium exequitur: verum veterator non desinit. Mutat auriculas asini in cornua, & sic minabundus in circulum irrumpere se velle simulat. Denique lusus iam satur, in rotam se vertit, & se ipsum voluens, monachum inuadit, superque illum continua lapsus rotatione (sic videbatur) transit circulum, & monacho prorsus illæso, conspectum fugit. Fidē rei fecere longa famuli, terrorem consequuta ægritudo, & diuturnus fœtor vestium Adami, & raucedo eiusdem atq; difficilis respiratio, à quibus ęgre conualuit; equi denique subita mutatio, qui ex mansueto & cicure, post visionem hanc ferox, sternax, & calcitrosus esse cœpit. Porro spectrorum apparitionem plerumque futurę alicuius cladis prenunciam esse, non scriptores tantum, sed experientia quoque testatur. Iustiniano imperium moderante spiritus palam conspecti sunt humana forma hominibus se applicantes. Sequu-

Spectrorū apparitio ominosa.

Sequuta est pestilentia vehementissima, quod quotquot ab illis tacti fuerant, interierunt. Constantinopoli Anno DCLIV. quo contagiosa lue vrbs illa pæne euacuata fuit, singulis noctibus, Paullo Diacono teste, populus spiritum eiusmodi vidit media nocte cum angelo plateatim atque etiam ostiatim circumeuntem: aitque idem scriptor, quot ictus vnicuique ostio spectrum illud iubente angelo inflixerit, tot homines ea nocte ea in domo exspirasse. Nec vero in vniuersum omnibus tantum, sed singulis etiam calamitates, mortes, aliaque tristia, spectra eiusmodi denunciant. Quale est illud quod de Alexandro Scotorum rege, eius nominis tertio ex Boethio scribit Cardanus. Is Ioannam Henrici III. Anglorum regis sororem in matrimonio habuit: qua sine filijs defuncta, Margaritam eiusdem regis filiam vxorem duxit, ex qua Alexandrum, Dauidem & Margaritam suscepit: quibus omnibus morte sublatis, rex non abiecta penitus hæredis successoris spe, Iolantam filiam Comitis Draconensis, (alij Campaniæ Comitem faciunt) tertio sibi despondit. Dum igitur noctu festum celebratur, videt sceleton, vel mortuum carnibus exutum in fine choreæ saltantem. Quod vbi à rege ceterisque est animaduersum, attoniti primum substitere: deinde omen auersati, non tunc solum, sed in posterum etiam nuptiales iocos dimiserunt. Eodem anno rex equo excussus, perijt: post cuius mortem graues sunt seditiones exortę. Aliud idem Cardanus recitat. Familia est, inquit, nobilis, ac inter primas Parmæ, Torellorum nomine. His castellum est, & in eo aula, in qua iam centum annis sub camino

Paul. Dia. lib. 19 Rer. Rom. & Sigeb. in Chron.

Spectrum mortis saltans.

Card. De rer. var. lib. 16.

Torellorũ familia spectro de morituris monita.

minoanus videri solet, quoties è familia aliquis biturus est. Referebat illustris & honoratissima matrona Paula Barbiana, quæ ex ea familia erat, quamdam puellam ægrotasse, visam anum, existimasse omnes illam morituram. at contra accidit. seruata enim est, sed alius incolumis è familia repētina morte sublatus. Paullo ante mortem Henrici VII. Imperatoris Mediolani in arce Matthæi Vicecomitis immani magnitudine equus armatus medio die apparuit. Post triduum eodem loco atque eadem hora duo equites armati conspecti sunt, & vnius horæ amplius conflictu edito, tandem magno spectantium pauore euanuerunt. Cassio Parmensi in lectulo iacenti spectrum apparuit, humana forma, ingēti statura, squallida barba, & horrentibus capillis. rogatus quis esset, Malus, inquit, sum genius. Territus Cassius, famulos inclamat, quærit ecquem viderint, intrantem atque exeuntem. Quum illi negarent; iterum in lectū se confert. adest rursus spectrum, visu multo terribiliori quam antea. Iterū familiam vocat, & lumen poscit; reliquum noctis inter curas & sollicitudines exigens. Vix diluxerat; quum ecce adsunt à Cæsare ad interficiēdum Cassium missi lictores. Idem Bruto contigisse, Plutarchus & alij testantur. Dion Syracusanus, dum medio die porticum transit, & magno audito strepitu, respicit, in aduersa atrij parte mulierem videt, infernali furiæ similem, ædes scopis verrētem. Pauefactus, amicos aliquot aduocat, visum narrat, rogās vt sequenti nocte manere secum vellent, ne spectro iterum terreretur. Eadem nocte filius Dionis casu è fenestra exanimatus;

Spectrum in arce Mediolanensi.

Cassij malus genius.

& Bruti. Dion spectro territus.

matus;

matus; ipse vero paullo post à Calippo occisus fuit. Druso consuli, in Germania bellum gerenti mulier humana specie augustior occurrisse dicitur, eumque his verbis compellasse: Quo vadis insatiabilis Druse? Quin tu quantocyus reuerteris. Nam & gloriæ tuæ & vitæ finis heic erit. Nec fefellit euentus, Druso paucos post dies vi morbi extincto. Alexander ab Alexandro mirabile quid, ab homine fide digno acceptum, narrat. Amicus huic fuerat & contubernalis, non ita pridem elatus. Hic Romā proficiscitur: ex itinere in cauponā diuertens, sumta cœna, in lectū se confert. Adhuc vigilanti, mortui amici species apparet, pallida tota ac horrida. Tremula voce quis esset, aut quid sibi vellet, roganti, nihil *spectrū* respondet: sed vestes subito exsuēs, quasi in lectum recubiturū se componit. Cōsternatus ille alter, & metu pænè exanimis in extremam spondā recedit, & iam iam accubantem pede impetit. Indignabundum spectrum è lecto desilit, & distortis oculis iacentem aspiciens, vestes resumit, ac rursus abit. Ille post hæc diuturno & graui oppressus morbo, parum à mortis periculo abfuit. Anno MDXXX. Iulij die XVIII. tres piscatores in Rhenum piscādi caussa prouecti, quū sine vlla captura ad mediā vsque noctē frustra laborassēt, tandem lotis retibus, & in litus deductis lintrib. somnū capturi se prosternunt. vix cōdormierāt, quū vnus à monacho, vel spectro potius sub habitu monachi, excitatur, rogante vt traijcere se vellet. Piscator satisfacere monacho cupiens, lintrē religat, & cum sex alijs qui interea superuenerant, in aduersam ripam exponit. Qui quamprimum

& Drusus.

Spectrū amico accubare conatur.

Spectrum monachorū piscatorib. apparet.

mum in terram descenderunt, nauicula statim velut turbine quodam quam velocissime ad alteram ripam est delata, vbi rursus alij ex eodem genere præstolabantur: quos quum itidē piscator traiecisset, ad stationē suā reuersus confestim in grauissimū incidit morbū. Sequenti nocte alter piscatorū etiam à monacho fuit expergefactus, cū quo dum orā legit, duodecim alios videt monachos, partim nigris partim albis cucullis indutos, alios oblongis nasis, alios aduncis, omnes truci ac formidabili aspectu. Piscator excusare se, nauiculā tantæ turbæ non esse capacem: vrgere monachi, propelleret tantū nauē, facilē fore traiectum. Et fuit quidem: sed piscatori naulū, grauis itidē morbus. Tertia nocte tertio piscatori simile spectrū offertur. cuius nauicula quum nimis esset angusta, visus ille sibi est in loca aspera, & mōtibus ac scopulis impedita delatus: vbi noua inuēta cymba, multos eiusmodi Spirituū traiecit. Quo facto, nauicula piscatoria aduerso flumine sponte subuecta, & ad pagum Kleebachum nō procul à Spira in ripā est exposita. Piscator totus mēte alienatus, domū fuit deductus, vbi paucos post dies diem extremum clausit. Spectrum hoc, quamquam paullum immutatis circūstantijs, eleganti carmine, grauioribus studijs hos ingenij lusus miscens, homo doctus descripsit: quod huc itidem ad lectoris animum recreandum, apponere visum est. Sic ergo canit:

Vrbs antiqua iacet celebri contermina Reno:
Vangionum longe non ea distat humo.
Nescio qui Nemetes hanc incoluisse ferantur,
Sunt ibi Francorum busta quaterna Ducum.

Cæsa-

Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,
Nomen ob id Graium, Spira vocata, tenet.
Hic humili modicis à stirpe parentibus ortus
Exiguæ quidam nauita puppis erat:
Qui calamo pisces, linoq; madenti e solebat
Fallere, iam radios sole tegente suos.
Is dum forte leues hamos, ac retia tractat
Non procul à ripa, lubrice Rhene, tua:
Ecce per obscuræ tenebrosa crepuscula noctis
Obtulit ignoti se noua forma viri.
Atro tectus erat Monachum simulante cucullo,
Vtque solent, raso vertice tonsus erat.
Nauta propinquantem consueto more salutans,
Ecquid agis seræ tempore noctis? ait.
Ille sub hæc, adsum longinquis missus ab oris
Nuncius, ipse tuo me rogo lintre vehas:
Vt cito transmisso contingam flumine ripam.
Dixerat, assumptum nauita lintre tulit.
Iamque ferè medios cursus nox atra tenebat,
Flexaque lenta pigri plaustra Bootis erant:
Cum procul in viridi venientes margine ripæ,
Quinque cuculligeros rursus adesse videt.
Exoptatque illis piscator vt ante salutem,
Quoque velint media pergere nocte? rogat:
E quibus vnus ait: Nos magna pericula cogunt
Obscura tutas carpere nocte vias.
Omnibus inuisi sumus, intentatq; nefandam
Sacrificis nobis turba profana necem.
At te si quis amor tangit, si cura piorum
Transuehe nauigio corpora nostra tuo:

Vt tu-

Vt tumidas lati supremus fluminis vndas,
Neue moraturis impediamur aquis.
Sic optata tuis fortuna laboribus aßit,
In tua sic multus retia piscis eat.
Annuit, & remo propellens nauita cimbam,
Mox iubet adducta scandere puppe ratem.
Sed mihi quis, dixit, soluet mercede laborem?
Alter ad hæc: nullas scis quod habemus opes.
Raraque percipimus discordi munera vulgo,
Non tamen ingratos nos habiturus eris.
Si nos in solido rursus fortuna locabit,
Prœmia pro tali digna labore feres.
Soluerat extremo piscator margine nauem,
Iamque fere medias illa secabat aquas.
Sidereas remouent subeuntia nubila stellas
Præcipiti fertur puppis, & icta Noto.
Incipiunt nigris horrescere fluctibus vndæ,
Sæuaque tempestas imbribus orta furit.
Ipse repentino fassus pallore timorem
Nauta. Quid hæc, inquit, vult noua causa mali?
Nulla tamen pluuiæ venturæ signa notabam,
Sol vbi flagrantes æquore mersit equos.
Nulla lacus vsquam circumuolitabat hirundo,
Vlla nec est oculis ardea visa meis.
Tum neq; luna nigro surgebat Pallida vultu,
Clarus & occiduo lumine Fœbus erat.
Talia iactanti disturbant verba procellæ,
Impediuntq; graues ora loquentis aquæ.
Penè procellosi subuersaq; turbinis ictu,
Nauis, & insanis fluctibus hausta fuit.

Ardua sublatas tendens ad sidera palmas,
A superis orans nauita poscit opem.
Quid facis? è Monachis ait vnus, & improbe dixit,
Desine voce tua sollicitare Deum.
Moxq; graui tollens immanem pondere contum,
Nauta parum felix, quo prius vsus erat;
Illius hoc humeros, pulsatq; terga fatigat,
Casus ad extremam dum fuit vsq; necem.
Proditus est tandem peruersi Dæmonis astus,
Detectusq; fuit, fraude patente dolus.
Vana recesserunt in inanes corpore ventos,
Mansit, & ingratus naue relictus odor.
Mox quoq; purgato fugerunt nubila cælo,
Et rediit pulsis aura serena Notis.
Territus hoc monstro, gelidum sine sanguine corpus,
Tollit & ad ripam nauita puppe redit.
Isthic in viridi procumbit languidus herba,
Donec ab Eois sol fuit ortus aquis.
Mane sub Oceanum pulsis Hyperione stellis,
Ducitur à puero prætereunte domum:
Omnia commemorans præsentibus æger amicis,
Clausit adhuc illo fata suprema die.
Postera cum croceis fulgens Aurora quadrigis,
Protulerat roseas ore nitente genas,
Accidit, & similis diuerso tempore casus,
Acta sed euentu res meliore fuit.
Summa procul radiis feriente cacumina Phœbo,
Carpebat solus mane viator iter,
Qui Nemetum postquam digressus finibus esset,
Primus vbi positus distat ab vrbe lapis:

Aduen-

Aduentare nigrum tecto velamine currum
Conspicit, hic monachis currus onustus erat.
Ordine quem iuncti septem traxere iugales,
Quarta sed ablato defuit axe rota.
Quique manu flexas auriga tenebat habenas
Terribili naso conspiciendus erat.
Attonitus curru stat prætereunte viator,
Nec monachos illos, spectra sed esse videt.
Euolat extemplo sublatus ad æthera currus,
Mixtaq; cum fumo flamma secuta fuit.
Tristis & infaustum belli mortalibus omen
Horrida per nubes arma dedere sonum.
Ille statim rediens, quæ viderat, indicat vrbi,
Est ea res certa cognita vera fide,
Hæc igitur vobis, alius quos sustinet orbis,
Carminibus duxi significanda meis.
Expositurus eram si res interprete egeret,
Spectra quid infesti Dæmonis illa velint.
Effera Germanos agitat discordia Reges,
Proq; ...... impia bella parant.
Hæc ea tempestas, hic impar ordo rotarum,
Hæc, & cum fumo lucida flamma fuit.
Sed Deus est nobis orandus vt arma quiescant.
Ille precaturis mitia fata dabit.

In Belgio spectrum eiusmodi, hominis statura sed canis forma diu vagatũ esse legitur, & quoscumque afflauerit, eo anno obijsse. Iacobus Donatus patritius Venetus, (vt Cardanus refert, cui hoc ab ipso Donato est narratum) quum nocte quadam cum vxore dormiẽs, cereum accen-

ſum haberet, atque in lectulo inferiori cubarent duæ nutrices cum infante qui nondum annum expleuerat: vidit oſtium cubiculi ſenſim aperiri, inde hominem neſcio quem caput intromittere. viderant autem & nutrices; ſed nemo faciem agnouit. Territus Donatus, vt par erat, ſurrexit, arripuit enſem clypeumq́ue rotũdum, nutrices ſingulę cereos magnos. it in aulam quæ contermina erat cubiculo. ibi clauſa omnia. reuertitur magna cum admiratione, nemine inuẽto. Sequenti die infantulus, qui ea nocte adhuc incolumis fuerat, mortuus eſt. At ſunt ſpectra quædam, quæ quum apparent non modo futuras calamitates & mala denunciant, ſed ipſa etiam (Deo id ob enormia peccata, & occulto quodam indicio, permittente) homines multis modis offendunt, atque etiam occidunt, immo corpus atque animã in barathrum infernale abripiunt. Sic Iobi filijs ac filiabus momento temporis vitam eripuerunt. Ludouico Imperatore malignus quidam Spiritus totos tres annos Moguntiam ciuitatem & agrum circumiacentem non pauoribus tantum & terriculamentis, ſed incendijs etiam ita vexauit atque afflixit, vt multi relictis ædibus alio commigrarint. Adoleſcens quidam Romanus perditæ vitæ quum patrem ſæpiſſime enormiter offenſum iratum haberet, eamq́ue ob cauſſam domo paterna aliquamdiu ſeceſſiſſet, diabolo inſtigãte patris occidẽdi conſiliũ capit. Romam rediens in itinere adoleſcentẽ obuiũ habet, qui itidem cum patre ſibi ſimultatẽ intercedere, eodemq́; animo Romam proficiſci ſe ſimulabat. Romã quum veniſſent, vterque in cõmune hoſpi-

Moguntia à Spectro vexata.

Paricidiũ cogitans periclitatur.

hospitium diuertunt, & post cœnā in vnū lectum cubitū concedūt. Dormienti iuueni cacodæmon iugulum inuadit: ille excitus, Deo & Virgini matri se commendatis, diuinum auxilium implorat. Dæmon vero ingenti cum strepitu & furore cubiculi ac tecti partem secum absportans, euanuit. Hoc periculo doctus adolescens, vita repente mutata, & pietatem erga parentes ac Deum singulari dein studio coluit. Artifex quidam Mediolanensis dum hora noctis tertia domum redit, spectrum videt instar vmbræ se subsequi. Territus, gradum accelerat quantum potest: sed præuentus, à spectro apprehēditur, sternitur humi, & quamuis acriter reluctaretur, prehūsa gula fere suffocatur. Paullo post à transeūtibus illac inuētus, domū semianimis deportatur, & totus cōtusus, intra octiduum exspirat. Hispanus quidam nobilis noctu obambulās, spectrum itidem obuiam habuit, quod sub AEthiopis forma gigantem nudo gladio armatum mentiebatur. Assilit gigas, Hispanus magno animo & ipse gladium stringit, ictus repellit, intentat, sed vanos, cum vmbris scilicet pugnans. Tandem totus lassus & afflictus, in terram, animi impos, cadit. Vicini audito strepitu egressi, hominem tollunt, & domum comportant, vbi multis mēsibus æger decumbens, vix tandem conualuit. Ex eadem gente homo Salamancam studiorum causa profectus, stimulante libidine nocte quadam lupanar adit. Ei in atrio ante cubiculum senex occurrit, barba oblonga & capillis calamistratis, ferula siue scutica quam manu ferebat, verbera minans. Scholaris gladio & parmula

Artifex Mediolanensis.

Hispanus nobilis.

Hispanus studiosus.

armatus athletice ad pugnam se componit, multisque illatis ictibus, iam brachium, iam crus furibundo seni (ita videbatur) amputat: at è vestigio membris iterum coeuntibus, truncus redintegrabatur. Iratus nihilominus ictus ingeminat: sed quoties spectrũ feriebat, velut mortui cadauer humeris impositum sentiens, tãdem pondere victus in terram concidit; sed resurgẽs, celeri quantum poterat fuga domum se recipit, & secundo aut tertio die post, omnibus exhaustus viribus è vita abit. Aliud multo tristius Seuerus Sulpitius recenset. Habebat quidam filium monachum in monasterio: quem inuisurus, securim in manus sumit, vt reuertens, in sylua lignorum fascem cęderet, ac domum portaret. Heic pessimus dæmon angeli assumta forma monacho apparet, dæmonem ait, patris habitu aduentare cum securi, vt vitam ipsi eriperet. caueret ergo sibi, & præueniret potius sceleratum spiritum homicidam, quam præueniretur. Monachus fidem dictis habens, vbi primum patrem vidit appropinquantem, personatum dæmonem esse existimans, erepta securi, ô te pessimum, inquit, impostorem? equidem iam ante noui quis sis. simul cum dicto securi ceruicibus inflicta, non dæmonem, sed verum patrem prosternit atque occidit: at diabolus clarum cachinnans, misero monacho è vestigio gulam itidem frangit. Fulgosius scribit, Theodoricum Gothorum regem, postquam Symmachum & Boetium iussisset interfici, eique in cœna piscis prægrandis esset appositus, in capite piscis caput Symmachi veluti labra mordentis ac minabũdi aspe-

Parricidij caussa spectrum.

Theodoricus Gothorum rex.

aſpexiſſe: vnde rex perterrefactus, ſubito in morbum incidit, & idem ſpectrum ob oculos ſibi cōtinuo obuerſari grauiter eſt conqueſtus. Auentinus auctor eſt, Brunonem Herbipolitanum epiſcopum, cum Henrico III. Imperatore in Danubio nauigantem, quum non procul ab eo loco quem den Strudel, id eſt, vorticoſum gurgitem, è regione Grinonis Auſtriæ caſtelli, abeſſent, vocem audijſſe Spiritus inclamantis: Heus, heus Bruno epiſcope, quo te agis? Vade quocumque lubet; mihi præda fias oportet. Qua voce percepta, Epiſcopus vehementer, vt facile credi poteſt, obſtupefactus, ſanctiſſimo crucis ſigno ſe munijt, vt & ceteri omnes miniſtri: ſed paucos poſt dies in arce quadam Comitiſſæ Eberſpergēſis cum Imperatore cœnans, trabis ruina oppreſſus fuit & extinctus. Apud eumdem & Sigebertum chronicographū flebilis exſtat cacodæmonis hiſtoria, qui in pago Camontio non procul à Binga Germaniæ oppido, primum ſaxa in prætereuntes paſſim ſpargere, & oſtia pulſando, è ſomno homines excitare, mox furta detegere, homines infamare, rixas accendere, & ad cædem homines impellere cœpit. Tandem indies crudelior factus, domos ac horrea ſuccendit, fruges in agris corrupit, & quæcumque alia potuit mala inuexit; ſic vt populus Moguntini Archiepiſcopi opem implorarit, à quo miſſi eò ſacerdotes ſunt, qui precibus, ieiunijs & exorciſmis maleficum ſpiritum depellerent. Anno MDLXVII. Trautenauiæ, quod eſt Bohemiæ oppidum, ciuis quidam mortuus eſt, Stephanus Hubnerus nomine, qui immēſas diuitias neſcio qui-

Bruno epiſcopus Herbipolitanus

Spectrū ad Bingium oppidum.

Spectrum mortui cuius Tautenauienſi.

quibus artibus accumulauit, & ædes ac palatia superbissima exstruxit, cunctis mirantibus vndenam homini tantæ opes suppeterent. Paucis post mortem diebus, spectrum siue vmbra eius in oppido obambulare visa est, occurrentes amicos veluti salutandi caussa amplectẽs, sed profecto parũ fausta illa fuit salutatio, quæ nonnullis mortem, omnibus fere graue morbum attulit. In Cliuensi Ducatu apud Eltenum oppidulum spectrum eiusmodi viatores inuadere, equites deijcere, currusque euertere solitum fuit, interdum etiam non neminem occidere. Fuit Heidelbergæ Theologus quidam, cui famulus Belga. Is parentibus & amicis visitatis, è patria ad herum rediturus, in itinere equitem habuit obuium, inusitatæ magnitudinis equo insidentem: à quo arreptus, & equi clunibus impositus, mox per aerem volare se sensit. Quare metuens ne decideret, equitum ante se sedentem manibus complecti voluit: sed eo disparente, illusus, ab equo nihilominus per interuallum satis longum deportatus fuit, ac tandem super pontem deiectus, vbi fractis omnibus fere membris, ita æger in domum heri delatus est, totum semestre cum morbo conflictatus. In finibus regni Bohemiæ, nocturno tempore versus vallem quamdam auditus fuit clamor veluti concurrentis exercitus, & armorum fragor; viri etiam coloribus varijs induti sæpius sunt visi. Fuerunt tunc duo (verba Niderij ex libro vltimo Formicarij ponam) armigeri audaces satis in castro non multum distanti à loco monstrorum; qui omnino scire volentes, quid veritatis sibi visa portenderent, no-

Spectrũ ad Eltam in Cliuia.

Spectra in forma exercitus.

ſtequadam verſus vallem, vbi ſolita videri conſpexerant, iter arripiunt. Antequam autem ijs appropinquare auderent, compūctus vnus dixit alteri: Sufficiat nobis iſta vidiſſe, ego ijs non approximabo. dictum eſt veterum: Cum talibus nullum debere iocari. Quem alter velut pauidum increpans, equum pupugit, & cum eo congreſſu omnib. vnus antedictis exercitibus appropinquauit; de quibus egrediens, caput illi amputauit, & ad ſuos redijt: quo viſo, ille qui timidus ſubſtiterat, fugam inijt, & funeſta noua nunciauit. In craſtino autem truncatus reperitur, & caput quidem in valle, vbi acies viſæ fuerant, nullius autem hominis vel equi veſtigium repertum eſt, ſed tantummodo in lutoſis locis, ſigna quædam & veſtigia auium viſa ſunt. Spirituum horum commentum eſt nefandum ſuperſtitioſæ diuinationis genus ἀνθρωπομαντειαν appellarunt: quæ hominum mactatorum viſcera ac fibras rimabatur. vſus ea Heliogabalus, monſtrum, non homo: vſus etiam Iulianus Apoſtata, qui viuos fetus grauidarum aluis diſſectis extrahere ſolitus, vt Cedrenus & Theodoretus ſcribunt. vſus etiam, teſte Ammiano, Pollentianus quidam: nec non Scythicæ aliquot gentes à quibus eam Tartari acceperunt. Ad hanc videtur referendum ſacrificiorum filiorum in Topheth, vbi igne abſumebantur in honorem Molachi, de quo Sacra ſcriptura. *Hi autem qui erant de Sepharnaim, comburebant filios ſuos igni Adrameloch, & Anameloch diis Sepharuaim,* & alibi: *Seruierūtque Baal, & conſecrauerunt filios ſuos, & filias ſuas per ignem: & diuinationibus inſeruiebant, &*

Anthropomantia.

Cedr. in Annal.
Theod. li. 3. cap. 21.
Cromer. li. 8. hiſt. Pol.

4. Reg. c. 17

auguriis, & tradiderunt se vt facerent malum coram Domino, & iritarent eum. Sed hanc Magiæ speciem nonnulli ad igneos Spiritus existimant pertinere. Huc quoque non incommode reduci possit Hieroscopia, siue Extispicina, qua animalium intestina ante ipsas aras, oraculi exquirendi caussa, perscrutabantur. Sed de hac supra.

De Syluanis, Satyris, Faunis, Folettis, siue Fatuellis, Paredris, alijsque Spiritibus familiaribus: vbi multa iterum exempla.

CAPVT X.

Spiritus familiares.



QVOS *Syluanos, Faunos, Satyros, Spiritus familiares* Latini, παρέδρους Græci, Itali *Folettos & Farfarellos* appellant, quamuis in magicis incantationibus frequentissimi sint, parum tamen nocere hominibus vulgo creduntur: quin etiam iocos dare, atque auxilium ferre quandoque videntur. Sciendum tamen est, spiritus omnes malignos, vt apud Athanasium B. dicit Antonius, quanta possunt mala & damna vniuerso hominum generi, sed maximè Christianis, & inter hos præcipue religiosis viris & Deo dicatis virginibus inferendi cupidos esse; vnum tamen magis, alterum minus, pro differentibus eorum naturis, & diuini permissus ratione. Nec vero vnquam vllus magus pactum cum spiritibus his fecit, vnde nō plus detrimenti

Omnes maligni Spiritus hominū osores.

menti

mentiacceperit quam vtilitatis, vt suo loco dicemus. vt iam nihil dicam de animæ iactura, cuius tantum tamque inæstimabile est precium, vt parum sint ad eam omnes vniuersi huius thesauri, immo ipsi cœli ac stellæ totius firmamenti. Quamuis ergo Spirituum hoc genus amicũ homini, beneuolum atque vtibile videatur, neq; euidenter ei noceat: omnia tamen eorum consilia & facta ad malum finem dirigũtur, vt scilicet incautos homines in fraudem atque periculũ tam corporis quam animæ inducant. Ad quod perficiendum, dici nõ potest quam varijs quãque versutis artibus vtãtur. Primum enim, corpus induentes, visibili specie cum hominibus familiariter versantur, vnà comedentes ac compotãtes, atque etiam colloquentes, humano more & modo. Affirmat Macrobius in Parnaso monte Bacchanalia alternis annis agi, vbi & Satyrorum frequẽs cernatur cœtus, & plerumque voces propriæ exaudiantur, itemque cymbalorum crepitus ad aures sæpe hominum perueniat. Olaus testatur ad radices montis Heclæ in Islandia, qui instar AEtnę æstino semper ęstuat incẽdio, & flãmas eructat, huiusmodi Spiritus frequentes apparere eorũ formã qui vel naufragio vel alia morte violenta perierunt, tamque familiariter cũ amicis quos in vita habuerint, cõuersari, vt & dextras eorũ prehendãt, salutent, consistant, adeoq; plane pro hominibus fallant, quoad euanuerint. nec vero vlla terre regio magorum est feracior, vt qui etiã eorum qui longe absunt Principum facta nôrint. Addam his Ioannis cognomento Teutonici, cuius supra quoque mentionem fecimus, non illepidum,

Parnasus & ideo Satyrorũ cœtus.

Mac. lib. 1. Satur. c. 18.

Mõs Hecla. Olaus li. 2. ca. 3.

Ioãnis Teutonici factũ lepidum

pidum, & Thrasonum nihil nisi fumosas maio-
rum imagines crepantium superbiæ retunden-
dæ idoneum factum. Scribunt ergo eum licet
nothum, eruditionis tamen titulo clarum, ad
Halberstadensem canonicatũ euectũ, qui nõ nisi
nobilibus concedi solitus. commune nobilitati
malum, superbia faciebat eum contemtum col-
legis. molestum id ei:tandemque mederi malo,
vel potius vlcisci contumeliam statuit, collegas
inuitat ad conuiuium, & lautissime excipit. in-
ter ceteras conuiuiales festiuitates inijcit men-
tionem Acroamatis magici, & quærit, num suos
singuli parentes adspicere cupiant. Illi ardere
studio videndi. Tandem elicit iste malo carmine
vmbras deformes coqui, stabularij, morionis, ru-
stici persona; quorum facies in paternis ædibus
illi aliquando vidisse se fatebantur. suum deinde
quoque patrem produxit habitu canonici, pingui
aqualiculo. Dimissis vmbris: Eia, inquit, dicite
bona fide, eccuius patrem nobiliorem iudicatis?
metu perterriti, & pudore suffusi illi suam quisque
domum repetiere, nec vltra Ioanni vitium san-
guinis exprobrauere. In Silesia nobilis quidam
quum inuitasset conuiuas, & hora conuiuij iam
instante, & apparatu facto, spe frustratus esset,
excusantibus se conuiuis cur non comparerent,
prorupit iratus in hæc verba: Veniant igitur oẽs
dæmones, si nullus hominũ mecũ esse potest. His
dictis domo egreditur in templum vbi pastor ec-
clesiæ concionem habebat; & vt iracundiam in-
terim concoquat, auscultat aliquamdiu. dum ve-
ro in templo moratur, veniunt equites in ariam
domus, magni & nigri, & iubent seruum domus
vt de-

Inconsultè dicti pœna.

vt dominum suum aduocet, eiq; significet, adesse hospites. Seruus cõsternatus abit in templũ & indicat hæc domino suo, qui animi dubius pastorẽ cõsulit. Pastor abrũpens concionẽ, hoc consilium dat, vt tota familia domo exeat. Quod dũ fieret, & famuli atque ancillæ properarent, forte obliti infantem in cunis iacentẽ & dormientem secum non auferunt. Dæmones incipiunt comessari & vociferari, prospicereque per fenestras formis vrsorum, luporum, felium, hominum & monstrare pocula vino repleta, assaturas & pisces. Hæc vicini, nobilis, pastor, & alij quum viderẽt, Ah, inquit pater, vbi infans meus, vix quum hæc dixisset, vnus ex dæmonibus infantem ad fenestras gestat, monstraturus parentibus. Nobilis prorsus consternatus & sollicitus de incolumitate infantis, fidum habens seruum interrogat, Quæso tu dic, quid agam? Seruus, here, inquit, commendabo & committam vitam meam Deo meo, & in nomine Domini ingrediar, & vt infantem auferam auxilio & beneficio Dei videbo. Bene, inquit nobilis, Deus tecum sit, & iuuet te, animumq́ue tibi confirmet. Seruus accepta benedictione, ingreditur, & ante conclaue, in quo erant dæmones congregati, procidit in genua, & se Deo commendat, & hoc animo aperiens ianuam, videt dæmones horribili specie sedentes, stantes, obambulantes, serpentes, & vno ineptu accurrentes ad se & vociferantes: Hui, Hui, tu quid heic tibi? Ille sudans & tamen diuinitus confirmatus, alloquitur dæmonem qui infantem gestabat: Tu, inquit, infantem mihi trade. Nequaquam, respondet iste: iam meus est in-

est infans. dic domino tuo, vt veniat, & accipiat infantem. Cui seruus: Ego fungor iam officio meæ vocationis, in quam me Deus collocauit, & scio quidquid in hoc facio, id Deo gratum esse. Quare ratione mei officij, & auxilio, nomine & virtute Iesu Christi aufero abs te infantem, & patri eius restituo. atque ita ipse apprehendit infantem & brachijs suis amplexus est. isti nihil aliud respondēt, nisi vociferātes: Hui nebulo, hui nebulo, relinque infantem, relinque; alioquin te discerpemus. Ille nihil curans minas diabolicas, abijt incolumis, & incolumem infantem patri nobili reddidit. Dæmones postea, aliquot diebus elapsis, euanuerunt, vt in ædes denuo migrare cum familia nobilis potuerit. En familiares Spiritus familiariter inuitati, quā familiariter conuersantur? De Syluanis tale est apud Alexandrū ab Alexandro exēplum. Grodianus, inquit, amicus meus, spectatę fidei homo, mihi retulit, quum Aretiū ipse & familiaris iter vnà intenderent, & à semita, vt fit, lōge deuiassent, loco infami & deuio, vbi ne vestigiū quidem apparebat humanum, per ardua & prope inuia diuersis tramitibus aberrare cœpisse: ibique quum nec oppida, nec vicos, neq; aliquid culti viderent, sed nemora tantum saltusque inuios & inaccessos, omniaque vasta, muta & deserta ab humano cultu peragrarent, in quibus ipsa solitudo terrebat animos, vergente iam ad occasum die, fessos labore ac via consedisse. Quumq; hominis vocem audire procul visi fuissent, ad illā propius accessisse, homines obuios, quos de via interrogarent, dari sibi arbitrati. Nec mora in proximo iugo

Spectrum sylueſtre.

trium

trium hominum imagines immanes & formidabiles vltra humanum modũ, nigris & demissis tunicis, in veste lugubri funestaq; , barba capilloque summisso, horribili facie cõspexisse: qui quũ voce gestuque ipsos ad se aduocarent, ac iã prope esset vt illuc accederent, illos interim ingẽti mole corporis longe humana maiores apparuisse: atque alium specie non absimili nudum & nullo amictũ vestitu, mirificos edentem saltus gestusq; indecoros conspexisse. Quo timore consternati, propere fugam cepere, viamque arduã & præcipitem emensi, vix rustici cuiusdã vile hospitium vbi reciperentur, inuenere. In Thuringia ad Herselbergam montẽ iuuenes quidam venatum profecti, sub noctem octo lepores retibus impeditos deprehendunt. Felices præda, domũ eunt, capturam, vt solet ex alto suspendunt: mane totidẽ capita equina inueniũt, intolerabili fœtore totam domum replentia. Syluaticorum Spirituum astũ fuisse quis neget? Munsterus ait in vastis prouinciæ Tangutanę solitudinibus frequentes eiusmodi Spirituũ audiri voces; quibus decepti sæpe viatores in auia pertrahantur: immo nonnũquam dulcissimũ musices edi, tãquam Sirenum, cõcentum, inprimis vero tympani percipi strepitum. Multa ridicula dæmonum horum ope præstigiatores efficere, experiẽtia testatur. Crucenaci Anno MCCLXXII. quidam fuisse legitur, qui medio in foro, inspectante populo, ceruices famulo amputare, & paullo post capite ad truncũ rursus apposito, quasi mortuũ in vitã reuocare visus est. Idem per aerem cũ latrantibus canibus venantis specie volauit: currũ vino aut ligno onustũ cum equis

Venatio ridicula.

Solitudines Tãgutanae.

Præstigiator Crucenacensis.

equis deglutiuit (ſic videbatur) aliaq; multa eiuſmodi neſcio ridicula magis an admirãda ſpectacula exhibuit. Nõ procul à Torgauię Saxonię oppido nobilis quidã habitauit, magnã partẽ ex rapto viuẽs. Equitanti obuiã fit Spiritus eiuſmodi, equiſonis perſona, adit, ſalutat, ſeruitorẽ ſe offert. Iubet eum ſequi ſe nobilis; equos ei commẽdat, inprimis vero vnum generoſum, carum valde. Hic diligens admodum nihil prætermittit. Quodam die, nobili peregrè profecto, bonus equiſo equum illum tantopere ſibi commendatum in editiſſima ædium parte collocat. Domum reuerſo nobili equus per feneſtram proſpiciens, hinnire incipit. Circumſpicit nobilis; & vbi equum in alto vidit, ſeruum inclamat. Heus tu, *inquiens*, ecquis equum eo ſubduxit? Ego, *inquit* ſeruus, ſic enim veſtra iuſta exſequuturum me, & equum ne ab alijs ei noceretur, optime cuſtoditurum me arbitrabar. Nobilis, quî cum res ſibi eſſet intelligens, conticuit, & conuocatis domeſticis & vicinis, maximo labore equum funibus illigatum ex alto dimiſit. Nec vero riſum tantũ & voluptatẽ, verum etiam emolumentum quandoque & ſalutẽ hominibus dęmones iſti familiares afferre videntur, vt tanto magis alliciant credulos & ineſcent. Sic is de quo modo diximus nobilis ſerui ſui perſonati opera inſequẽtium hoſtium manus effugit. Soleas enim *panurges ille* ferreas ex equorem vngulis *clam* detraxit, vnde in curſum admiſſi claudicare mox omnes cœperunt. Eidem in vincula coniecto ſeruus idem liberationem promiſit, illud tãtum ſtipulatus, vt à crucis ſignaculo abſtineret, neque

Nobilis familiaris Spiritus opera liberatus.

que Dei nomen inuocaret. Accepta conditione, Spiritus hic nobilem vnà cum compedibus & catenis quibus vinctus erat, abripit, & per aerem asportat. Territus nobilis, quantum potest exclamat: Deus bone quò abripior? Vix hæc proloquutus, à Spiritu dimittitur, & in subiectam paludem siue arundinetum præcipitat. Seruus domum abiens, vxori rem nunciat, quæ missis ad commonstratum locum famulis, maritum inde extrahi curauit. Aliud in Mediolanensium historia scriptum exstat. Quum duo locupletes mercatores, non ignobiles, per Taurinos saltus in Galliam proficiscerentur, ampliorem humana specie virum obuium habuere, & ab illo mãdatum in hæc verba accepere: Ludouicum Sfortiam fratrem meum alloquimini, hasque illi litteras nomine meo date. Obstupentibus illis, & percunctãtibus quisnam esset: sese Galeatium Sfortiam esse respondit, & mox ab oculis eorum euanuit. Illi Mediolanum propere redierunt, inde Vigleuanum, vbi Maurus degebat. Litteras Duci offerunt, quarum hoc erat argumentum: O, ô, ô Ludouice, caue tibi: quoniam Veneti Gallique tuam in perniciem coituri sunt, tuamque à stirpe rem euersuri. Verum si mihi tria aureorum milia dederis, dabo operam, vt conciliatis Spiritibus, sinistra fata auertantur; idque consequuturum spero, si mihi non aduersatus annueris. Vale. Subscriptio erat: Galeatij fratris tui Spiritus. Illud ipsum licet alij vt commẽtum irriderent, tamen non multo post Princeps à Ludouico XII. Gallorum rege principatu deiectus & captiuus abductus est. Hæc oculatus testis

Galeatij Sfortiæ apparitio. Arlun. sect. 1. Histor. Mediolan.

Bernardus Arlunus: quod ſequitur, Sabellicus memoriæ prodidit. Ludouici Alodiſij pater, Imolæ dominus, haud diu poſtquam deceſſerat, homini à ſecretis, quem Ludouicus Ferrariam miſerat, in itinere venanti ſimilis, equo inſidens & accipitrem manu gerens apparuit, eique vt filium in hunc ipſum locum poſtera die venire iuberet, præcepit, quoniam magni momenti res ei prædicturus erat. Ea re audita, Ludouicus, tum quia non credebat, tum quod inſidias verebatur, alium pro ſe miſit. Ei illa ipſa vmbra quæ ante apparuerat obuiam facta, vehementer indoluit, quod filius non veniſſet: longe enim plura ei dicturam ſe fuiſſe affirmabat. Sed tunc illud tantum referre iuſſit, quod transacto XXII. anno, ac præterea vno menſe, die quoque ſpecifice addito, vrbis imperium quod obtinebat, eſſet amiſſurus. vt tempus quod vmbra prędixit, aduenit, adhibita magna cura, ea ipſa nocte quam patris manes ſuſpectam fecerant, Ducis Philippi Mediolanēſis confederati milites ad muros penetrârunt, adhibitiſque ſcalis, glacie magna ſtrictis foſſis, vrbem cum ipſo Principe ceperūt. Fincelius affirmat Anno MDXXXII. ruſticum quemdam à nobili iuſſum, vt eximiæ magnitudinis quercum è ſylua domum adueheret, grauiſſimis additis minis, niſi ante noctem mandatum exſequeretur. Ruſticus anxius valde, in ſyluam cum curru proficiſcitur; quūque rem impoſſibilem mandatam ſibi videret, ſollicite admodum & dolenter fortunam ſuam deplorat. Heic mox adeſt Spiritus quidam, hominis forma, cōſolatur, & opem etiam promittit. Lætus ruſticus,

Sabellicus lib. 1. ca. 4.

Quercus à dæmone aſportata.

cus, gratias agit. Spiritus quercum, ita vti erat cum omnibus ramis arreptam, non secus quam arbusculã aut exiguum lignorum fascem, ad arcem nobilis apportat, & transuersam portæ ita impingit, vt nec vi inde amoueri, nec igne cremari, neque securibus vmquam findi potuerit. Quare obstructa illa porta, nobilis alia parte nouam aperiri iussit. Sequens exemplum Gilbertus Cognatus VIII. libro Narrationum memoriæ commendauit. Puer quidam Lotharingus, è nobili quidem familia, sed educationis licentia, ac deinde sodalitio deprauatus, cauponam sæpe inscio præceptore, adire, & cum sodalibus alijsque comessari solebat. Quodam die exhaustis loculis, pecuniæ parandæ rationes animo voluenti Spiritus hominis figura occurrit; & tristitiæ caussa cognita, modum paucis verbis quotiescumque opus haberet pecuniæ acquirendæ, ostensurum se promittit, modo id quod eo libro, quem simul proferebat, contineretur, omne credere vellet, neque eum vmquam apertuum se aut alijs commonstraturum, iusiurãdum daret. Accipit conditionẽ adolescens. Spiritus vero libellum sinistra manu tenens, & reductis manus dextræ duobus digitis, indice scilicet & medio, verba hæc lingua Gallica profert: *Natetas, saliat aurum*: atque è vestigio sexaginta coronatos depromit. Libro deinde tradito idem adolescentem tentare iubet: quod quum itidem successisset, adolescens lætus domum se confert, libellum secum asportans. Paucos post dies curiositate instigante, mirificum libellum inspicit, eo consilio, vt eo forte amisso, nouum sibi exa-

Scholaris librum magicum à dæmone accipit, & in quẽ vsum.

rare posset. heic turpia videt mysteria, & infames characteres. Circulus in medio erat descriptus, duabus lineis rectis decussatim crucis modo diuisus: suprà, caput tamquam dæmonis, horribili aspectu depictum erat. A parte dextra duæ aliæ cruces erant, similiter coniunctæ. A læua conspiciebatur muliebre pudendum, & è regione inguen virile. Dum singula admirabundus contemplatur adolescens, sentit mox caliginem ob oculos oboriri, cerebrum vacillare, & caput vertigine corripi, tum humeris quasi sequẽtem aliquem incumbere. Hanc subitã inde mutationem animaduertens præceptor, caulam exquirit, & tandem exprimit, iubet vt sceleratum libellum quam primum Vulcano tradat. Morem gerit adolescens; à quo libellus in ignem coniectus, etsi totus erat chartaceus, ægre tamen flammam concepit, ac non nisi post mediam horam in cinerem est redactus. Eorumdem spirituum auxilio, vt Cuspinianus affirmat, Bulgari Romanos sub Anastasio Imperatore, in fugam egerunt, & magnam partem conciderunt. Eodem modo Hunni Sigebertum Francorum regem, profligato exercitu, cepisse dicuntur. Ex hoc genere quoque illos fuisse credibile est, qui duorum iuuenum habitu Simonidem apud Scopam cœnantem euocarunt: quo egresso, repente cœnaculum concidit, & conuiuas omnes obtriuit. Socratis quoque dæmonium, à quo semper instantis mali admonitus, & à periculo reuocatus fuit, vti supra diximus, ex hac classe fuisse nonnulli volunt. Quinetiam Spiritus eiusmodi puerorum & puellarum amoribus teneri,

Bulgari & Hunni magiæ ope victores.

& assi-

assidue eos infestare, ac grauissime nonnumquam offendere, experientia compertum est. Narrat Mengius in Compēdio Mantuę iuuenem fuisse, sexdecim circiter annorum, monachi Franciscani è suo conuentu fratrem, quem spiritus eiusmodi ita assidue persequutus sit, vt vix momento ab eo abesset, iam famuli, aut baiuli, iam pædagogi, iam patrisfamilias assumta persona. neque vero à iuuene tantum, quem multum amare se fingebat, sed etiam ab alijs domesticis frequenter conspectum: quin etiam ab eodem iuuene per eumdem spiritum monacho cuidam pisces dono missos; ab eodem etiam sæpe clare salutatum esse. Idem Mengius eodem libro testatur, anno MDLXXIX. Bononiæ in viri cuiusdā nobilis domo talē spiritum se ostēdisse, qui ancillæ iuuenculæ amore, vt videbatur, captus, continuus ei quocumque pedem ferret, comes adhæserit; & si quando vel herus vel hera eam iurgio aut conuicijs excepissent, statim multis eam iniuriam damnis vltus sit. Idem iuuenculæ aliquando iratus, vestem qua induta erat à capite ad calcem discidit: quod quum illa ægerrime ferret, idem spiritus vestem momento temporis ita resarciuit, vt nulla scissurę indicia apparerent. Alio tempore ancillæ vinum è dolio promenti, idem Spiritus subito candelam è manibus abreptam, saxorum cumulo procul inde imposuit, atq; ita vinū effudit, iram suā aduersus patrēfamilias à quo offēsus erat sic vltus. Nec vero vllis exorcismis abigi inde diu potuit: tandē iubetur ancilla, dum cloacæ ad purgādum ventrem insidet, comedere; cuius facti spurcitie offen-

Iuuenis à Spiritu amatus.

Ancilla Bononiensis à Spiritu adamata.

offensus spiritus, datis prius quæ poterat damnis, ædes & ancillam reliquit. Similis casus qui eodem fere tempore, Anno MDLXXX. eadem in vrbe contigerit, apud eumdem descriptus exstat. Paredrus aliquis puellæ quindecim circiter annos natæ amore incensus, sæpenumero multa iculariter, multa etiam damnose ijs in ædibus in quibus puella versabatur, faciebat. Nam & vasa multa fictilia frangebat, & mirificos strepitus edebat, deiectis per scalas ingentibus saxis, tanto cum frangore, vt tectum ruere videretur; minores vero per ædes acutissimo sibilo passim, nec sine damno, spargebat, nunc his núc illis supellectilibus confractis. Et quamuis nullius vmquam vitæ nocuisset; domestici tamen omnes vehementer trepidabant. Idem nó lignea tantum & ærea vasa, sed feles etiam in puteum quandoque præcipitabat, diuque multa ridicule faciebat. Neque heic quidquam exorcismi aut alia remedia valuerunt, donec puella in alias ædes concessit. Ad hos Spiritus illud superstitiosæ diuinationis genus referendum videtur, quod ὀνομάντεια vulgo appellatur. Petitur ex nomine consulentis per elementa nominis diuersimode collocata, & quasi per anagrammatismum faustum quid vel contrarium indicantia. Huius efficacia ab Apollonio Tyaneo Romæ puellam, quæ nuptiarum die mortua, suscitatam, Philostratus nugatur, more suo. Quum enim hoc supra omnes non hominum tantum sed naturæ etiam sit vires; soli profecto Deo, non dæmoni adscribi potest & debet. Est & aliud genus, quod ἀριθμάντεια dicitur; quę fuit duplex. vna Græcorum,

Spiritus domesticus.

Onomãtia

Philos. li. 4

Arithmantia.

eorum, valorem litterarum considerantiũ, & futurum victorem eum augurantium cuius nomen maiores numeros contineret. Sic Hectorem ab Achille superatum, fabulantur. Altera fuit Chaldeorum, qui alphabetum distribuunt in tres decades, quibusdam litteris repetitis, & nomina resoluta commutant in numeros, & singulos numeros suis planetis attribuunt: vt iam de Platonicorum commẽtis nihil dicamus. Cognata huic est στοιχειομάντεια, qua aperto libro primus qui obuius inspicienti fit versus consideratur, & inde rerum futurarum euentus coniectatur. Sic Socratem mortis suæ diem præcepisse aiũt; sic Gordianus, Claudius Macrinus alijque Imperatores tempus regni vel vitæ. Fuit prǽterea ridicula Iudǽorum diuinatio per *Ieduim* siue *Iedua*, quam Rabbi Moses Samsonis F. & alij tamquam à Mose quoque vsurpatam obtrudit. Volunt enim esse animal quoddam Iedua nomine, humana forma, cuius ex vmbilico medio funiculus propendeat, quo instar cucurbitæ, humo adhærescat, & quantum funiculi longitudo patitur, circumcirca omnem terræ fructum depascatur. Capi à venatoribus non posse, nisi sagitta funis prǽscindatur: tunc statim exspirare. per eius ossa certo ritu in ore gestata, vaticinandi donum nancisci homines; indeque hariolos dictos *Iddegonim*. Alias non minus vanas superstitiones, vt Geomantiam, & similes huc pertinentes, omitto: quod alibi à nobis fuse explicatæ sint & refutatæ.

Stoichiomantia.

Ieduim.

De Spiritibus subterraneis & lucifugis; vbi quæstio, vtrum ij thesauros hominibus commonstrent, aut pecuniam suppeditent, discutitur, & exemplis illustratur.

CAPVT XI.



SPIRITVS subterranei inde nomen habent, quod in speluncis & cauernis, puteis, fossis, & terræ cócauitatibus demorentur. Et isti dæmones, inquit Trithemius, affectione sunt pessimi, eosque inuadunt maxime qui puteos & metalla fodiunt, & qui thesauros in terra latentes quærunt; vel lumina extinguendo, vel suffocando nonnumquam, vel pestilenti afflatu à mentis sede & statu deturbando. Tale illud Trophonij fuit antrum; tale etiam in Nicaraguæ, quæ Indiæ occidentalis est prouincia, argentifodinis hodieque esse perhibetur. Olaus Magnus ait frequens esse hoc genus in locis septemtrionalibus, & in humana effigie ministerijs hominum se accommodare, nocturnis horis laborando, equosque & iumenta curando. Germani, vt & Græci, sedatos *Cobalos* appellát: quod hominum sint imitatores. Alij *virunculos montanos* vocant, quia plerumque apparent nani, tres dodrantes tantum longi, senecionum specie. Opus facere impigre videntur, saxa excindere, metallorum venas scrutari, materiam conge-

Spiritus subterranei qui.

Cobali.

congerere, rotas circumagere, funes aliaque instrumenta adaptare. Interdum quasi lætitia gestientes rident, sibilant, multisque alijs præstigijs metallicidis illudunt. Etsi vero homines iuuare interdum atque oblectare velle videntur, frequentissime tamen ad eorum perniciem ministeria illa omnia quæ simulant, conuertunt. Nam & columnas aliquando siue tibicines, quibus meatus subterranei contra ruinam fulciuntur, prosternunt, & ingentia saxa deuoluũt, quibus scalæ franguntur, & homines quandoque obteruntur; pestilentes afflatus, & fetores emittunt, funes rumpunt: & vt neminem occidant, operarios tamen lacessere, & ad blasphemandum Dei nomen impellere voluptati habent, vt scilicet tanto eos arctioribus vinculis constringant. Et hi quidem Spiritus in ijs metallicis fodinis quarum venæ auro & argento diuites scatent, sunt frequentissimi: quam ob caussam etiã multæ desertę & relictæ sunt. Olaus sex horum subterraneorum genera recenset, ceteris magis noxia, à quibus operarij non terreantur tantum atque offendantur, sed & quandoque interficiantur. Munsterus in Cosmographia affirmat, in Germanię fodinis metallicis spiritus eiusmodi frequentes conspici, discursantes, eaque fere omnia quæ operarij solent, facientes, quum interim nihil efficiant: alios vero metallicidis vehementer inimicos esse atque infestos. Talis fuit *Annebergius* dæmon, qui operarios amplius duodecim flatu interfecit, in specu qui *corona rosacea* appellatur; quæ fodina quantumuis argento diues, eam ob caussam deserta est. Flatum

Olaus lib. 6. cap. 10.

vero emittebat ex rictu, quum equi specie procerum habentis collum & truces oculos appareret. Eiusmodi etiam fuit *Snebergius*, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è terra sublatum, in superiore loco maximæ illius concauitatis argenti quōdam feracissimæ collocauit, non sine corporis attritu. Ijdem immisso in terræ cauernas vento, horribiles terræmotus efficiunt, quibus sæpe non domus modo & turres, sed etiam integræ ciuitates atque insulæ haustæ sunt. Talis fuit is qui Alphonso Aragoniæ regnum moderante, multas arces & oppida in Apulia, Brutijs, & Campania fœdissime lacerauit. Sub Baiazethe Turcarum tyranno similis terræ tremor vrbem Constantinopolitanam, euerso regio palatio, & tredecim hominum milibus interfectis, vehementissime cōcussit. Felicis Pontificis tempore Dyrrhachium funditus terræ motu est euersum, & Roma per tres continuos dies tremuit, sic vt omnia iam iam interitura viderentur. Non minor fuit calamitas quam Anno CCCLXI. totus oriens ex eadem caussa sensit. Terribilis quoque ille fuit terræmotus quo Antiochena vrbs, Hadriano imperante, terræ voragine est absumta. Sed omnium fere maximus, qui temporibus Valentiniani & Valentis Imperatorum contigit; in quo illud insigne fuit, quod disiectis aquis, patuerunt abdita maris, sic vt quæ numquam antea solem viderant, valles montesque tunc illustrarentur. eodem impetu translatæ naues etiam super tecta Alexandriæ. Simili fato Anno MCCCXCVIII. Pannonia, Illyricum, & Dal-

Terræmotus aliquot horribiles.

&Dalmatia functæ sunt. Terræmotus hic, vt Auentinus scribit, per quadraginta dies durauit, in Morauia & Bauaria superiore circiter viginti sex oppida & castella deiecit, templa, muros, villas atque ædes cum habitatoribus hausit, montes duos altissimos, coniunctos antea diffidit, homines atque animalia in solum medijs in campis prostrauit: & quod omnem superat admirationem, vltra quinquaginta tam hominum quam animalium extinctorum cadauera tum in salis statuas conuersa sunt, quas Conradus Medemburgensis philosophus & mathematicus, à quo memoriæ hoc proditum est, nec non Austriæ Archiducum Cancellarius, oculis aspexerũt. Spirituum horum, vt quidem Platoni placet, natura valde timida est, ita vt minas etiã barbaris & inusitatis verbis conceptas maximopere vereantur, præsertim si quis in abyssum, lacum sulphureum, & cæci Auerni tenebras pręcipitaturum se eos minetur, aut sanctorum angelorum & cœlestis militiæ nomina & opem inclamet. Id euenire ipsis aiunt ob intellectus crassitiem & stuporem; tam vero timidos esse, vt infantis ploratu aut miseræ alicuius vetulæ vocibus fugentur, immo vilissimis rebus, plumbo, cerę, annulis, vnguibus, capillis, illigari se patiantur. Solent autem & lapides iacere, quamuis irritis ictibus, & strepitus per ædes passim excitare, vt si non noceant homini, ad iracundiam tamen & maledicta prouocent. Posse vero dæmonas hos, si velint, & Deus permittat, thesauros hominibus commonstrare, & pecunias suppeditare, prope certũ videtur. Argẽti enim & auri

Spiritus subterranei timidi.

An dæmões hominibus largiri pecunias possint

auri venas omnes habent cognitissimas, & thesauros omnes in terræ visceribus absconditos, vnionum ac gemmarum latibula norunt: quin etiam materiam numismatis, aurum vel argẽtum, possunt producere, applicando actiua passiuis, per modum naturalis & artificiosæ productionis. Quare quod Psellus scribit, *nihil eorum quæ diabolus promittit ex se illum præstare posse, sed visu tantum inania cultoribus suis præbere*; si de eo quod facere solet, loquatur, verum; si de eo quod potest, falsum est. Raro enim Deus permittit vt cultoribus suis veras diuitias & thesauros dæmones largiantur; varias ob caussas. Pertinet enim hoc ad diuinam prouidentiam, & probam mũdi atque ecclesiæ militantis guberationẽ, quæ in nimis euidens eam ob caussam discrimen deduceretur. Quot allicerentur in exitium veris diuitijs, quum innumeri falsis alliciantur? Quod si diabolus posset arbitratu suo quos vellet ditare, valde metuendum foret, quæ est omnium fere mortalium auri sacra fames & habendi dira cupido, ne ad dæmonolatriam homines prope cunctos adigeret. impijs etiã diabolus hac ratione thesauros suppeditaturus fuerit, vt bonos opprimerẽt ac delerẽt. Laurentius Ananias caussam reddit aliam: malos genios natura auarissimos esse, & thesauros ac pecunias huiusmodi asseruare Antichristo, filio perditionis, vt ei ad sumtum sufficiant; idque dæmonem hariolo cuidam respondisse: quamuis dæmoni, vt mendaci, minime credendum. Cur tamen Deus hoc tam raro permittat, præcipua caussa est illa quam diximus, quod hac vna ratione diabolus vniuersum

Dæmones thesauros Antichristo asseruant.

sum fere mundum facile imperio suo subiectu-rus & in exitium pertracturus foret. Quapropter siquando pecunias suis largitur, eæ aut fictæ sunt atque imaginariæ, aut si veræ, paucæ: vt Treuiris Doctori Vlatio. Memorabile est quod apud Stumpfiū in Heluetico Chronico scriptū legitur. *Circa annum MDXX. Basileæ quidam sartor ingenio simplex, voce balbus, incertum qua arte cryptam illam quæ Augustæ Rauracorum patet, ingressus, & vlterius quam vlli alij vmquam potuerant, progressus, miranda quædam spectra referebat. Cereo consecrato accenso in cryptam descendens, primò per ferream portam se transiuisse aiebat; inde ex vna concameratione in aliam, atque etiam in hortos pulcherrime virentes deuenisse. In medio aulam magnifice ornatam spectari, & virginem formosissimam pubetenus, aureo diademate caput cinctam, crinibus solutis, inferne in horridum serpentem desinentem, à qua manu ad scrinium ferreum ductus fuerit. scrinio duos molossos nigros incubare, & terribili latratu accedentes arcere: at virginem minabundam similem eos compescere. Tum clauium fasce, quem collo alligatum gestaret, soluto, arcam recludere, & omnis generis numismata aurea, argētea, ærea depromere; quorum non pauca liberalitate virginis ex ipsa cryptaretulisse se ostendebat. Addebat virginem narrare solitam, diris imprecationibus sese, quum regio esset orta stemmate, iam olim deuotam, in tale monstrum mutatam fuisse: neque aliam recuperandæ salutis rationem superesse, quam si ab illibati pudoris adole-* *scente*

Sartor Spiritum subterraneum thesauro incubantē videt.

cente ter deosculata fuisset. tunc enim pristinam formam sibi restitutum iri, & dotis nomine thesaurum omnem, qui ibi loci lateret, liberatori cessurum. Affirmabat etiam bis sese virginem deosculatum: bis tã horribiles gestus in ea præ gaudio speratæ liberationis obseruasse, vt sibi ne viuus ab ea discerperetur, metuendum fuerit. A quibusdam nepotibus in ganeum deductus, numquam postea aditum ad cryptam inuenire potuit, nedum ingredi. Post annos aliquot alius ciuis Basileensis eamdem cryptam ingressus, vt familiæ suæ paupertatem leuaret, nihil præter cadauerum humanorum ossa inuenit: vnde subito correptus horrore festinus egressus, intemperijs actus fuit, donec tertio post die misere interiret. Paucos ante annos quidam Prior Margullinæ cum duobus socijs fossam quamdam in spelunca regis Salai prope Puteolos thesaurorum caussa ingressus, misere interijt, nec amplius visus est, vt narrat Villamontius libro 1. Itinerarij sui, cap. XXIII. Faustum & Agrippam magos, fama fert quum iter facerent, numos ad oculum sinceros in diuersorijs numerare solitos; quos qui receperant, post pauculos dies cornuum frusta vel scruta vilissima reperiebãt. Sic idem diabolus cuidam infaustæ matronæ Mosellanæ, quę ob crimen sortiarium post flammis tradita fuit, fiscellã dederat plenam scutatis, vt apparebat. illa reposuit in arcam: verum quum vti voluit, loco numismatum, fimum reperit equinum. Et ostendũt quidem nonnumquam thesauros dæmones, non tã vt hominibus eos largiantur, quam vt nanciscendi cupidos, in corporis atque animæ periculum trahant

Basileensis ciuis thesaurũ quærens perit.

Prior Mergullinæ.

Numi à diabolo dati, falsi

trahant. Apollonium arte sua thesauros quęrere solitum aiunt; sed nec Lucianus nec Philostratus testatur vmquam eum consequutum quidquam vnde olusculum paullo vnctius cœnaret. Agrippam quidem, thesaurorum per artem magicam spem offerentem, Carolus V. fortissimus & religiosissimus Imperator aula & regnis suis exsulare iussit. Andreas Theuetus narrat ab oculato teste acceptum, de Græculo quodā Magiano, eum dum in Paro insula thesaurum quęreret, à terra absorptum. Cabades rex Persarum, vt Cedrenus & Glycas testantur, quum accepisset in confinibus Persiæ & Indiæ in munitissima rupe Zudaderensi pretiosissimorum lapidum, auri & argenti thesaurum maximum à dæmonibus asseruari, qui mortales omnes aditu arcerent; eò cum exercitu profectus, castrumque vi conatus occupare, fortiter propugnantibus dæmonibus, repulsus fuit. Confugit ergo ad Iudæorum & magorum artes, quæ & ipsæ irritæ fuerunt. Ergo quum ei persuasum fuisset, Christianorum ad Deum precibus hoc potiri posse; auxilium à quodam Christianorū in Perside degentium episcopo petijt. Is indicto Christianis ieiunio, precibus & synaxi, diuina peregit mysteria, & ad locum accedens, coniuratos dæmones ibi degentes exegit, castrumque Cabadę nullo labore potiendum tradidit. Pasethem incantatorem res emere & pretium numerare solitum ferunt; verum mox numos à venditore ad emtorem clam omnes redijsse. Antonius Lauorerius, Barbarani archipresbyter & exorcista celeberrimus, mihi narrauit, nouisse se familiariter

Agrippa à Carolo V. proscriptus & cur.

Cabadis cum dæmonibus certamen.

Virgula diuina, vel potius magica, ad inueniendos thesauros.

riter monachum quemdam, AEgidium nomine, qui hanc thesauros inueniendi artem habere se, atque etiam Ferrariæ Ducis auspicijs reperisse vnum gloriatus sit, asportare tamen non potuisse, quod inuidi & maligni Spiritus lumina exstinxissent, funes rupissent, aliosque terrores & impedimenta obiecissent. Addebat, eiusdem facinus mirificissimum, vt ille ait, se vidisse. Iusserat enim Antonium quocumque vellet loco monetam auream vel argenteam abscondere, eam se arte sua magica nullo negocio reperturũ affirmans. Facit id nescio AEgidio Antonius, & quodam horti loco numum aureum, alio argenteum condit. Iubet AEgidius quatuor oleæ benedictæ ramulos conquiri; paullum decorticatis quatuor nomina inscribit, hæc scilicet: *Immanuel, Sabaoth, Adonai*: quartum memoria excidisse sibi Antonius aiebat. E ramulis illis duos AEgidius Antonio porrigit, duos ipse manu tenens, extremitatus cum ijs quos Antonius tenebat, coniungit, inde nescio quam coniurationem exorditur: qua finita, Psalmum L I. *Miserere mei Deus*, &c. legere incipit. Quum ad illa verba venisset: *Ecce enim veritatem dilexisti, & incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, &c. sensit Antonius vi quadã inuisibili rapi se, & versus horti ostiũ perduci. Iubet AEgidius eam in partem procedere in quam agi se Antonius animaduertet. Ita tandem in hortum perducitur vterque. Vbi ventum ad eum locum in quo numi erant absconditi; cuspides virgularum quas Antonius gerebat, tanto impetu subsilierunt, vt manu alterius distractæ viderentur. Territus Antonius,

mus, virgulis abiectis, quantum poteſt, fugere incipit, dæmonis iam iam aſſulturi impetum veritus. Toloſæ domus fuerat, ſubterraneis ſpectris infamis. Conducit eam vili precio medicus quidam Ogerius Ferrerius. Perſtrepente dæmone, & Ferrerio ſomnum turbare pergente, magum conſulit, qui reſpondet, theſaurum in cella vinaria prope columnam latere. Fodit medicus, theſaurum conſpicatur, ſed vt omnia faceret, tamquam coruus hians deluſus, inanis ſemper diſcedit: quin etiam dæmon perrupto muro, tantum ruinam traxit, vt parum abfuerit quin ea medicus oppreſſus periret. Norimbergæ quidam cum theſaurum magica arte reperiſſet, iamque ciſtæ aperiendæ manus admoueret, ædium caſu ſubito cum ſocijs eſt exanimatus. Nec vero theſauros tantum ſubterraneos dæmones hi incubones cuſtodiunt, verum etiam iniuſte parta ſæpe ſibi vindicant, & quandoque conſumunt. Polydorus Virgilius narrat, ab Eduardo Angliæ rege dæmonem circa pecuniæ ex iniuſtis vectigalibus & acerbis exactionibus collectę cumulos ſaltantem conſpectum, inde vehementer regem pauefactum pecuniam illam omnem ſubditis reſtitui iuſſiſſe. Simile eſt, quamuis fabulæ propius, quod alibi ſcriptum exſtat. Religioſo cuidam frater erat cauponariã exercens, ſed malis artibus hoſpites defraudans. Accedit cauponem frater, hæreditatem cum eo creturus. Rogat caupo, ne iam moleſtus ſibi hoc nomine eſſe vellet, cum paupertate plus quam ſatis ante luctanti. ſimul conqueritur, quamuis lucrum vndique, etiam per fas & nefas captet, rem tamẽ

Ogerius Ferrerius periclitatur.

Maleparta ſub dæmonum cuſtodia & poteſtate.

ſuam familiarem non modo non augeri, ſed minui indies. Religioſus verum id fatetur, neque cauſſæ ſe neſcium. eam ſe ipſi quoque commonſtraturum. ſimul in penuarium deducto, prægrandem & ſagina ita diſtentam vt ambulare vix poſſet, belluam oſtendit, inquiens: Ecce facultatum tuarum decoctorem & helluonem. Caupo obſtupeſcens, remedium à fratre petit. Iubet hic bonis artibus poſt hac rem quærere, & ab omni fraude ac malis artibus abſtinere. Sic enim Deum minime permiſſurum vt bellua hæc vel Spiritus rebus ipſius vllum inferat detrimentum. Vtitur conſilio caupo: poſt quadriennium reuertitur frater, & lætus, rem familiarem auctam deprehendit. Rurſus ergo in penu fratrem ducit; vbi eandem belluam macilentam ſupra modum ac fame quaſi enectam adſpiciunt. Ineptum profecto ſit heic cogitare, Spiritus cibo pingueſcere, aut macie deformari: certum tamen eſt diuitias male partas ſæpe occultis modis ab his Spiritibus, Deo permittente, conſumi. Quod ſi horum quid factum eſt; voluit Deus per religioſum illum cauponem iniuſtum in viam & ad vitæ emendationem reuocare. *Lucifugi* dæmones hi appellantur, quod lucem maxime oderint ac deteſtentur, tenebras econtra & denſiſſimorum nemorum horridas vmbras ament ac ſequantur, ijs maxime locis vbi aer humidus eſt & craſſus, vt in Germaniæ quibuſdam alijſque ad ſeptemtriones regionibus, in quibus obuij ſæpe hominibus occurrere, amplecti, atque etiam incredibili frigore, & contactu aut flatu interficere nonnullos dicuntur. Scribit Ioannes Meletius,

Lucifugi Spiritus.

letius, in Sarmatia coli spiritus quosdam visibiles, qui lingua Ruthenica *Koltri*, Germanica *Roboldi* dicantur, quos credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum; nutriuntque eos laute omni ciborum genere, eo quod adferre soleant nutritoribus suis frumentum, ex alienis horreis furto sublatum. Quum vero alicubi illi spiritus habitare & nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant. In domum congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris imponunt lacte plenis varia stercora animalium: quod vbi paterfamilias animaduerterit, nec dissipauerit segmenta, nec stercora è mulctris eiecerit, sed de inquinato lacte cum omni familia sua comederit, tunc illi apparere & permanere ibi dicuntur. Et quia tenebrarum hi dæmones cultores sunt, non immerito ea prodigia quæ de tenebris à Tartarorum quodam signifero subito inductis, atque alia eiusdem generis commemorauimus, adscribi eis posse videntur. Hi ijdem sunt qui nocturnis temporibus & locis plerumque solitarijs, nonnumquam etiam in magna domesticorum frequentia solent tumultus & varias vexationes exhibere, per cœmiteria, bustuaria, loca supplicijs aut cædibus infamia oberrare. Nota sunt exempla, vt de illa domo Atheniensi, cuius mentionem in epistolis Plinius facit; de illa Romæ, in qua interfecto Caligula, diu nemo habitare potuit, quoad incendio perijt, vt Suetonius Tranquillus affirmat. D. Augustinus Tribunitium quemdam Hesperium in Fusalensi Africæ territorio prædium habuisse dicit, in quo

Coltri vel Roboldi.

Spectra domestica.

maligni hi ſpiritus mirum in modum tam familiam quam animalia infeſtarint, adeo vt ad ſacerdotum opem confugere neceſſe haberet: qui exorciſmis & Miſſæ ſacrificio vix illos inde abegerunt. Narrat Fincelius Halberſtadij domum fuiſſe, ſpectris eiuſmodi & ſtrepitu nocturno poſt mortem patrisfamilias, hominis locupletiſſimi, valde infamem. Viſos noctu dæmones heri atque amicorum perſona menſæ exquiſitiſſimis epulis inſtructæ aſſidentes, & comeſſantes; longo miniſtrorum ordine epulas argenteis lancibus inferente, & vinum aureis poculis miniſtrante. De Datio Mediolanenſi epiſcopo Gregorius Turonenſis ſcribit, eum ob ſinceræ fidei confeſſionem in exſilium eiectum, dum Conſtantinopolim iter intendit, Corinthum appuliſſe; & hoſpitij inopia coactum, in ædes dæmonibus infeſtas diuertiſſe. Multa iam nocte, adſunt magno numero dæmones, rugit vnus, alter rudit, alius grunnit, alius alium terribilem edit ſonum. Surgens Datius, O immundi, inquit, & maledicti Spiritus, qui quum in cœlo eſſetis, ſedem veſtram in aquilone collocaſtis, Deoque ſimiles eſſe voluiſtis. ecce ſuperbiæ culpa leonibus, aſinis, porcis, alijſque brutis animantibus ſimiles facti eſtis, dum ſcilicet Deo obedire noluiſtis. Quibus verbis confuſi dæmones aufugerunt, neque vmquam poſtea eò reuerſi ſunt. Ad genus hoc dæmoniorum referenda eſt κρυςαλλομάντεια, catoptromantiæ non valde diſſimilis, niſi quod hæc in criſtalli fruſtis fiat annulo incluſis, vel vaſculo alteri, vel etiam nudis, & in cylindrum aut obelum conforma-

Spectra epulonum.

Datius dæmones quomodo abegerit.

Criſtallomantia.

formatis: quibus etiam dæmon fingit se inhabitare. Quemdam Norimbergæ anno MDXXX. ferunt in cristallo thesauros vidisse à dæmone ostentatos: quos quum postea quodam ante vrbem loco effosso quæreret, adhibito familiari vno spectatore, & iam in specu arcam vidissent, atque ad eam cubantem atrum canem, magus specum ingreditur, arcam aperturus canemque abacturus, sed Cerberi offam secum non attulerat. itaque ille cacumen speluncæ quassauit, & miserum ruina obtriuit, qua & specus terra oppleta. Atque hæc de sex dæmonum generibus non ex tripode dicta, sed ex aliorum opinionibus disputata sunto. Nunc pacta eorum & mirabilia effecta, quibus homines sibi deuinctos, cum æterno animæ & corporis dispendio, decipiunt, videamus.

DE SPIRITIBVS ET INCANTATIONIBVS

PRIMAE PARTIS LIBER IV.

De pacto dæmonum cum magis & sagis. & primum de pacto implicito siue tacito: vbi multa iterum exempla.

CAPVT I.

Dæmõ multis modis homines decipere conatur.



VLTIS ac diuersis modis Spiritus maligni omnes, sed inprimis qui familiares dicuntur, hominum genus decipere & ludificari quęrunt. Primus modus est, dum varijs formis hominibus apparentes, amicos se & iuuandi cupidos ostendunt: de quo supra dictum est. Alter modus est, per pacta cum magis inita; quibus omnes operationas magicæ innituntur. Probatur hoc & D. Cypriani, & D. Augustini auctoritate; quorum ille magos *fedus cum dæmone habere* dicit; hic, *Omnes*, inquit, *artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacto infidelis & dolosæ amicitiæ, constituta*. Idem ciuilis iuris auctoritate &

Cypr. de dupl mart. Aug lib 2. De doct. Christ. c. 23

te & sanctione Imperatoria stabilitur. *Multi magicis artibus vsi*, inquit Imperator, *elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & Manibus accitis audent ventilare vt quisquis suos conficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam natura peregrini sunt, feralis pestis absumat.* In eamdem sententiam schola Parisiensis articulum fecit. Quod apud Isaiam scriptum est: *Percussimus fedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*, probabili interpretatione B. Thomas ad magos accommodat. Et vero in pacta hæc lubenter consentiunt mali; nec minus promte quam astute dæmon se offert, magnarum & admirabilium rerum spe animarum periculum velās. Sic ipsi quoque Christo Domino ausus est pacti conditionem offerre, *Hæc omnia*, inquiens, *tibi dabo si procidens adoraueris me.* Quod vero talia pacta cum hominibus faciat dæmon, consentiunt Spineus, Sprangerus, Nauarra, Grillandus, Remigius, Sibylla, Mengius, omnes denique Theologi tam veteres quam recētiores. Lucanus quoque homo ethnicus tale pactum agnouit, in eo tantum deceptus, quod dæmones ab hominibus cogi posse putat. Sic enim canit:

l. multi. C. de malef. & math.

Artic. 3.

Isa. ca. 28.

Matth. 4.

Quis labor hic superis cantus herbasq; sequendi,
Spernendique timor? cuius commercia pacti
Obstrictos habuere Deos? parere necesse est,
An iuuat? ignota tantum pietate merentur,
An tacitis valuere minis? hoc iuris in omnes
Est illis superos, an habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum, qui Mundum cogere quicquid
Cogitur ipse, potest?

Lucanus lib. 6.

Pactum tacitū quid.

Pactum tacitum duobus modis fit. Primo, quando quis ſciens volens ſuperſtitioſis vtitur ſignis, apud magos vſitatis, quæ quidem ex libris eorum aut ſermonibus acceperit. Altero, quando quis magicis vtitur ſignis & characteribus, ignorans ea mala eſſe aut à dæmone inuenta, quod ijs ſolet accidere qui imprudēter libros quosvis legunt, & ſępe probitatis aut ſapientiæ opinione, quam de malis & ſceleratis habent, decipiūtur. Pactum vero tum intercedere exiſtimatur, vbi in facto aliquo mirabili & inuſitato nec miraculi, nec naturæ vis, nec artificis ſollertia inuenitur. Præterea, ſi adhibeantur verba ignota, falſa, obſcura, aut ſacra, ſed profano modo vſurpata, aut ad ſenſus alienos detorta. item ſi adhibeantur certi characteres & ſigna; aut certi dies & horæ, certus ſtellarum ſitus obſeruetur, cum certis imaginibus, granis, numeris, vocibus, inſtrumētis inſolitis, & ad id quod agitur parum natura accommodatis: quando etiam ſanctiſſimum crucis ſignum non rectè vſurpatur, vel vbi nó oportet poſitum, vel ſuperflue certis locis ac numero iteratum, certo quoque addito candelarum numero: quando ſacramentis alijſque rebus ſacris quis abutitur: quando quis ſigna vel effigies efformat, & aquis coquenda inijcit: quando quis certos numeros, aut notas incognitus in tali charta, talis coloris aut figuræ inſcribit: quando quis certum numum aut laminam ex auro, argēto aut alio metallo, incognitis characteribus inſcriptam, ſub certo ſiderum poſitu effingit; qualis fuit ille Paſethis, de quo Suidas & Apion, nummus, qui quoties erogatus fuerat, toties ad dominum

minum redibat: quando ſuperſtitioſæ & ſuperfluæ cæremoniæ adhibentur: vt ad expellendum dæmonem ſi pili radantur, ſi quis induatur tela numquam lota, ſi operetur vno pede nudo, diſcinctus, paſſo capillo, ſi virgam de tali ligno manu teneat, & iam ad orientem iam ad auſtrum ictus intentet: quando denique mortuorum oſſa, ſepulcrorum puluis, atque alia quæ nullum à natura ad effectum producendum vim habent aut proportionem, vſurpâtur. Porrò ad tacitum hoc pactum ij fere inducuntur, qui bona fide libros legunt ſuperſtitioſos, quales ſunt quos impij magi Adæ, Abeli, Enoch, Abrahæ, Paullo, Cypriano, Honorio, Alberto Magno, & alijs adſcribunt, & blaſpheme mentientes dicunt, quæ his libris continentur, ea fuiſſe tradita ab Adami cuſtode angelo Raziele, & à Tobiæ comite Raphaele reuelata. Salomonis etiam auctoritatem prætexũt, cuius librum *Clauiculam*, & aliud ingens volumen in ſeptem partes tributum, plenum ſacrificijs & incantationibus dęmonum, incautis obtrudere non verentur. His profecto qui vtuntur, cum diabolo tacite pactum ineunt, animamque ei dant in nexum; præcipue quando iſta concurrunt, ſcilicet vbi res non eſt proportionata ad effectum producendum; item quando ipſe effectus non poteſt prouenire niſi à cauſſa intellectu prædita. Talis fuit Rabdomantia veterum, qui certis quibuſdam verbis virgulæ extremitates coire faciebant, deinde bina ex hac fruſtula deciſa, & ad collum appenſa, quartanæ remedium afferre perſuaſum habebant. In his enim & talibus facile intelligi licet, non niſi à malo ſpiri-

Libri magici, pijs adſcripti.

Rabdomantia.

spiritu, immediate assistente, effectum sperari posse, qui incantatoribus lubenter obsequitur, ex vi pacti, quod cum primo incantatore, quem magicos illos ritus edocuerat, fecit. Huic enim recepit, omnibus qui tales characteres & sigilla formauerint, aut talibus ritibus operati fuerint, sese in eo quod voluerint, vel amore, vel odio, vel aliquo alio effectu eliciendo, obsecundaturum. Ex hoc genere notulæ illę & voces magicę apud Ephesios fuere, quibus vtẽtes, in omni certamine victores euaserunt: de quibus adagiographus Diogenianus. Et Suidas adiungit, Milesium quemdam cum Ephesio in Olympijs palæstra depugnasse, neque in conflictu vim eius sustinere potuisse, quod Ephesius in talo patrios illos characteres, è Dianæ pedibus, cingulo & corona, quibus instar ænigmatis insculpti erant, transcriptos haberet: quod simulac animaduersum, ademtas litteras, & Ephesium, qui iam triginta defatigarat, succubuisse. Magicis characteribus Pythagoram quoque vsum, ijsque multa stupenda effecisse, inprimis vero aquilam, de qua supra, cicurasse, Ammonius & alij testantur. Plinius auctor est Apionem Grammaticum herbæ cynocephalææ, ad incantationes efficacissimę, sed cuius effossio multis sæpe pręsentaneam adferat mortem, tum magicorum characterum & susurrorum virtute Homeri vmbram ab inferis euocasse, deque patria & parentibus interrogasse, eius tamen responsa alijs referre noluisse. Apud Germanos olim vestis militaris in vsu fuisse legitur, quę sine dubio ad pactum hoc implicitum pertinebat. hoc vero modo erat confecta. Ea nocte quæ diem natalem D. N. Iesu Christi

Circa characteres superstitio.

Notæ Ephesiæ.

Pythagoras.

Homeri manes exciti.

Vestis Germanorũ superstitiosa.

præcedit virgines quędam fila è certa lana, inuocatis nescio quibus spiritibus ducebant, ex ijsdem mox telam pertexebant, ex hac deinde eadem nocte interulas oblongas consuebant. Pectori bina capita appingebant, vnum à dextris, alterum à sinistris. Quod dextram obtinebat partem, barbam habebat oblongam, & galea erat tectum; quod læuam, formidabili erat instar dęmonis, aspectu, coronatum. Vtrinque crebræ erant adsutę cruces. verba quibus ista peragebãtur omittere consultius videtur. Hac veste qui indutus esset, contra omne telorum genus, quodcumque illud esset, etiam bombardas, tutum se arbitrabatur, ac plus quam vllis armis, ea confidebat. Pelops, vt Pausanias scribit, magicis quibusdam characteribus, quos ab Amphione acceperat, in terram defossis, ludis Olympicis omnes equos ad locum eum delatos ita exterruit, vt vltra non tenderent, sed quam celerrime retroagerentur. Et sane vix vllus alius est modus quo facilius hominibus dæmon imponit, quã quod annulis incantatis, characterib. magicis, & planetarij, quę vocant, sigillis tantã vim inesse persuadet. *Pelops.*

Et ad hoc quidem validissimũ illi telum est hoc axioma, *Res inferiores à cœlestibus corporibus regi*, siue, vt Ptolemæus loquitur, *vultus inferiores cœlo, subiectos vultibus cœlestibus*: quo iacto fundamento, facile ceterarum superstitionum labyrinthum superstruit, fore scilicet, vt si quis sub tali positu siderum annulum sibi faciat, aut imaginem vel sigillum talis vel talis figurę efformet, principum fauorem, dona, thesauros, dignitates, & alia similia consequatur. Et hac quidem *Annuli magici.*

ratio-

ratione dæmon omnibus magis illusit. Psellus inquit: *Magicas vero rationes constituunt à summis potestatibus, & à terrenis materiebus. Compati aiunt supera inferis, & præsertim sublunaria.* Credebant enim, quæ characteribus illis, figuris & numeris efficiantur, è virtute quadam participata, & à signis cœlestibus per sympathiam & occultam quamdam conuenientiam infusa promanare: quod tamen à vero atque ipsa philosophia valde est alienum. Non enim figura inter primas qualitates numeratur, ac proinde nulla ei actio adscribi potest, præsertim in rebus vita carentibus, puta auro, argento, plumbo, atque alijs eiusmodi: quũ operatio ei quodvitam habet tantũ tribuatur. Preterea, quum annulli illi, sigilla & characteres artificialia sint, non possunt naturales producere effectus: nisi illud quoque admittere velimus, posse aratrum ab artifice fieri quod sua sponte agrum proscindat, aut gladium, qui vltro hominesoccidat, & si quid magis est ridiculũ. Ex quo luce clarius est, omne hoc annullorum, sigillorum & characterum inuẽtum, diaboli esse technam, & meram imposturam. Quis enim magis indicauit, characteres illos aut planetarum sigilla, quæ scorpionum caudis, aut gallinarum scarificationibus propiores sunt quam litteris vel AEgyptijs, vel Chaldaicis, vel Hebraicis, aut Arabicis, signorum cœlestium aut planetarum præferre imaginem, quum in his nulla nisi rotunda figura conspiciatur? Conticescat igitur impium os Petri Abani, qui figuras has non quidem à nobis, sed ab Indis sphæræ nonæ insculptas videri ait. Illud credo voluit dicere, illis qui cre-

Characteres an vim habeant.

credere hoc noluerint, in Indiam abeundum, & rei veritatem explorandam: quo potius ipse cũ omnibus suis nugis est relegandus. Quod si tamẽ eiusmodi sigilla in India conspiciuntur; à quo quæso illud acceperunt, hoc Saturni esse, illud Iouis, alterum Mercurij, & sic deinceps? Quamuis ergo tota hęc ratio vanissima sit, & superstitionis plenissima, tamen vt nugacitas horum astrologomagorum, immò dæmonis astus in decipiendis hominibus deprehendatur, ex eorum commentis heic nonnulla decerpam. Primum igitur vnicuique planetarum certum aliquod metallum, soli aurum, lunę argentum, Saturno plumbum nigrum, Ioui æs vtrumque, Marti ferrum & chalybem, Veneri plumbum album, Mercurio electrum assignarunt. Idem in gemmis & lapidibus preciosis factum. Soli enim carbunculum vel hyacinthum, Lunæ adamantem & cristallum, Saturno chrysolithum & onychem perspicuum, Ioui saphyrum & amethystum, Marti iaspidem & magnetem, Veneri smaragdum & sardam, Mercurio achatem & topazium attribuerũt. Hinc sigilla efformaturi, ea ijs lapidibus aut metallis quæ signorum illorum erant, incidebant. Arietis sigillum fiebat ex auro puro, dum sol initium illius signi ingrederetur, luna vero in Cancro esset vel leone, libera malefico aspectu, ipsa meridiei hora. Conferre existimabatur diuitijs, existimationi, morbis omnibus capitis ac sensuum defectibus; item ad nauigationes & aduersus tempestates. Tauri sigillum formabatur, dum itidem sol illud signum ingrederetur, & luna in cancro esset vel leone, à maleficis libera. Fiebat vero figura ho-

Planetis quæ metalla sacra.

Quæ gẽmæ

Sigillum Arietis.

Tauri.

ra hominis studentis: & ad opus quoduis diligentem reddere credebatur. *Geminorũ* Geminorum sigillum fiebat sole dictum signum ingrediente, & in meridie vel ortu, quod de omnibus etiam reliquis est intelligendum: sicut & hoc, vt luna à maleficis sit libera, sed tum sit in leone, libra, vel cancro. Prodest hoc, si astrologis credimus, morbis brachiorum, atque in primis comitiali. *Cancri.* Eadem ratione sole cancrum ingrediente, & luna in libra vel leone constituta, sigillum coralio aut iaspidi incidebatur, quod aduersus tussim, sanguinis sputum, pleuritidem, vlcera exedentia, validum remedium credebant. *Leonis.* Leonis sigillum, eodem modo quando sol illud signum ingreditur, factum, nephriticis prodesse, cordisque palpitationibus, febribus acutis, solis ardoribus mederi, atque hominem etiam fortem & bonum (ô superstitio?) reddere putabatur. Figura eius, homo triumphans. *Virginis.* Virginis sigillum fiebat sole signum ingrediente, luna in libra vel sagittario. Aiebant conferre omnibus viscerum doloribus, & horrori ac febrium paroxysmis. *Libræ.* Sigillum libræ fiebat quum sol signum illud ingrediebatur, luna vero in capricorno erat vel aquario. Hoc qui gestabant, eos pios, misericordes, mãsuetos, prudentes fieri nugabantur: ad coniugum etiam concordiam, ad lucra, ad nauigationes & contra hæmorrhoidarũ cruciatum non parum conferre, persuasum habebant. Figura erat, hominis sedentis & cogitabundi. *Scorpionis.* Scorpionis sigillum fiebat, sole scorpionem ingrediente, luna vero in aquario vel piscibus versante. Contra quartanam, phthisin, vesicæ morbos, dolores ex ictu scorpionum,

pro remedio habebatur: homine n etiam pertinacem & inuictum reddere putabatur. Sigillum sagittarij fiebat quum luna esset in piscibus vel ariete. comitialibus, dæmoniacis, insanientibus, ischiæ dolori, febribus mistis ex bile & pituita vel sanguine, si dijs placet, medebatur. Sigillum capricorni, luna in ariete, vel tauro: ad artuum dolorem, & contra canes etiam rabidos. Sigillum aquarij, luna in tauro vel geminis: credebant visui prodesse atque oculis, crurium doloribus, studiosos facere & prudentes, atque imprimis reptilium noxis mederi. Piscium sigillum efformabatur, sole signum ingrediente, & luna in cancro aut geminis existente. Remedium erat superstitiosis contra podagram, mala vlcera, elephantiasim, & similes morbos. His planetarum sigilla multo nobiliora credebant, ad quæ effigianda quoque maiori erat opus obseruatione. Communia erant, ut significator sit in angulo, luna felix ipsum respiciens, & sol illi fauens, scilicet vt primum à radijs eius liberetur, nec malefica significatori obstet, aut super ipsum eleuetur, & vt in proprio metallo fiat vel gemma: pro sole in auro vel carbũculo, pro Marte in iaspide vel ferro, pro Ioue in ære, pro Saturno in plumbo, pro luna in argento aut cristallo, pro Venere in plumbo aut smaragdo, pro Mercurio in electro vel topazio. Solis sigillum existimabant hominem facere sapientem, grauem, fortem, victorem hostium, pudicum, potentem, felicem, sed cogitabundum. Lunæ vero, in itineribus, in mercatura, in diuitijs acquirendis fortunatũ, versatili ingenio, lepidũ, apud mulieres gratiosum. Iouis, ad honores, magistra-

Sagittarij. *Capricorni* *Aquarij.* *Piscium.* *Sigilla planetarum.* *Solis.* *Lunæ.* *Iouis.*

gistratus, gratiam principum, diuitias, mansuetudinem, bonos mores, animi tranquillitatem, continentiam, amicitias, sacerdotia, & in foro iudiciario victoriam: ad hæreditates etiam consequendas, si Saturnus illi faueat. Martis sigillum, ad victoriam, fortitudinem, ad lucrum, ex ludo quoque, si Mercurium habeat fauentem. Veneris, ad dona consequēda, ad gratiam Principum, & inprimis mulierum; ad sacerdotia etiam, sed magis ad connubia, ad salutem morborum desperatorum, ad lætitiam & hilaritatem, ad obliuionem curarum & mœroris, ad amicitias, ad comitatem atque affabilitatem. Mercurij, facit sollicitum, promtum, elegantem, diuitem, facundum, astutum, ad disciplinas & artes discendas aptum, in foro felicem. Saturni, tenacem, diuitibus charum, mille modis lucro insidiātem, mulierum contemtorem, thesauris inueniendis felicem. Atque hæc sunt veterum ac recentiorum etiam magię nimium tribuentium de planetarum sigillis deliria, quæ superstitio inuenit, hominum ignorātia credibilia fecit. Quis enim vel mediocriter in naturę obscuritate versatus nescit tam rapidum esse, vti supra quoque demōstrauimus, cœlorum motum, vt tam cito nulla imago aut sigillum effingi possit, quin mutatus sit stellarum situs? nec posse figurā artificiosam auro, argento aut alij metallo insculptam, *nihil omnino commune cum stellis aut cœlis habentem*, nouam aliquam inducere qualitatem, quę materiæ eas addat vires vt quod non poterat ante, efficere possit? Atque hæc est communis omnium Theologorum sententia, *Tertulliani inprimis*,

An vim habeant planetarum sigilla naturalem.

D. Thō. 2. 2. q. 96. ar. 2. lib. 4. cō tra gent. c. 104. & 105. & ibi Ferr. Tert. in li. de idolola.

nis, qui superstitionem hanc magicã esse aperte affirmat. S. Bonauentura in Centiloquio, *Obseruatio hæc*, inquit, *est à Deo maledicta, & ab Ecclesia interdicta, & quæ per astra procurantur, dæmonum illusiones atq; deceptiones sunt.* Eamdem superstitionem Schola Parisiensis damnauit his verbis: *Quod imagines ex metallo, vel cera, vel alia materia ad certas constellationes fabricatæ, vel certo charactere aut figura efformatæ, aut etiam baptizatæ, exorcizatæ, aut consecratæ, seu potius execratæ, secundum prædictas artes, & sub certis diebus, habeant virtutes mirabiles, quæ in libris huiusmodi superstitiosis recitantur, error est in fide, & philosophia naturali, & astronomia vera.* Pythagoras tamen Augustino quoque teste, characteribus, numeris ac litteris multum vsus est, iisque res miras & vix credibiles effecit, inprimis vero lunam diligentissime obseruasse dicitur. Vtrum vero cum dæmone aliquo ipse pactum fecerit visibiliter, an per pactum implicitum ab alio traditas magicas artes acceperit, scriptores dissentiũt. Præter alia supra commemorata, idem immani magnitudine vrsum cicurasse, diuque secum retinuisse, tandem vero hac conditione dimisisse fertur, ne cui vmquam hominum noceret: vrsumque in syluas & solitudines reuersum, diligenter fidem seruasse. Idem prope Tarentum boue fabas depascente, armentarium inclamasse dicitur, abigeret bouem, ac moneret ne fabis vesceretur. Bubulcum cum risu respondisse, correctionis eiusmodi se ignarũ: melius id facturum Pythagoram, qui discipulos in scholis monere esset solitus. Mox depromtis qui-

Bonauent. in Centilo.

Artic. Paris. 21.

Pythagoras characterib. magicis vsus.

Cælius li. 9. ca. 7.

Plut. in vita Numæ.

quibusdam characteribus, & magicis carminibus à Pythagora susurratis, bouem non tantum à fabarum esu refugisse, sed etiam Tarentum ad præsepe reuersum, sub iugum cogi nũquam postea quiuisse, immo tamquam canẽ domesticum, placide & velut humano more cibum ex hominum manibus sumpsisse. Libanius & Iamblichus, quærente de successore Valente Imperatore, eodem pacto tacito vsi sunt, tali superstitione. Pulueri vigintiquatuor alphabeti Græci literas inscripserũt, collocato ad vnamquamque litteram hordei grano. Inde demurmuratis quibusdam carminibus, gallum gallinaceum admiserunt: & quia gallinaceus absumserat grana notata literis Θ. E. Ω. Δ. omnes Theodoros, Theodosios, Theodatos, & Theodulos Valens occidi iussit: cui nihilominus Magnus ille Theodosius in imperio successit. Alij hoc per alectryomantiam, alij per oraculum ex tripodis machina laurea, alij alio modo factum volunt. Quidquid sit, credibile est, per diabolum, Deo reuelante, hæc ita detecta. Nam & illi ipsi consulti harioli, siue Libanius & Iãblichus, siue alij fuerint, interrogati num quæsissent quid ipsismet impẽderet, versus quosdam respondisse dicuntur, quibus & ipsis capitalis sententia, & Principi exustio denũciabatur: quæ sic euenere. Nam & Theodosius, vti diximus, successit; & hi capite mulctati; & Valens viuus à Gotthis igne est absumtus. Sub hoc quoque genere comprehenditur forsan illa magica superstitio quæ apud Lapponas, Bothnienses & Finnonas est in vsu. Cubiculum ingreditur magus, cũ vxore, & vno solo comite. Ibi ranam vel serpentem

Valens Imper. à magis deceptus.

Olaus li 3. & li. 5. c. 17

tem æneum incudi impositum, malleo aliquoties ferit: mox demurmuratis magicis versibus, quasi extra se raptus concidit. Iacentem, exanimi similem, diligenter socius custodit, ne à pulice, musca aut alio animalculo infestetur. Tandem ad se reuersus, de quo quęsitum erat, respōdet. Idem dici potest de ea superstitione qua Iannem magum Theophili Imperatoris præceptorem vsum, Cedrenus testatur. Quum enim tres aliquando barbarorum duces cum magnis copijs imminerent, Imperatori de belli euentu valde anxio Iannes hoc modo futura prædixit. Tres malleos ferreos iusserat fabricari; hos deinde tribus robustis viris in manus dedit, & media nocte, peractis incantationibus, statuæ tricipitis singula capita singulos quantis possent viribus percutere iussit. A duobus duo capita prōte à trunco decussa; tertium à tertio læsum tantum & confractum. Hinc Iannes Imperatori victoriæ spem fecit. Et belli quidem is fuit euētus, vt è ducibus illis duo perierint; tertius vero grauiter saucius ægre cum exercitus reliquijs domum sit reuersus. Magiæ huic valde deditam fuisse Euphrosynam Alexij Angeli Imperatoris Constantinopolitani vxorem, Nicetas affirmat. Nam & aprum Calydonium ex ære factum, & Herculis, pulcherrimi operis statuam, à Lysimacho sculptam, eum in vsum adhibuisse, & ex multis alijs statuis eidem fini membra decussisse, ait. Eodem pacto is adolescens se obligauit, de quo Hieronymus in vita Hilarionis. Hic puellæ cuiusdam Deo dicatæ ardens amore, quum bonis artibus nihil impetrare se posse videret, Mēphim

Iannes magus Theophili Imp. præceptor.

Cedrenus.

Euphrosyna Imperatrix magiæ dedita.

Hieron. in vita Hilarionis.

 abit,

abit, & ab AEsculapij sacerdotib. cōsiliū petit. *Fascinatio amatoria.* post quam amator magicis artibus instructus ab AEsculapij sacerdotibus redijt, & subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum & portentosas figuras, sculptas in æris Cyprij lamina, defodit; ilico amore insanire virgo, & amictu capitis abiecto rotare crineis, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis: magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta à parentibus ad monasterium, seni Hilarioni traditur, vlulante statim & confitente dæmone: Vim sustinui inuitus adductus sum. Quam bene Memphi somnijs homines deludebam! ô cruces, ô tormenta quæ patior! Exire me cogis, & subter limen ligatus teneor? Non exeo, nisi me adolescens qui tenet, dimiserit. Tunc senex Hilarion, Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio & lamina cōstrictus teneris. Dic, cur ausus es ingredi puellam Dei? Vt seruarem, inquit, eam virginem. Tu seruares, proditor castitatis? Cur nō potius in eum qui te mittebat, es ingressus? vt quid, respondit, intrarem in eum qui habebat collegam meum, Amoris dæmonē? &c. Ita vir sanctus, nondum etiam remoto maleficio, dæmonem expulit. In diœcesi Argentoratēsi Comes Vestrauiensis à concubina, qua antè legitimas cum alia nuptias abusus erat, simili arte fuit maleficiatus. Hæc ex vetulæ cuiusdā sagæ consilio ollam incantatam in puteum, qui in Comitis palatio, iniecit: vnde statim is ad actū coniugij ita inidoneus est redditus, vt iam post triennij experientiam nullos omnino hæredes speraret. Forte fortuna quum in prædictam concubi-

Comes vestrauiensis fascino legatus. Meng. in Compend. Exorc.

cubi-

cubinam incidisset, & post salutem ab ea rogaretur, ecquid suauiter cum vxore viueret, quot filios haberet; Comes de industria dissimulans, tres sibi esse ait perquam scitos, quartum vero ab vxore grauida adhuc vtero ferri. Heic indignabunda muliercula, Hoccine ego credam, ait. Male sit pessimæ illi vetulæ, quæ persuasit mihi artibus suis effecturam se ne vmquam liberi ex te nascantur. Subridens Comes, Quin tu quidquid huius est mihi pandis, inquit. Illa rem omnem narrat: qua percepta; Comes domum reuersus ollam in puteo quæri atque extrahi, & mox igne cremari iubet. Ita maleficio amoto, Comiti pristinæ vires redierunt, ac multi filij ex eodem matrimonio nati sunt. Similis fere, sed maioris maleficij exemplum Niderius ponit. *In oppido Boltingen*, inquit, *Lausannensis diœcesis, quidam dictus Stadelein, grandis maleficus, captus fatebatur se in domo quadam, vbi vir & vxor simul manebāt, maleficijs suis successiue in vtero vxoris præfatæ septem circiter infantes, ita vt semper abortum faceret, multis annis necasse. Simile fecit in eadem domo omnibus pecoribus fetosis, quorum nullum viuū partum edidit eisdem annis. Maleficio vero tali fuerat vsus. Subter limen ostij domus se lacertam posuisse dixit, quæ si amoueretur, fecunditatē inhabitantibus restitutum iri. Quæsito, nec inuento serpente, quia in puluerem fortasse redactus erat, pulueres seu terram abstulerunt, & in eodem anno vxori & omnibus iumentis domus fecunditas restituta est.* Oeniponte malefica quędam, efficta cerea imagine,

Niderus in Formicario Familiæ sterilitas fascino inducta.

Imago cerea malefica.

 gine,

gine, acubus vndique perforata, & subter limen defossa, vicinam doloribus ita vexauit, vt continuas acuum punctiones sentiret. Sed maleficio inuento & combusto, paullatim misera mulier conualuit. Imaginibus his alijsque rebus maleficos vti tamquam signo & condicto, siue pacto, cũ dæmone, nemo, opinor, negabit. Fascini vero deprehendendi rationem à saga in oppido Nouentano vsurpatam, hanc se vidisse Antonius Lauorerius narrauit. Sumebat funiculũ, aut strophiolum, vel quid aliud ægroti, idque manu dimetiens, aut maxima aut minima magnitudine ostendebat. quod si fieret, mortem ægro ominabatur; sin ad iustam rediret magnitudinem, sanitatem pollicebatur. Quodam die idem Antonius, quo vtrum ea mulier è strigum numero esset, experiretur, suum ei dat strophiolum, ægrotæ cuiusdam virginis esse dicens. Sumit mulier, metitur, primum decima parte solito grandius, mox palmam vix latum, tandem æque vt prius magnum reddit, Antonij illud esse nihil subodorata, vel quod noluerit illud ei dæmon, vel non potuerit, quod Antonius exorcista esset, reuelare. Infinita sunt quæ huc apposite à nobis cógeri possint miraculose dæmonum ministerio effecta, quæ breuitatis caussa omittimus, ab alijs narrata. Illud tantum conclusionis loco addimus, omnem hominem qui ad extraordinariam aliquam operationem eliciendam ad effectum minime proportionatis rebus, superstitioso ritu, siue ex libris magorum siue ex sermonibus accepto vtatur, intelligi tacitum habere pactum cum diabolo; at si superstitionem illam ab ipso dæmone, vel eius vica-

Fascini deprehendendi ratio ridicula.

Differẽtia inter pactũ tacitum & expressum.

vicario, aut tertio aliquo in nomine dæmonis acceperit, pactũ cum eodem habere expressum, animamque ei suam & corpus oppignorasse.

De Magia dæmoniaca, an aliqua sit: de Magiæ diuisione, quam nonnulli afferunt, in Magiam albam siue Theurgiam, & Magiam nigram, vel potius Necromantiam aut Goetiam: deq; modo quo magi antiquitus vsi, multis additis exemplis.

CAPVT II.

DAEMONIACAM esse Magiam, cuius adminiculo siue industria aut artificio hominum, nec naturalibus caussis, sed immateriali quapiam, spirituali & separata virtute mirabiles effectus atque operationes producantur, tam manifestum est, vt probare illud velle hominis videatur ocio suo abutentis. Neq; enim hoc scripturæ tantum testimonijs, sed omnium etiam ætatum memoria atque experimentis est compertum. Ita senserunt ex antiquis philosophis plerique: Trismegistus, Pythagoræi; Plato, Psellus, Plotinus, Iamblichus, Proclus, Chalcidius, Apuleius; ex peripateticis Theophrastus, Ammonius, Philoponus, Auicenna, Algazel, alij. Ante diluuium eam inuentam, & à diabolo gigantibus traditam, D. Clemens testatur: ab his

An sit Magia dæmoniaca.

Magia quis inuentor.
Clemens li. 4. Recogni.

ab his deinde ea Chamũ imbutũ. Sic enim scribit: *Docuerunt homines quod dæmones artibus quibusdam obedire mortalibus, id est, magicis incantationibus possent; ac velut ex fornace quadam & officina malitiæ totum mundum, subtracto pietatis lumine, impietatis fumo repleuerunt. Pro his & alÿs nõnullis caussis diluuium mundo introductum est, & omnes qui erant super terras deleti sunt, excepta Noæ familia, qui cum tribus filÿs eorumq; vxoribus superfuit: ex quibus vnus Cham nomine, cuidam ex filÿs suis, qui Mezraim appellabatur, à quo AEgyptiorum, Babyloniorum & Persarum ducitur genus, male compertam Magicam tradidit disciplinã, hunc gentes quæ tunc erant, Zoroastrem appellauerunt, admirantes primum magicæ artis auctorem, cuius nomine etiam libri plurimi super hoc habentur,* &c. Hæc Clemens. Porro Zoroastrem hunc cẽtum milibus versuum vniuersam hanc artem diabolicam comprehendisse, ac tandem in turbine quodam è medio discipulorum à dęmone viuum asportatum fuisse, apud Suidam legitur. Persis Apuleius duplicis Magię inuentionem adscribit. Hi enim duos credidere Deos, auctores rerum & dominos: alterum bonum, Oromasdam, quẽ solem censebant; malum alterum, Arimanem, siue Plutonem. Ab his duplicem Magiam deduxerunt: vnam quæ tota in superstitionibus & *falsorum* Deorum cultu erat posita; alteram, rerũ occultarum & naturę obscuritatis inuestigatricem. Hinc etiam hodieque nõnulli Magiam diuidunt, in Theurgiam, siue Magiam albam, & in Goetiã, siue Magiam nigram aut Necromãtiam: & *illius*

Zoroaster.

Persæ Magiæ studiosi
Plut. in lib. De Isi. & Osir.

Magiæ diuisio.

qui-

quidem effectus bonis, huius malis angelis adscribunt, illamque licitam esse, hanc illicitam esse, dicunt. Sic iactare solebat suasque imposturas venditare superioribus annis Scotus ille Parmensis: fuitque hic peruetus siue error siue impostura magorum, Platonicorum maxime, Iamblichi, Porphyrij, Plotini, Procli, & Iuliani Apostatæ. Verum commentitiam hanc esse & illicitam atque impiam Theurgiam, ipsius Cornelij Agrippę verbis, qui inter omnes magos facile familiã ducit, euinci potest. Sic .n. scribit: *Theurgia hæc sæpissime sub nominibus Dei & angelorum malis dæmonum fallaciis obstringitur: & licet cæremoniarum eius pars maxima munditiem animi, corporis & rerum externarum vtensiliumq; ostentet; immundi tamen Spiritus & deceptrices potestates hanc exquirunt, vt adorentur pro diis.* Addit, huius speciem esse *artem Almadel, artem notoriam, artem Paullinam, artem Reuelationum, & huiusmodi superstitionum plura, quæ eo ipso,* inquit, *sunt perniciosiora, quo apparent imperitis diuiniora.* Ceterùm Theurgiam hanc merum esse diaboli commentum atque imposturam, rationibus quoque probari potest. Aut enim effectus eius immediate Deo per magos operanti, aut Deo per angelos bonos eiusmodi perficienti tribuendi sunt. Et quamuis nonnulli prius illud defendant, dicentes, esse gratias quasdam gratis datas, vt sunt dona linguarum, & prophetiæ, quę non raro etiam impijs à Deo concedantur, vt Balaamo: neutro tamen modo Theurgiæ huius auctorem Deum dici posse manifestum est. Et primo quidẽ impie in eo errant quod magicas artes

Theurgia an & quid.

Inter dona gratuita et magicos effectus discrimen.

 cum

cum gratijs his gratuitis comparare audent; inter quas ingens sane est discrimen. Dona enim illa gratis à Deo data vera sunt miracula, nō pręstigiæ, nec adstringuntur certis, ridiculis ac superstitiosis, quoad modum, tempus, locum, aliaque obseruationibus, vt magicę illę operationes; in quibus si vel minimum aliquid horum desit, frustra omnis est magorum conatus. Multo minus dona illa Dei gratuita per doctrinę aut disciplinæ modum tradi possunt, quod magi faciunt, qui & magistros habent & auditores, ita vt discipuli per præcepta à magistris tradita idem quod illi operentur. Neque credi debet in his operationibus Deum alio modo concurrere quā in ceteris rebus omnibus creatis, videlicet tāquam caussam vniuersalem. Sed & hoc erroneū est & blasphemum dicere, angelorū bonorum ministerio Deum in magicis operationibus vti. Fatendum enim fuerit posse Deum ad conditionem aliquam adstringi. Hinc illud Parisiensis scholæ decretum siue articulus: *Quod Deus per artes magicas, & maleficia inducatur compellere angelos suis incantationibus obedire, Error. Quod boni angeli includantur in lapidibus, & consecrent imagines, vel vestimenta, aut alia faciant quæ in istis artibus continentur*, Error. Ecqua vero ratione Spiritus hi quorum opera magi vtuntur, boni dici queant, quum tamquam Deos adorari se, & sacrificia sibi fieri iubeant? quo crimine læsæ diuinæ maiestatis nihil est à puris illis mentibus alienius. Quid, quod hæ artes non tam ad iuuādum quam inferendum alijs per furta, adulteria, cædes, &c. damnum atque exitium diriguntur?

Paris. Art. 9. 19. 23.

Spiritus boni nolunt adorari.

Arbo-

& boni illi angeli tam hæc detestantur, quam maligni illi amant. Suis rebus admiſcent magi multa mendacia & deceptiones. nihil horum in bonos angelos cadit, in bono iam confirmatos. Quid vero abſurdius, quam quod magi in ſpiritus vti imperio & coactione, immo & minis rerum impoſſibilium & plane abſurdarum, glorientur? nihil horum bonis angelis poteſt conuenire, qui liberrimi ſunt ſpiritus, nullius quam Dei imperio ſubiecti. Eſt igitur tam Theurgia quam Necromantia, tam alba quam nigra Magia nihil aliud quam malignorum ſpirituum operatio, ad hominum perniciē vnice directa; in qua nec Deus nec boni angeli vllas partes aut agunt aut habent. Eadem *Goetia* Græcis dicitur, id eſt, *impoſtura*, ob præſtigias quæ in hoc frequentes. Neque tamen ſemper præſtigiæ, ſed quandoque mirabiles effectus, mali omnes; certe ad malum finem, à malo. Nam carminibus magicis, Deo permittente, mediante dæmone, & homines occiduntur, & mortui reſuſcitari, & futura prædici, & abſcondita erui videntur. Et quis omnia receſere poſſit? De hac leges Canonicę ita loquūtur: *Magi ſunt qui permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo, ac ſine vllo veneni hauſtu, violentia tantum carminis, interimunt. Vnde Lucanus: Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni incantata perit. Dæmonibus enim accitis, audent ventilare, vt quoſcunque ſuos perimant malis artibus inimicos. Ii etiam ſanguine vtuntur, & victimis ſæpe contingunt mortuorum corpora. Necromantici ſunt quorum præcantationi-*

Magia quid.

Goetia.

C. nec mirū. 26. q. 5.

tionibus videntur resuscitari mortui, diuinare, & ad interrrogata respondere. νεκρὸς *enim* Græcè, *Latinè mortuus,* μαντεία *diuinatio nuncupatur, ad quos suscitandos cadaueri sanguis adijcitur. nam amare sanguinē dæmones dicuntur. Ideo quotiescunque Necromantia fit, cruor aquæ miscetur, vt colore sanguinis facilius prouocetur.* Et paulo inferius additur: *His ergo portentis per diabolorum fallaciam illuditur curiositas humana, quoniam id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit inuestigare. Hæc potestas immundis spiritibus ideo datur, vt peruersos sibi aptent, hoc est prauos homines seducant, illos scilicet, qui spernunt veritatem, & credunt mendacio, iuxta Pauli sententiam: Sanam doctrinam non ferent, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, onerati peccatis, ducentur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiæ veritatem peruenientes.* Agrippa archimagus in duas eam species distinguit. vnam cuius cultores dicit se dæmoni submittere, ei sacrificare, & eum adorare: alteram in qua nullū ipse dicit intercedere pactum cum diabolo homini, sed hunc illi vel inuito imperare, & verborum quorumdam ac coniurationum virtute spiritus elicere atque aduocare, & ad mandata peragēda cogere. priorem illam fatetur legibus esse vetitam, nefandissimam & cunctis ignibus plectendam: posteriorem diuinam quamdam artē omnique laude dignissimam esse asserit, sed tamen

Cap. seq.

mani-

manifestis periculis atq; illusionibus nō carere: quod quidem ipsa testatur experientia. Apuleius magiam hanc, vel potius incantationes quibus magi vtuntur, *Versus sepulcrales* nominat; cēsens fortasse, qui multorum quoque fuit error, Magicos effectus per animas defunctorū fieri. olim velut diluuium quoddam vniuersum terrarum orbem inundauit, cuius hodieque non riuulos tantum, sed flumina quoque & maria reliqua videmus. In primis vero illæ mundi partes infames fuerunt, in quibus ad inferos aditus quidam esse sunt crediti, vt litus Franciæ occidentale, Tarentum, Auernus, antra Cimmeria, Heraclæa, alia loca. Denique scimus auorum memoria Salmanticæ, & in Italia ad lacum Nursinum, & in spelæo Visigniano huius Goetiæ celebres scholas fuisse. De ritibus eius sic Horatius:

Nicromantia seu Necyomantia

Carminibus quæ versant atq; venenis
Humanos animos. has nullo perdere possum
Nec prohibere modo, simulac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant herbasq; nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis, passoq; capillo,
Cum Sagana maiore vlulantem (pallor vtrasq;
Fecerat horrendas aspectu) scalpere terram
Vnguibus. & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt, Cruor in fossam diffusus, vt inde
Maneis elicerent animas responsa daturas.
Lanea, & effigies erat, altera cerea. maior
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat seruilibus, vtq;

Iam

Iam peritura modis. Hecatem vocat altera sæuam
Altera Tisiphonem.

Antiquis quidem vnam tantum Magiæ speciem, Necromantiam vel Necyomantiam scilicet, cognitam, certe frequentissime exercitatam fuisse, multis è scriptorum, maxime poetarum locis, non inepte quis coniectet. In hoc varijs vtebantur sacrificijs ac cæremonijs, mũdationibus, suffumigationibus, dæmonum inuocationibus & coniurationibus, horribilium verborũ & minarum plenis. Sic Tiresias apud Senecam Thebarum regis manes ex inferno euocat, Describit vero poeta primum lucum horridum & vmbrosum, eiusmodi incantationibus aptum. postea subiungit:

Huc vt sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus, præstitit noctem locus.
Tunc fossa tellus, & super rapti rogis
Iaciuntur ignes. ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frontem quatit,
Lugubris imos palla perfundit pedes,
Squalente vultu maslus ingreditur senex:
Mortifera canam taxus astringit comam,
Nigro bibentes vellere, atque atra boues
Retro trahuntur: flamma prædatur dapes,
Viuumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde Maneis, teque qui Maneis regis,
Et obsidentem claustra lethalis lacus:
Carmenque magicum voluit, & rapido minax
Decantat ore quidquid aut placat leues,
Aut cogit vmbras. Irrigat sanguis focos,

Soli-

Solidasq́ pecudes vrit, & multo specum
Saturat cruore: libat & niueum insuper
Lactis liquorem, fundit & Bacchum manu
Laua, canitque rursus, & terram intuens
Grauiore Manes voce, & attonita ciet.

Statius quoque eandem rem non minus graphice depingit. Facit enim Tiresiam lotione & suffumigatione prius se purificantem, postea bimorũ pecorum viscera, sulphur, gramen recens atque alia aris adolentem, vt eo fumo quasi consecratus rex, à spiritibus non offendatur. Inde syluam describit obscuram & horridam, Hecatæ sacram, vmbris infernalibus, laruis & dæmonibus frequentem. Subiungit deinde victimas, sacrificia, cærimonias, altaria, vestes, ac reliquum apparatum: tandem addit preces, inuocationes, coniurationes terribiles, & carmina à mago vsurpata. Sic vero canit:

Hic senior vates
Velleris obscuri pecudes armentaq́ sisti
Atra monet.
Tum fera cæruleis intexit cornua sertis
Ipse manu tractans notæq́ in limine silua
Principio largos nouies tellure cauata
Inclinat Bacchi latices, & munera verni
Lactis, & Actæos imbres suadumq́ cruorem
Manibus aggeritur quantum bibit arida tellus.
Trunca dehinc nemora aduoluit, mæstusq́ sacerdos
Tres Hecatæ, totidemq́ satis Acheronte nefastis
Virginibus iubet esse focos tibi Rector Auerni
Quãquã infossus humo, superat tamẽ agger in auras

Pineus:

Pineus: hunc iuxta cumulo minor ara profundæ
Erigitur Cereri, frondes, atque omne cupressus
Intexit plorata latus. Iamq́; ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges. Tunc innuba Manto
Exceptum pateris prælibat sanguine, & omnes
Per circum act pyras sacri de more parentis,
Semineces fibras, & adhuc spirantia reddit
Viscera, nec rapidas moratur frondibus atris
Subiecta re faces,

Verba vero incantationis hæc ponit:

Tartareæ sedes, & formidabile regnum
Mortis inexpletæ, tuq́; ô sæuissime fratrum,
Cui seruire dati Manes, æternaq́; sontum
Supplicia, atque imi famulatur regia mundi;
Soluite pulsanti loca muta, & inane seueræ
Persephones, vulgusq́; caua sub nocte repostum
Elicite, & plena redeat stige portitor alno.
Ferte simul gressus, nec simplex Manibus esto
In lucem remeare modus. tu separe cœtu
Elysios Perseia pios virgaque potenti
Nubilus Arcas agat, contra per crimina functis,
Qui plures Erebo, pluresq́; è sanguine Cadmi,
Angue ter excusso, & flagranti praua taxo
Tisiphone dux pande diem, nec lucis egentes
Cerberus occursu capitum detorqueat vmbras.
Atque hic Tiresias nondum aduentantibus vmbris,
Testor, ait, Diuos, quibus hunc sacrauimus ignem,
Læuaq́; conuulsæ dedimus carchesia terræ,
Iam nequeo tolerare moram. Cassusne sacerdos

Au-

Audior? an rabido iubeat si Thessala cantu
Ibitis? an Scythicis quoties armata venenis
Colchis agit, trepido pallebunt Tartara motu?
Nostri cura minor? si non attollere bustis
Corpora, nec plenas antiquis ossibus vrnas
Egerere, & mixtos Cælique, Erebique sub vnum
Funestare Deos libet, aut exanguia ferro
Ora sequi: aut ægras functorum carpere fibras,
Ne tenues annos nubemq; hanc frontis opacæ
Spernite, ne moneo. Et nobis sæuire facultas.
Scimus enim, & quidquid dici, fieriq; timetis,
Et turbare Hecatem, ni te Thymbræe vererer,
Et triplicis mundi summum, quem scire nefastũ est.
Illud: sed taceo: prohibet tranquilla senectus.
Iamque ego vos auide.

Iisdem fere cæremonijs eodemque apparatu Vlyssem Homerus vsum scribit. Primum enim in Cimmeriam insulam abit, quæ nullos vmquã solis vidit radios. Cum socijs ibi facta exscensione, fossam facit, in eamque ad excitandas vmbras infernales, multa inijcit atque infundit. primo aquam mulso mistam, deinde vinum dulce, tandem aquam puram: addit libamina è polline albissimo: incipit deinde coniurationem, promittens se vbi in Ithacam appulsus fuerit, dijs Manibus bouem præpinguem, Tiresiæ vero seorsim nigrum arietem immolaturum. His peractis precibus, multas victimas cædit, earũque sanguine illã ipsam fossam irrigat, ipse adstãs, & nudum gladium, quasi manes ne sanguinẽ biberẽt abactu rus, manu tenens. In hanc autem sententiam canit poetarum pater:

Hic vero Cimmeriorum erat virorum populusq́; ciuitasq́ue
Qui caligine, & nubibus tecti sunt, neque vnquã eos
Sol lucidus aspicit radijs,
Neque quum conuertitur ad cœlum stelliferum,
Neque quum in terra de cœlo defertur.
Sed nox perniciosa contegit miseros illos mortales.
Hic sacra quidem Perimedes, Eurylochusque
Gestabant, ego autem gladio acuto extracto à femore,
Scrobem fodi cubitalem quoquo versus,
Circa eam autem libamina fudimus omnibus Manibus,
Primum mulso, postea vero dulci vino,
Tertium vero aqua, insuper farinam albam commiscui.
Multum autem precatus sum mortuorum infirma capita,
Dicens: vbi venerim ad Ithacam sterilem, bouem optimam
Sacrificaturũ esse me in ædibus, pyramq́; impleturũ,
Tiresiæ vero seorsim arietem sacrificaturum soli
Totum nigrum, qui inter pecora excellat nostra.
Hos postquã votis, precibusq́; nationes mortuorum
Exoraui, pecora vbi cepissem iugulaui,
Super fossam fluebat sanguis niger: ipsæ congregabantur
Animæ ex Erebo manium defunctorum,
Puellæq́; iuuenesque, & multa paßi senes,
Virginesq́; tenellæ nouo luctu affectum animum habentes:

Plures

Plures autem vulnerati hastis ferreis
Viri bellicosi cruenta arma habentes,
Qui plures circa fossam obambulabant aliũde alius
Immenso clamore, me vero pallidus timor cepit.
Certe tum deinde socios adhortatus, iussi
Pecora quæ vtique mactata iacebant sæuo ferro
Excoriata adolere, & vota facere Dijs
Fortiq; Plutoni, & graui Proserpinæ.
Cæterum ego gladio acuto, stricto à femore
Sedebam, neque sinebam mortuorum inania capita
Ad sanguinem prope accedere.

Falso enim antiquis persuasum fuit, posse defunctorum animas carminibus magicis elici, & viuentibus conspiciendas dari: quæ quidem meræ erant dæmonum præstigiæ atque illusiones. Nam si naturæ vim atque ordinem consideremus; concedendum sane est mortuorum animas loco ad quem à Deo deputati sunt, non excedere: neque sane ad hominem vllo modo naturaliter pertinet substantiarum à corpore separatarum conuersatio. Hinc D. Thomas apparitionem animarum mirabilem esse profitetur, & inter diuina miracula computandam. Attamen si ad diuinam dispensationem respiciamus; possunt ac solent mortuorum animæ nonnumquam diuina potentia atque virtute viuentibus apparere, quum sanctorum, ad iuuãdos afflictos, quemadmodum Felix martyr Nolanis, teste Augustino, apparuit; quum damnatorum, ad terrendos & instruendos malos, vt de Benedicto & alijs quum Gregorius tum alij scribunt. Sed hæc quæstio alterius est loci. Neque heic veterum

Sacrificia nefaria. ſtetit ſuperſtitio, ſed vlterius progreſſa, ad victimas, ſanguinem, rogos, aras, res longe atrociſsimas & nefandas adiunxerũt, oſſa ſcilicet cadauerum, mulierum menſtrua, embryones, monſtra, rabioſorũ canum ſpumã, lyncium viſcera, ceruorum ſerpẽtibus paſtorum medullam, draconum oculos, alia denique multa, quorum vel commemoratio horrorem incutere poſsit. Inuocabant cerberum tricipitem, Parcas, Charonta, Stygiam paludem, Plutonem, Proſerpinam ſiue Hecatem, Furias, aliaque à ſe excogitata Deorum infernalium nomina. Formam huiuſmodi incantationum eleganter deſcribit Torquatus Taſſus poeta Italus, qui Iſmenũ magum in ſylua quadã obſcuriſſima, & nocturnis ſtrygũ ac dæmoniorum cœtibus infami, his ritibus operatum ſcribit. ſic ait: *Torquatus Taſſus*

Sorge non lungi à le chriſtiane tende
Tra ſolitarie valli alta foreſta
Foltiſsima di piante antiche, horrende
Che ſpargon d' ogn' intorno ombra funeſta,
Qui ne l' hora che' l ſol più chiaro ſplende,
E luce incerta, e ſcolorita, e meſta
Qual in nubilo Ciel dubia ſi vede,
Se' l dì à la notte, o s' ella a lui ſuccede.
Ma quando parte il Sol, qui toſto adombra
Notte, nube, caligine, & horrore,
Che raſſembra infernal, che gl' occhi ingombra
Di cecità, ch' empie di tema il core;
Ne qui greggi, od armenti a paſchi, al' ombra
Guida bifolco mai, guida paſtore:
Ne v' entra Peregrin ſe non ſmarrito,

Ma lunge passa, e la dimostra a dito.
Qui s' adunan le streghe, & il suo vago
Con ciascuna di lor notturno vienne
Vien soura i nembi, e chi d' un fero drago,
E chi forma d' un Hirco informe tiene,
(Concilio infame) che fallace imago
Suol allettar di desiato bene
A celebrar con pompe immonde, e sozze
I profani conuitti, e l' empie nozze.
Cosi credeasi, & habitante alcuno
Dal fero bosco mai ramo non suelse,
Ma i Franchi il violar perche sol vno
Somministraua lor machine eccelse.
Hor qui se n venne il Mago, el opportuno
Alto silentio de la notte scelse,
De la notte, che prossima successe,
E' l suo cerchio formoui, e i segni impresse,
Escinto, e nudo un piè nel cerchio accolto
Mormorò potentissime parole,
Girò tre uolte a l' Oriente il volto,
Tre volte a i Regni, oue dechina il Sole,
E tre scosse la verga, ond' huom sepolto
Trar de la tomba, e dargli il moto suole,
E tre co' piede scalzo il suol percosse,
Poi con terribil grido il parlar mosse.
Vdite, vdite ò voi, che da le stelle
Precipitar giù i folgori sonanti,
Si voi, che le tempeste, e le procelle
Mouete habitator de l' aria erranti,
Come voi, ch' à le inique anime felle

Ministri sete de gl' eterni pianti:
Cittadini d' Auerno, hor qui u' inuoco,
Et te Signor de Regni empi del foco.

Facta hac coiuratione, magus spiritus infernales syluã illã ita custodire iubet, ne irripere eò & materiam ad fabricãda militaria opera idoneam cædere Gothofredi exercitus possit. Mox subiũgit:

A quel parlar le faci, onde, s' adorna
Il sereno de la notte, egli scolora,
E la Luna si turba, e le sue corna
Di nube reuolge, e non appar più fora,
Irato gridi a raddoppiar ei torna.
Spiriti inuocati hor non venite ancora
Onde tanto indugiar? forse attendete
Voci ancor più potenti, o più secrete?
Per lungo disusar già non si scorda
De l' arti crude il più effi ace aiuto.
E sò con lingua anch' io di sangue lorda
Quel nome proferir grande, e temuto,
Ac cui ne Dite mai retrosa, e sorda,
Ne trascurato in vbidir fù Pluto.
Che si? che si? volea più dir, ma intanto
Conobbe, che finito ero l' incanto.

Id est: *A Christianis non procul regionibus*
Valles opacas niter, vmbrosum nemus
Surit, vel axe Phœbus vbi medio diem
Findit, per vmbras arborum lux discolor
Et mœsta, Phœbi qualis abeuntis, cadit.
At vbi Amphitrites merserit se gurgite
Phœbus, caligo horrenda, nox, tenebræ omnia
Tam spissa opacant, vt manu tangi queant.

Metus

Metus imago plurima vndique se ingerit.
Non vllus vmquam pastor armentarius
Nemus ingredi ausus; non viator, sed procul
Stans, sacra digito monstrat extento loca.
Heic congregari cœtus infamis solet
Triueneficarum, Thessalas tenentium
Artes, magorum & sidera excantantium
Schola. nuptiales heic ioci, & conuiuia
Agitantur, hirci præsidente dæmone
Forma, aut draconis, impijs strepit orgijs
Nemus. accolarum non securim huc intulit
Quisquam, aut reuulsit ramulum à trunco manu.
At fabricandis machinis idonea
Materia Francis inde quia petenda erat,
Violare lucum ausis: profectus huc magus
Silente nocte, circulos ducit notis
Mire exaratos, altero nudus pede
Stans medius, & discinctus, horrenda incipit
Proferre verba, terq; ad orientem plagam
Vultu retorto, terque ad occiduam plagam,
Virgam inde quatiens ter manu, virgam infimo
Qua animæ euocantur Tartaro, terram ferit
Discalceato ter pede: dehinc intonat
Carmen tremendum: Audite, regionem aeris
Quotquot habitatis Spiritus, qui fulgura,
Et fulmina, & stellas cadentes mittitis
Hominibus, animos vnde terrificat pauor:
Tum vos Auerni ô incolæ, qui sontibus
Numquam irremissa supplicia atque perpetem
Luctum irrogatis, tuque Auernum qui regis,
Adeste, adeste, &c.

Id eſt:

Vix carmen atque hæc verba finierat ſenex:
Quum noctis illud profugit toto polo
Quod erat ſerenum. Luna vultum nubibus
Tegit: at moræ pertæſus, Ergo, inquit, diu in
Caſſum ſacerdos audior? cunctamini
Venire? forſan carmine hac valido magis
Res eſt agenda. ſcimus hoc quoque ſpernere
Quod Dis nec auſit, &c.

Atque hęc de veterum Necromantia, & Manium euocatione.

Anno M D L V I I I. in pago quodam Thuringiæ non procul ab Iena oppido magus quidam captus, in quæſtione confeſſus eſt, ſe malam hanc artem à vetula quadam Hercyniæ ſyluæ accola edoctum; eiuſque opera & ſæpius cum dæmonibus colloquia habuiſſe, & multarum herbarum vires ad diuerſos morbos ſanandos cognouiſſe. Arteſius quidem ita de Magia loquitur, vt inter naturalem, albam & nigram nullũ faciat diſcrimen; tum innumeras accumulat ſuperſtitiones. Primo characteres Planetarum, annulos & ſigilla, eaq́ue conficiendi rationem proponit. ſecundo quę ad auguralem pertinent diſciplinam, in primis auium volatum, tradit. tertio, animalium voces quomodo intelligi debeant monet, addita ſortium à Proclo vſitatarũ ratione. quarto, herbarum vires indicat. quinto, quæ ad lapidem philoſophorum. ſexto, quomodo tam præterita & futura quam præſentia cognoſci poſſint. ſeptimo, quibus ritibus ars magica exerceri debeat. octauo, qua ratione vitæ longitudinis conſuli

conſuli debeat: vbi fabula de mille & viginti quinque annorum ætate. Quarum rerum à nobis facta eſt mentio, non quod eiuſmodi commentis & delirijs quidquam tribuamus, ſed vt diaboli technas, quibus miſeris hominibus tam variè illuſit, oſtendamus. Porro Magiæ exercendæ Arteſius hunc modum haſque cærimonias præſcribit. Primo ait locum eſſe eligendum montoſum, ſylvoſum, & ab omni hominum conſuetudine procul remotum. Deinde tria vaſa ſumenda monet, vitreum vnum, ſecũdum fictile ſiue argillaceum, tertium æreum. In terreo ſiue fictili conſpici ait res præteritas, in eo quod eſt ex ære, præſentes in vitreo autem, futuras. Terreum aqua implere iubet (pro quo tamẽ argẽteum vino plenum ſubſtitui poſſit) æreum oleo, vitreum aqua. Si quis autem præteritum aliquid cognoſcere quærat, dicit primo loco vas æreum menſę imponẽdum, inde vitreum, poſt argenteum. ſin præſens, primo loco vitreum, ſecundo argenteum, tertio ęreum: ſin futurum, primam ſtationem argenteo, ſecundam vitreo, tertiam æreo tribuendam. Addit deinde ritus atque alia, quæ malumus lector ex ipſius verbis cognoſcat. Sic vero ſcribit: *Deinde obſeruabis vt diſcus ſit viridi colore pictus, & gladius ſit vt illi, quibus vites putant: & in fundo vaſis vitrei ſit limbus ex vitro claro, & in fundo argentei lapis onychinus, & in æreo limbus ex viridi vitro, & in terreo myrrha in fundo vaſis, & vaſa ſint valde munda, & vitreus ſit coopertus panno lineo albo mundo, & quando operaris cum terreo non operaberis cum argenteo, nec è contra. Itaque debent eſſe tantùm tria*

 vaſa,

vasa, & sit in loco aprico, & tempus sit valde serenum, & fuerit iam per tres dies ante: & in die operare cum sole, & in nocte cum Luna, vel cum claritate siderum, & sit ibi silentium magnum: & operator totus candido vestitus, faciem autem, & caput rubeo serico, vel lino totus velatus, vt tantum oculi appareant, & sic omnia splendeant in nocte cum rubedine, & in die cum candore.) Et *si tempus etiam sit vernum, spargantur flores candidissimi diuersarum specierum, & in die operamur etiam cum vase ligneo loco terrei, & liquores sint limpidi, & mundi, & ponitur liquor vini. quod si non habeatur vini liquor, ponatur aqua, quæ pluit sine tonitru, & scias quod nulla vasa debent esse plena, minus tamen vitreum quod debet esse tantum plenum medium aqua, vt res etiam in vacuo appareat, & in vitreum vas aspicies à latere, quia coopertum est, & in reliqua à superioribus. Et si vasa terrea & ærea essent perforata, vt melius possent lumen excipere, non esset malum: & talia vasa debent esse lato orificio: vitreum autem non refert. In aqua autem videtur vmbra rei, in oleo figura, in vino res ipsa, &c.* Subiungit demum tredecim incantationum formulas, cum multis ridiculis & superstitiosis cæremonijs, quas lubenter suo relinquimus auctori. Quæ vero hac de re dicta à nobis sunt, eo pertinent vt intelligatur, quamuis multi malis suis artibus bono nescio cuius Magiæ albæ aut Theurgiæ titulo colorem quæsierint, eam tamen omnem meram esse imposturam, & diabolum habere auctorem.

De

*De fundamento Magiæ dæmoniacæ, pa-
cto scilicet cum dæmonibus expresso: de
charactere siue signo quo magi insigniun-
tur: de malis spiritibus, qui annulis,
vitris, aliisque rebus inclusos
se simulant.*

CAPVT III.



EX ijs quæ hactenus à nobis de varijs magorũ cæremonijs, dęmonũ inuocationibus, adiuratiõibus, vel potius exsecrationibus, alijsq; profanis ritibus disputata sunt, facile elucescit vnam tantum Magiã esse, Goetiam scilicet seu nigram, cuius basis & fundamentum est pactum cum diabolo, siue tacitũ siue expressum. Huius pacti vi miserrimi homines animam suam dæmoni quasi pignori obligant; ipse vicissim vltro se eis submittit, vocatus adest, interrogatus respõdet, iussus exsequitur, nulla quidẽ coactus necessitate, sed vt fortius clientes suos & arctius impedicet, vinciat, & perdat citius celeriusque. Ita.n. fit vt maleficus dæmoni cõfidat, cui se putat imperare, & dæmon simulet se imperiũ agnoscere. Et huic quidem opinioni omnis tã veterũ quã recẽtiũ Theologorũ schola subscribit, præcipue vero D. Thomas, Gulielmus Parisiensis, Scotus, Gerson, Abulẽsis, Victoria, Valẽtia, Spineus, Sprãgerus, Nauarra, Grillandus, Remigius, alij. Quid mirũ vero diabolũ hominib, hoc modo insidiari,

quum

quum eodem D.N. Iesum Christum tentarit? cui ausus mentiri, quum dixit: *Hæc omnia dabo tibi, si procedens adoraueris me.* Eadem ratione panurgus ille astutissimus ad quæ hominum naturam procliuem nouit, offerre solet, dignitates, diuitias, voluptates, vindictam de inimicis, & quæ talia, sub illa cõditione vt se dominum agnoscát. Et pactum hoc quidem varijs cæremonijs & solénitatibus peragitur, in ipsius præsentia dęmonis, sub varijs formis apparentis: quin nõnumquam etiam sanguine paciscẽtis cum dæmone obsignatur. Patet hoc ex historia Theophili cuiusdam Oeconomi, ab Eutychiano patriarcha Constantinopolitano, oculato teste descripta, hoc modo: *Theophilus* Quum Cæsar Iustinianus rerũ potiretur, Theophilus quidam in oppido Ciliciæ Adana Oeconomus ecclesiæ fuit, multis quidem ille gratus, & episcopali munere, quod tamen constãter detrectauit, dignus existimatus. Qui ab æmulis immerito accusatus, & de officio œconomiæ deiectus, in eam animi impotentiam adeoque impietatem deuenit, vt hortatori mago Iudæo morem gerens, Christum Dei filium ac matrem eius Mariam data syngrapha turpissime abnegaret, seq; totum imperio Sathanæ, qui se videndum obtulerat, traderet atque manciparet. Quid heic faceret miser? Totus animo perturbãtus, vt nusquam fere posset consistere, quum irato Deo, se dæmonis esse mancipium cogitaret, mutato consilio, tandem ad sanctissimam Dei matrem confugiendum duxit, ac templum ei sacrum petijt: in quo suas preces ac supplicationes, cum multa ieiunatione coniunctas, noctes ac dies indefesse con-

consumsit, magnumque veræ pœnitentiæ specimen edere cœpit. Quadraginta dies in hoc templo perdurans, nullumque orandi & plorandi lamentandique finem faciens (tantus in illo feruor erat pœnitentiæ) denique opitulante sacra Virgine, suam scriptam & consignatam diabolo syngrapham, qua Christianismum abiurauerat (mirabile dictu) recepit, & in Dei gratiam rediјt. Porro alia non minus abominationis ac terroris plena intercurrunt. Primo enim magus vel maga à dæmone familiari vel alia saga aut sortilegi ante tribunal Satanæ adducitur, qui in forma regis insidet solio maiestatis, cinctus vndiq; aliorum diabolorum, tamquam principum & baronum preciosissime vestitorum, corona. Aula tota marmorea videtur, parietes aulæis ac conchyliatis peristromatis nitet, omnia denique regalem luxum præ se ferunt. Satanas ipse è sublimi solio, tamquam aures benignas omnibus prębiturus, oculos circumfert. Mox venerabundus accedit vel dęmon vel quis alius perductor, atque in hũc modum infit: Hunc ego hominem, ô potentissime noster domine, atq; vniuersi huius patrone, in cuius manu oẽs diuitię sunt, & omnia huius mundi bona, ad thronũ tuum adduco, signa tua sequi, & sub tui nominis auspicijs militare, ac præter te, neminẽ rerũ omniũ creatorẽ & deum agnoscere, paratissimum. Cuius voluntatis testificandæ, seque in clientelam tuam permittendi caussa, ipse se præsentẽ heic sistere voluit. Tuum erit, ô clementissime domine, hominem hunc benigno vultu suscipere, tuaque gratia dignari. Ad hæc verba Satanas graui & sonora oratione ita respõdet:

Homagiũ diabolicũ.

det: Amicum hunc tuũ non possum non laudare, quod tam cordate in nostram cliẽtelam se dedere decreuit: quem etiã tamquam clientem nostrum acceptamus, & tam in hac quam illa altera vita omnibus bonis ac felicitate remuneraturos pollicemur. His ita dictis, iubetur miserrimus fidẽ & Christũ abnegare, baptismo renunciare, Dei obediẽtiam eiurare, B. Mariæ Virginis patrocinium repudiare, & cõuitijs insuper incessere, statuas & imagines sanctorum vbicũque oblatas cõspuere & cõfringere, eucharistiam, sanctorum reliquias pedibus conculcare, Luciferum tãquam dominũ & deum adorare, & varijs exsecrãdis sacrificijs, inprimis vero strigatorum à se & occisorũ infantium, colere, statis diebus ad conuẽtus aduolare, & quæ illic peraguntur, non segniter obire, quot poterit, dęmonis seruitio adiũgere, signo crucis, aqua lustrali, sale benedicto, cereis, & reliquis ab ecclesia benedictis cõsecratisve, se abstinere, animã denique & corpus suum diabolo in nexũ dare. Vicissim diabolus, vti diximus, pollicetur, se illis semper pręsto futurũ; se in hoc mundo votis eorũ satisfacturum, & post mortẽ eos beaturum. Post hæc profertur ingens liber & nigerrimus, incognitis characteribus & notis conscriptus; quo tacto, infelix diabolo homagium præstat, & perpetuã obedientiam execrabili iure iurãdo vel potius periurio promittit, syngrapha quoque interdũ, vt paullo ante de Theophilo diximus, sinistri pollicis sãguine cõscripta, tradita. Dein corporis alicuius parti, fronti, humeris, superciliis, narib. alijs deniq; partibus, frequentius vero latẽtibus, stigma vel characterẽ suũ, pedis leporini, catelli

nigri

nigri, manus bufoniȩ, testudinis, aut alia forma, diabolus imprimit, velut fugitiuis mācipijs de lapide emtis. Tali insignitus fuit Ioannes de Vaux, Stabulēsis. in quo illud singulare Petrus Oranus quæsitor negocij obseruauit. si acu vel graphio profundius adacto perforares, nullū sensū doloris reus percipiebat, nec quidquā querebatur: si vero à tergo, ita vt videre ipse nequiret, eminus signo illius catelli minareris digito erecto, tamquā si acriter torqueretur, quiritabatur. Triscalinus quidē Cenomanēsis, famosissimus incātator, cui à Franciȩ rege vitæ gratia facta est vt cōplices eiusmodi pacti proderet, multos quamuis initio præfractè negantes, tali signo reuelato, delicti cōuicisse fertur. Solere autem dæmonē suos signare in fronte, indicat Tertullianus, sic scribēs: *A diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorū diuinorum in idolorū mysterius æmulatur. Tingit & ipse quosdā, vtique credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ: signat adhuc in frontibus milites suos.* Irenæus quoq; quū tradidisset Carpocratianos artes magicas & incātationes operari, philtra quoq; & charitesia præbere, & paredros, atq; oniropōpos habere, de signo inusto subdit his verbis: *Alii vero ex ipsis signant cauteriātes suos discipulos in posterioribus partibus exstantia dextræ auris.* Horum stigmatum mentionem quoque faciunt Remigius, Niderius, Sprangerus, Bodinus, Memmigius, & alij qui vidisse se testantur. Hoc vero dæmonem facere aiunt, quod nequissimus Spiritus, in quibus potest, Deum imitari amat; qui in

veteri

Veteri Teſtamento ſuos ſigno circumciſionis, in nouo autem crucis ſigno ſignat, quod circumciſionis ſucceſſiſſe ſigno volunt Hieronymus & Nazianzenus. Quemadmodum vero diabolus omnibus in rebus Deo aduerſari ſtudet; ita diuerſis quoque cæremonijs & ritibus vult coli. Quocirca quando ad eum adorandi gratia accedunt magi & ſagæ, faciunt id plerumque obuerſo tergo ſtantes, interdum etiam cruribus in altum iactis, nec capite in anteriorem partem prono, ſed reſupinato, adeo vt mentum ad cœlum feratur. Illud vero omnium abſurdiſſimum ac fœdiſſimũ, quod ei podicem deoſculantur. Petrus Burgotus & Michael Verdunus ſortilegi in quæſtione confeſſi ſunt, ſe poſt abnegatum Chriſtianiſmum, & diabolo præſtitum obſequij iuramentũ, duabus arreptis è cera viridi candelis, flammam nigram vomentibus, in platea oppidi Carlonij dæmonio ſaltantes ac miro modo geſticulantes, ſacrum feciſſe. Ait Grillandus, facto homagio, ab ipſo principe dæmone conſtitui ſtatim vnum ad cuſtodiam noui clientis, quem Magiſtellum, aut magiſtrum Martinettum vel Martinellũ vocant. hunc ſemper ei in omnibus præſto eſſe, nõnumquam etiam viſibili canis, æthiopis, famuli, aut alia forma. Sic Magdalena Crucia ſatellitem eiuſmodi ſiue aſſeclam habuit, æthiopis forma. Sic Simonem magum Glycas ſcribit canem habuiſſe, allegatum catenæ in domus limine, deuorantem eos quotquot iniuſſi ad Simonem adire conarentur. Eumdẽ vero Petrum intrare iuſſiſſe, & humana voce Petrum adeſſe nũciaſſe. Vmbras etiam eumdem magum pręcedere ſolitas, quas

ille mortuorum esse animas dicebat. Simile de saga quadam Francisca Senensi idem modo nobis laudatus prodit Grillandus, quæ canem itidem circumduxerit, post nescio quas peractas preces, humana loqui voce solitum: cuius nefariæ hypocrises o tandem illa Pontificis iussu cōprehensa, & flammis vltricibus combusta, graues, sed iustas dedit pœnas. De asino quoq; Cayri in AEgypto à se viso, mira narrat Bellonius, grauis auctor. Is & omnia à mago dicta intelligebat, & voce humana respondebat. Iussus in mulierum cœtu forma cœteris præcellentem quærere, sine vllo id faciebat errore. Cibum venerabundus, & apportanti quasi gratias agens, accipiebat; tam denique multa supra bestiæ captum faciebat vt ad spectaculum vniuersa concurreret ciuitas. Hæc oculatus testis Bellonius; addens, numquam se nisi suis ipse vidisset oculis, res tam miras fuisse crediturum. Seruiunt præterea paredrij alia ratione incantatoribus, inclusi scilicet annulis, ampullis, cistellis, atque alijs eiusmodi rebus: non quod instrumentis his illigati vel inuiti detineantur, quum spiritus materie corporea vinciri nequaquam possint; sed sponte hoc faciunt, vel ex vi pacti cum mago initi, vel superioris alicuius dęmonis iussu atque imperio. Ioannes Leo scribit, spiritus eiusmodi apud Africanos caueis inclusos teneri, auium figura, quibus de rebus futuris cōsulētes numū obijcere soleant: quo illæ accepto, scedulam, cui respōsum inscriptū, rostro apportant. Burdigalæ, teste Martino Antonio Delrio, de societate Iesu, accuratæ eruditionis & profundi ingenij

Francisca Senensis.

Asinus mirificus.

Paredrij annulares vel cistellares.

Aues hariolatrices.

Aduocatus Burdigalensis.

viro, aduocatus quidam paredrium habebat in phiala vitrea. eo mortuo, heredes nec phialam retinere volebant, nec frangere audebant. Consilium petituri, adiere collegium ſocietatis IESV. Patres iuſſere phialam deferri ad ſe: coram ipſis ſe terræ illiſuros. Attulere: ſed orarunt, ne coram ipſis frangeretur, immania ſe metuere viſa. Recedentibus ergo illis, in accenſum, tum forte clibanum magna vi phialam coniecere, & nihil aliud quam ex vtriuſque elementi conflictu ſtridorem audiuere. Teſtatur ille idem Delrius, ſibi

Radix mãdragoræ.

Anno MDLXXVIII. quum adhuc iudicis miniſterium obiret, inter rei cuiuſdam annotatas fiſco chartas, præter libellum magicis plenum characteribus, oblatam ſimul capſulam, ſandapilæ more efformatam, & in ea viruncului mandragoreum, atrum & ſitu pædoreque obſitum, largo capillitio, ſed imberbem: quem vulgo putant ad diuinationes, lucra & alia multa mire efficacem. accepiſſe ſe librum capſam & fictitium cadauer: hoc etiam primum laceraſſe, abruptis auulſiſque brachijs. qui aderant dictitaſſe, magnum ſibi domuiq; periculũ imminere; ſed his cum riſu faceſſere iuſsis, in focum omnia conieciſſe, nec aliud quam vſtæ radicis percepiſſe nidorem. Apolloniũ Tyaneũ familiariter iſtis ſpiritibus vſum, Philoſtratus auctor

Apollonij Tyanei annuli.

eſt: & ex eo Alexander Neapolitanus affirmat, annulos eum ab Iarcha Gymnoſophiſtarũ principe dono datos inſtar numinis habuiſſe, ita vt ſingulis diebus per vices variatis, maximorum ſecretorum particeps fieret. Paredrium eiuſmodi annulo incluſum habuit Ioannes Iodocus Ro-

ſa, ciuis Cortracenſis : cum quo ad minimum quinto quoque die familiariter colloquia miſcebat, ad quæcunque vellet promto eius ſeruitio vſus, ita vt non ea tantum quæ paſsim locorum eueniebant, cognita haberet, ſed eiuſdem opera morbos quoque grauiſsimos ſanaret. Tandem eo ſortilegij Arnhemij in Geldria accuſato, & proſcripto, Cancellarius publico in foro Anno MDXLVIII. die Iunij XIV. annulum illum magicum incudi impoſitum, malleo confregit. De patre ſuo Facio Hieronymus Cardanus ſcribit, eum per annos duodetriginta ſpiritum eiuſmodi ſiue pythonem domi habuiſſe, cumque eo varijs de rebus quotieſcunque vellet colloqui ſolitum. In oppido quodam Venetę ditionis (quod Mengius ait à quodam ordinis ſui ſocio ſibi narratum) pythonicus ad concionatorem venit, indicat habere ſe domi ſpiritus duos familiares, annulo illigatos. eis ſe hactenus familiariter vſum, & quoties vellet colloquutum, iam vero pertæſum liberari eis cupere. ad hoc auxiliũ religioſi implorabat. nõ potuit adduci concionator vt in colloquiũ cum dæmonib. deſcẽderet: ſed ſuaſit vt quã primum annulos illos incantatos comminueret atque abijceret. heic plangere illi ſpiritus, vim deprecari. rogare concionatorem ne fieri id pateretur. reciperet ipſe annulum; effecturos ſe vt inter omnes diuini verbi præcones nomen celebratiſsimum obtineret. Intellexit fraudem myſtes, ſtatimque exorciſatos dæmonas cauſſam cur ipſi ſubijcere ſe vellent, fateri cogit. Mentiũtur multa: tandem aiunt, magi illius conſcientiã ſe nuper dum concionem audiret, pupugiſſe, eũ in ſi-

Roſa Cortracenſis ciuis.

Facij Cardani paredrius.

Diabolus concionatori inſidias ſtruit.

in finem vt à mago relicti, à concionatore susciperentur, de quo non dubitarent quin breui superbia inflatus in hæresim, atque inde in æternum exitium esset præcipitandus. Iratus concionator, annulum mallei ictu comminuit, & dæmonibus vt ad gehennam aut aliò, quò Deus vellet, propere facesserent, in nomine Dei mandauit. Talis procul dubio fuit annulus Gygis, quo, teste Herodoto, fretus Candaulem interemit. Tales duo illi Phocensium tyranni, de quo Clemens Stromateus; qui sonitu sponte edito eum commonebant de commodo rerum gerendarum tempore: qui tamen insidias conspirantium sic euadere nequiuit. Talem annulum habuit quoque Hieronymus quidam Cancellarius Mediolanensis, qui ei exitio fuit, vt & alteri cuidam. Quum enim, mente fortasis non bona, annulum in ignem coniecisset: statim à dæmone correptus & in furorem actus fuit. Principem quemdam hoc æuo annulum eiusmodi aureis viginti à nescio quo circulatore emisse, Delrius testatur. promiserat venditor semper, dum gestaret, aleæ & chartarum lusum ipsi fore lucrosum. It, ludit. primo cedit non infeliciter. redit ad fritillum, sed frequenter damnosis subsilientibus canibus, magna cum numorum iactura. Sic se delusum videns, quem emi non oportuerat, annulum confringi iussit.

Gygis annulus.

Cancellarius Mediolanensis.

Princeps annulo deceptus.

DE

De nocturnis magorum ſagarumque cœtibus, quos obeunt à dæmonibus absportati: de ſpurciſsimis voluptatibus quibus à diabolo deluduntur: de modo vnguenti magici faciendi.

CAPVT IV.

SPIRITVS familiares, quos Magi ſtellos vel Martinettos appellant, veluti cuſtodes aut pædagogi ſagis, & quicumque ſceleratiſsimæ ſocietati nomina dederunt, additi, nũquam ab eis recedunt, ſed ad omnia obſequia, ceu à Lucifero iuſsi, paratiſsimos, immo miſeris hominibus obnoxios ſe & ſubiectos fingunt. Ab his vbi tempus celebrandi conuentus indicatum fuerit, tam viri quam feminæ ad noctem illam, quæ vt plurimum diem Martis vel Veneris ſubſequitur, ſe comparant. Ac primum conſtituto tẽpore operam dant vt quamocultiſsime poſſunt ab ijs quibuſcum tum ſunt ſe ſubducant. Ad quã rem vnguento corpus nudum illinunt. Sic inuncti baculo, furcę, vel colo, vel cremathrę impoſito vno pede, vel ſcopis, aut arundini, vel tauro, ſui, cani, aut frequentiſsime hirco (quorum omnium figura diabolus ſe præſentem ſiſtit) inequitantes, per caminum, feneſtras, aut ianuam, ac tum per aerem ad locum conuentus deferuntur. Ibi magnum inueniunt eidem ſacrilegę impietati operantium tam virorum quam feminarum

Dæmones cur hominibus videãtur obedire.

Sagarum conuentus qualiter celebrentur.

numerum. Sedet alto in throno regis habitu Sathanas: quem omnes adorandi gratia accedunt. Sacris nefarijs factis, mensæ opipare instructæ incipiunt assidere, & conuiuari de cibis quos dęmon suppeditat; nec interim deest Musicorum instrumentorum concentus. Mensis sublatis, dæmon quisque suam quam custodit discipulam manu prehendit, & vt omnia fiant ritu quam absurdissimo, dorsis inuicem obuersis, & in orbem iunctis manibus capita fanaticorum more iactantes tripudiant. Peracta saltatione, extinctis luminibus cum suo quisque amasio fœdissime commiscentur. Appropinquante aurora singuli suos iterum Martinellos in varias animalium vel aliarum rerum species mutatos conscēdunt, applicatisque fortiter ad collum aut crines manibus, ne effundantur, domum quam velocissime reuehuntur, ita vt pauxillo tempore interdum vltra quingenta miliaria conficiant, vti ex superiorib. patet exemplis. Abituri ad cœtum à Martinello monentur, ne vllo modo signum crucis faciant, aut Dei ac Beatæ virginis nomen inclament: quod qui fecerint, pręsentissimum vitę periculum sibi accersunt, & ab ipso dæmone grauiter castigantur. Sæpe à Sathana iussi, suo ab vltimo conuentu facinora singuli narrant; quæ quo grauiora & magis execranda fuerint, eo collaudantur vberius; si nulla sint, vel non satis atrocia, verberantur segnes atrocissime à dæmone vel à malefico quopiam seniore. Tandem indicto cuique scelerum penso, & pronunciato pseudothei dæmonis decreto: VLCISCIMINI VOS, ALIOQVI MORIEMINI, conuentus dimit-

Saltatio.

Libidines.

Sagæ quæ à dæmone castigentur.

imittitur,& ſuas quiſque domos ſi prope ſint, edibus, ſin diſtantiores,eo quo diximus modo duecti repetunt. Conuentus vt plurimum ineuntur vel noctis mediæ ſilentio, quando viget poteſtas tenebrarum,vel interdiu ipſo meridie; quo tempore magi,vt Cardanus ſcribit, ſuas incantationes expedire ſolent. Narrauit mihi librarius quidam amicus meus,non ſemel ſe dum in Germaniam proficiſceretur, cœtus eiuſmodi ad montium radices vidiſſe in orbem ſaltantium tum virorum tum mulierum : vbi vero ipſe intra lapidis iactū acceſſerat, ſubito omnes euanuiſſe. Ad Caſtellum nouum Vicetini agri in cōſepto quodam Franciſcinorum Comitum, ſub alta caſtanea nō procul à ſyluula,hiſce ego oculis vidi orbem gramini impreſſum,tam perfecta rotunditate vt circino ductus videri poſsit.Equidem exiſtimo ibi loci conuentus eiuſmodi cœtuſque diabolicos celebrari, illumque ſaltatorium eſſe orbem à ſagis verſatum. Illud vero mirum eſt,quod quum reliquæ prati partes omnes tam extra quam intra circulum,graminea vernent viriditate,ipſe tamen circulus totus ſqualleat, neque quidquam vmquam habeat viroris. Vnde ſuſpicatus ego murum forte aut quid aliud ſubtus latere, quod graminis herbarumque prouentum impediat; terram effodi iuſsi;ſed aliud nihil inuentum quam eiuſdem bonitatis gleba,ſiue ſolum, cuius reliquus ager vicinus. Niderius affirmat, in Anglia An. MCCCCXLV. viſam ſagam nigerrimo equo inſilientem, & ad conuentus illos nocturnos auolantem. Olaus Magnus teſtatur apud populos Aquilonares frequen-

Tempus conuentus ſagarum.

Orbis ſaltatorius ſagarum.

Olaus Magnus.

quenter cœtus eiusmodi dæmonum à viatoribus noctu iter facientibus, atque armentorum custodibus conspici. Choream describit Saxo Sialandicus siue Grammaticus, & omnigenûm ponit dæmonum nomina, his versibus:

Varia dæmonum nomina.

Trux Lemurum *chorus aduehitur, præcepsque per auras*
Cursitat, & vastos edit ad astra sonos.
Accedunt Fauni Satyris, Panumque *caterua*
Manibus *admista militat ore fero.*
Syluanis *coeunt* Aquili, Laruæque *nocentes*
Cum Lamiis *callem participare student.*
Saltu librantur Furiæ, *glomerantur iisdem*
Laruæ, *quas* Simis Fantua *iuncta premit.*

Choreæ & sonitus in locis solitariis.

Vltra Atlantem montem, Pomponio Mela teste, noctu frequenter & ignes siue lumina videntur, & musicorum instrumentorum soni audiuntur; postera vero die nullum omnino apparet vestigium. De choreis & sonitu idem Solinus testatur, & Plinius, qui dæmones hos *AEgypanes* vocant. pinguntur caprinis pedibus, vt & Satyri, de quibus vide quæ ijdem scripsere. Atque hæc fortassis est illa apud septétrionales *Eluarum chorea*, de qua Olaus Magnus supra citato loco scribit, quandoque saltum earũ adeo profunde in terram imprimi, vt locus insigni ardore orbiculariter peresus, non pariat arenti rediuiuum cespite gramen: de quibus eam habeant populi illi opinionem, quod animi eorũ hominum qui se corporeis voluptatibus dedũt, earumque quasi ministros præbent, impulsuique libidinum obediunt, ac diuina & humana iura violant, corporibus elapsi, circum terram ipsam

Eluarum chorea.

ipſam volutentur. E quorum numero eos quoque eſſe credunt, qui ſe adhuc noſtro quoque ſęculo in effigie humana accommodare ſolent miniſterijs hominum, nocturnis horis laborando, equoſque & iumenta curando. Hinc quoque illa ſceleſtarum quarumdam mulierum nata videtur ſuperſtitio, qui ſe cum Diana ſiue Herodiade equitare, & ad conuentus illos nocturnos proficiſci perſuaſum habuerunt; de quibus Canon ita loquitur: *Illud etiam non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Satanam conuerſæ dæmonum illuſionibus & phãtaſmatibus ſeductæ credunt ſe & profitentur cum Diana nocturnis horis, dea paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multarum terrarum ſpacia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, eiuſque iuſsionibus obedire velut dominæ, & certis noctibus ad eius ſeruitium euocari. Sed vtinam hæ ſolæ in perfidia ſua periiſſent, & non multos ſecum ad infidelitatis interitum traxiſſent. Nam & innumera multitudo hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credunt, & credendo à recta fide deuiant, & errore paganorum inuoluuntur, quum aliquid diuinitatis aut numinis extra vnum Deum arbitrantur*. Porro de his corporum translationibus ſupra quum de Spirituum velocitate egimus, aliquot exempla ſunt poſita, in primis ruſticæ cuiuſdam, item Lucretiæ, mulieris Sabinẽſis, atque aliorum vtriuſque ſexus. Etſi enim nec vlla ſit Diana dea, vel ſuperſtes numen, nec Herodias vlla ſaltatricula vllibi in terris equitet, in inferno cruciata: ex prædictis

Diana ſiue Herodias.

Canon.

Striges an vere de loco in locũ trãsferantur.

tamen exemplis patet, ſolere dæmones certa ſibi loca deligere ad cœtus ſuos & conuenticula malefica; deinde non ipſas modo maleficas ferri per aera, ſed & auxilio dæmonis alios humeris eo deferre poſſe. Negantibus haut ſuaſerim in rem præſentem veniant, aut experimẽto ſe committant. Periculoſum enim hoc, vt ex hoc, quod ex Cumano addo, manifeſtum eſt exemplo. *In Mendriſio,* inquit, *oppido Comenſi, contigit iam fere annis quinquaginta elapſis, vt quum ibi quidam inquiſitor nomine Magiſter Bartholomaeus de Homate, D. Laurentius de Concoretio Poteſtas, & Ioannes de Foſſato Notarius, contra has ſtriges procederent, vna die ipſe Poteſtas quadam curioſitate ductus, volens experiri, an vere & corporaliter ſtrigiæ irent ad ludum, facta conuentione, acceßreit quadam die Iouis ſero cũ notario ſuo, & quodam alio, extra oppidum ad quemdam locum, ſicut illi ſtrigia prædixerat: & dum ibi prope eſſent illi tres, viderunt ibi plures perſonas congregatas coram quodam, qui erat diabolus in forma hirci, ad modum cuiuſdam magni domini ſedente, & ecce ſubito omnes illæ perſonæ ibidem congregatæ, iuſſu diaboli adeo illum officialem & omnes eius ſocios, Deo ob eorum curioſitatem permittente, baculis percuſſerunt, quod ex talibus percußionibus ille officialis & notarius & tertius ille alius infra quindecim dies mortui ſunt.* Sed exemplorũ ſatis: nunc reliqua exſequamur; inter quæ illud quoque eſt, quod præter cetera abominanda ſacrificia quæ in conuentibus illis Sathanæ fiunt, Miſſæ quoque ſacrificiũ aliquando per

Sacrificia magica.

do per

do per summum scelus æmulantur, & aquæ lustralis, & similium rituum à Catholicis vsurpatorum. Nihil enim magis cupit diabolus quam Deum in omnibus æmulari, instigante scilicet superbia, quæ vt cœlo quondam eum detrusit, ita sic occupatum iam tenet, vt nihil aliud agere aut moliri possit. Hinc etiam charissimos eos habet qui pactum expressum cum ipso fecerunt; quibus etiam multa valde mira efficiendi, Dei permissu, largiri videtur potestatem. Qua de re sic scribit Grillandus: *Isti vero qui expressam professionem fecerunt, reddunt etiam expressum cultum adorationis dæmoni per solemnia sacrificia, quæ ipsi faciunt diabolo, imitantes in omnibus diuinum cultum cum paramentis, luminaribus, ac alijs huiusmodi, ac precibus quibusdam & orationibus, quibus instructi sunt, ipsum adorant, & collaudant continue, sicut nos verum Creatorem adoramus. Et hoc procedit, quia diabolus summopere desiderat ab homine adorari, & Deum ipsum in hac adoratione imitari.* Et paullo inferius: *Sathanas ad hoc valde nititur vt adoretur quasi Deus: & propterea illi qui interueniunt in dictis sacrificiis, & expresse ipsum Sathanam adorant, ipsi sunt sibi ceteris prædilectiores, & nihil petunt quin exaudiantur ab eo ex his quæ ipse facere potest: & si petuntur ea quæ ipse facere non potest, fingit illa facere posse, & per multas illusiones decipit suos professos. Et dicunt quidam, quod sortilegia & maleficia quæ fiunt per istos, sunt ceteris atrociora & grauiora: quippe quia diabolus summopere cupit istis complacere à quibus maius præmium recipit.*

26. qu. 5 c. contra idolorũ. Glos. in c. accusatus § sane de hær. lib.

Quam;

Vnguentum magicum.

Quamuis autem dæmon discipulos suos & sectatrices transferre possit sine vnguenti vsu, idque faciat nonnumquam; vnguento tamen vt plurimum magi ac sagæ tartareum concilium adituri, vtuntur. Apud Niderium hæc vnius de lamiarum initiatione scripta exstat confessio:

Sagi infanticidæ.

Infantibus nondum baptizatis insidiamur, vel etiam baptizatis, præsertim si signo crucis non muniuntur, & orationibus. hos in cunabulis, vel ad latera iacentes parentum, cærimoniis nostris occidimus, quos postquam putantur oppreßi esse vel aliunde mortui, de tumulis clam furto recipimus, in caldario decoquimus, quousque euulsis oßibus tota fere caro efficiatur sorbilis & potabilis. De *solidiore huius materia vnguentum facimus nostris voluntatibus & artibus ac transmutationinibus accommodatum; de liquidiori vero humore flascum aut vtrem replemus, de quo is qui potatus fuerit, additis paucis cæremoniis, statim conscius efficitur, & magister nostræ sectæ.* Confessioni huic mulieris alia viri subiungitur, conformis plane, additis etiam alijs scelestæ initiationis mysterijs & ritualibus. *Ordo*, inquit, *talis est, quo etiam seductus sum. Oportet primò eum dominica die antequã aqua benedicta consecratur, ecclesiã introire mox futurũ discipulũ cum magistris, & ibidem abnegare coram eis Christrum, eius fidem, baptisma, & vniuersalem ecclesiam: deinde homagium præstare Magistello siue Martinetto (ita enim vocant dæmonem & non aliter) postremo de vtre bibit supradicto. quo facto, statim se in interioribus sentit imaginem nostræ artis concipere & retinere, ac principaliter ritus huius sectæ. In hunc modum*

dum

dum se ductus sum, & vxor mea, &c. Berlini quidē Anno MDLIII. captæ sunt duæ feminæ veneficæ, inquit Manlius, quæ glaciem ad perdendas fruges perficere conatæ sunt: eæque mulieres rapuerunt furto alterius vicinæ mulieris infantulum, & in frustra dissectum, ollæque impositum coxerunt. Factum est diuinitus, vt mater quęrens infantem interueniret, ibique ollam & imposita amissi infantis membra videret. Captis itaque mulieribus, & in tortura examinatis, dixerunt, si processisset coctio, ingēs futurū fuisse gelu & glaciē, ita vt omnes fruges perderentur. Quid quod maledictæ veneficę ac striges quū proprios infātes, tum quoscumque nancisci possunt, antequam occidunt, dæmoni sæpe offerre solent? Quibus vero id & quam nefarijs cæromini js faciant indicare operæprecium non est, nisi quantum ex hoc quod Mengius in Compendio artis exorcisticæ ponit, exemplo intelligi potest. Mulier quędam parturiens, neminem præter filiam, in cubiculum admittere voluit, quæ obstetricis munere fungeretur. Sinistri aliquid hinc suspicans maritus, clam quæ agerent, obseruare statuit. Accedit fores, per rimam introspicit. videt infantulum in camino sine vlla humana ope in aere circa catenam se librantem: videt scelestissimas feminas multis nefariis ritibus, inuocandis dæmonibus, & adiurationibus faciendis, occupatas. Plenus curarum, tacet tamen, sed infantem quamprimū ad sanctum lauacrum deferri curat. Defert filia, comitātibus vicinis aliquot mulieribus, & patre cum duobus amicis. templum omnes petunt. Iam ventum erat ad pontem, flumini impositum, valde an-

Vnguenti vsus ad tēpestates.

Maleficæ diabolo infantes offerunt.

de angustum. Heic pater filiam iubet infantulum deponere, & manu ad gladij capulum admota, Heus tu, inquit, feminarum scelestißima, iam heic mihi artis tuæ, quam ego nuper vidi, specimen edas oportet. Quapropter vt in cubiculo ad focum diabolicis vestris artibus effecistis vt miser infans liber in aere suspensus quasi volaret, ita iam volo vt ad ripam aduersam sine vel tua vel alterius cuiusquam hominis ope deferatur. Heic inopinato casu perculsa trepidare mulier, eiusmodi artium imperitam se dicere. At patre vehementius instante, & mortem etiam minitante, inuocato dæmone, inoffensum infantem inuisibili modo ad alteram ripam deferri curat. Baptizato infante, & domum saluo reportato, maritus vxorem & filiam accusat: quæ conuictæ, & in pyram viuę iniectæ, dignas tanto scelere pœnas dederunt. Cur vero vnguento maleficæ ex dæmonis præscripto vtantur, hanc fere caussam aßignant Theologi, facere scilicet id Sathanam, vt sacrosancta à Deo cõstituta sacramẽta (vt in omnibus simia est Dei) mimice adumbret, & per has cęrimonias suis orgijs reuerentię aliquid & venerationis conciliet; vt quemadmodum illis Christianorum animi in fide confirmãtur & stabiliuntur, ita suorum ipse animos hoc pacto illaqueet atque excęcet. Neque vero existimandum est, quidquam ad translationem aut alios effectus conferre vim vnguenti, sed spiritualiter operatur diabolus in animæ potentijs, earũ rerum quas persuadere ipsis vult, species imprimens. Psellus refert nouisse se hominem, quem Aletus quidam Liuius in montem celsissimum deduxe-

Vnguento cur sagæ vtantur.

deduxerit, ibique quæsita atque inuenta nescio qua herba, postquam ter ori eius inspuisset, vnguento magico oculos eius inunxerit. Statim ibi hominem ingentes dæmonum turbas circum circa saltantes vidisse, imprimis autem coruum circa caput aliquoties gyro facto, tandem per os velut ingredi conspectum: è vestigio hominem hariolari ac vaticinari cœpisse, idque non infeliciter longo tempore præstitisse, exceptis duobus diebus, feria scilicet sexta ante pascha qua D. N. Iesus Christus passus est, atque die paschatis, quo è mortuis resurrexit. Sed pepo profecto sit, non homo, qui vnguenti efficacia verè ista facta credat, quæ diaboli virtute facta sunt, Deo permittente. Quia vero diabolus omnia sua maleficia ad diuini nominis ignominiam, & animarum detrimentum solet dirigere; iubet sagas vnguentum ex infantibus nondum baptizatis componere, vt ita corpore eos atque anima perdat, & gloria paradisi priuet: præterquam quod sic maleficos quoque longe grauiori scelere atque impietate obstringit. In Germania superiore Comes quidam octo veneficas, quæ centum quadraginta interfecerant infantes, Vulcano tradidit. Narrat Sprengerus duas in Episcopatibus Basileensi & Argentinensi concrematas obstetrices, quod vna earum quadraginta, altera innumerabiles pueros recens in lucem editos, necauissent, inditis clam in eorum capita prægrandibus aciculis. Alijs quoque de caussis nonnulli dæmonem vnguentum maleficis conficiendum præscribere aiunt. Nam & earum rerum quæ adhibentur efficacia, sagorum sagarumque,

Cur infantibus non baptizatis diabolus insidietur.

Infanticidurum exempla.

rumque, si teneriores sint ad horribilem illum Satanæ in corpore assumto contactum ferendū, membra obstupefieri, sensumque omnem amittere; & si timidiores sint, animam odore atque occulta virtute vnguenti quodãmodo excitari, & contra noctis horrorem aliaque terriculamēta mirum in modum armari.

An dæmones corpora hominum in alias species transformare, ac sexum mutare queant.

CAPVT V.

Dæmon corpora ex vna in aliam speciem trāsformare nequit.



NEC dæmonum opera, nec vlla naturæ vi corpus hominis vere ac realiter, aut vlla animalium species in aliam cõmutari potest. Quum enim Deus vniuersam hanc molē è nihilo condidisset, iussit terram animalia & volucres, aquam pisces, campos arbores ac herbas producere, tali ordine vt hæc ceteraque omnia specie manerent distincta, ac singula animalia suam haberent animam, aptam corporis cuiusque informatricem. *Germinet*, inquit Deus, *terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita: & protulit terra herbam virentem, facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciēs fructū, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam.* Et paulo inferius: *dixit quoque Deus, produ-*

Gen. 1.

producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas factu nque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Quum ergo supra naturæ vires sit hominis aut cuiuscumq; alterius speciei animalium in alia transformatio; liquet sane nec diabolum id efficere posse, vtpote cuius vires vltra naturam non extenduntur. Quare μετεμψύχωσιν ridere sane licet, inane Pythagoræ commentum. Is enim animas ex vno corpore in aliud, etiam diuersæ speciei, transmigrare statuit, aiens iam olim quo tempore Troia obsessa fuit, in mũdo se fuisse, & Euphorbum dictum; scutũ etiam quo eo in bello vsus sit, à se reduce in templõ Iunonis ex voto suspensum. Nec vero marem tantum, sed feminam etiam, immo vnum ex reliquorum quadrupedum atque volatilium numero fuisse, antequam Pythagoras factus esset. Hinc idẽ non tantum ipse ab omnium animalium, & vita ac sanguine præditorum esu abstinuit, sed suis quoque discipulis interdixit, veritus scilicet, ne parentum, fratrum, vxorum, filiorum aut amicorum in animalia commutatorum, carne ac membris quis vesceretur. Hinc natæ sunt Ouidij, Parthenij & aliorum Metamorphoses, fabulosæ illæ quidem, quarum tamen inuolucris veterum gentilium theologia magna ex parte continetur. Sed Pythagoræ illa transformatio tam à Stoicis quã à Platonicis explosa, inprimis vero à Peripateticis valide refutata est, hac potissimum ratione, quod anima humana nequeat informare corpus belluinum, nec vicissim anima cuiuscumque bel-

Pythagoræ Metempsychosis.

Metamorphoses.

luæ, humanum, vel etiam quodcunque diuers speciei. Etenim quælibet forma substantialis, v suum esse tribuat informando, requirit peculi rem sibique congruam membrorum totius cor poris dispositionem atque organizationem. Vn de anima definitur, *Actus primus corporis natura lis organici*: quod quidem corpus aptum esse de bet ad recipiendam ab anima formam: non secu ac sigillum ceræ aut alij materiæ idoneæ nullam aliam formam imprimere potest quam suam quam habet peculiarem, neque illa materia ali am figuram quam impressam repræsentare po test. vnde si in sigillo forma sit leonis, in materi profecto non aquilæ aut alterius animalis, se leonis tantum forma conspicietur. Eodem mo do nec ferina anima humanum corpus, nec hu mana ferinum potest informare: sed necesse e vt vnaquæque corpus suum peculiare organi zatum, & secundum formam suam effigiatum non vero alterius speciei informet. Quod si ergo hominis anima lupi forma, & vicissim, lupi ani ma hominis forma esse nequit: multo minus po terit simul cum corpore anima immutari, ita v verè ex homine lupus aut aliud animal fiat. Qua re grauiter errant Bodinus, Spondanus, alij, qu veram introducere volunt metamorphosin: qua duobus è sacra scriptura exemplis probare co nantur, de Nabuchodonosore scilicet in bouem, & Lothi vxore in salis statuam mutata. Sed quum vtrumque horum speciali Dei dispositione, vir tute & voluntate factum sit, nihil sane ad diabo licas has conuersiones stabiliendas momenti ha bent. Neque enim sacræ litteræ hoc dicunt, Na-

Nabucho donosoris transformatio.

bucho-

buchodonoſoris ſpeciem in bouis ſpeciem ac formam eſſe cōmutatam; ſed duntaxat ſic mente abalienatum fuiſſe, vt ſe bouē eſſe crederet, ideoque inter armenta paſceretur. Sic enim verba ſonant. *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectū eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* Ex quibus verbis liquet, miſerum regem ob ſtultam arrogantiam ac ſuperbiam ita à Deo punitum fuiſſe, vt ſenſus internos acceperit ſimiles internis brutorum ſenſibus: vnde factum vt pecudum more quadrupes incederet, & fœno veſceretur, & homines fugeret, & ſub dio degeret. Præterea in bouem non eſſe vere mutatum illa verba aperte oſtendunt, quibus capilli eius cum pennis aquilinis, & vngues cum auium vnguibus comparantur: quorum nihil ſimile boues habēt. Illud ergo tantum vult Sacra ſcriptura, infelicem regem, vltrice Dei tactum manu, è ſuperbiſſimo ita repente immutatum, vt omni ſui abiecta cura, nihil quæ hominis propriè ſunt meditaretur aut ageret, ſed inſtar hominis ſylueſtris vel potius beſtiæ, oberraret. Et ſic transformationē hanc multi è Theologis exponunt. Sed quid multis opus eſt, quū Pontificū decretis ac canonibus eorum damnetur opinio, qui ſpecierum hanc in alias tranſmutationem introducunt. *Quiſquis ergo* (verba ſunt Canonis) *credit poſſe fieri aliquam creaturam, aut in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliam ſpeciem, vel in aliam ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt,*

cta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior. Quocirca magorum illæ & sagarum transformationes omnes veræ nequaquam sunt, sed illusoriç & præstigiatrices, diaboli opera, varijs modis effictæ. Aliquando enim magis dæmon ex pacto aeream circumdat effigiem belluæ, & membra membris, quoad patitur similitudo, circumponens, caput capiti, ventrem ventri, pedem pedi, &c. accommodat, ita vt lupi, canes, feles, simiæ, noctuæ, cornices, &c. qui homines reuera sunt, videantur. Deinde etiam, permittente Deo, phantasiam ac sensus internos suorum ita corrumpit, atque excæcat, vt in animalia conuersos se credant, ac plane formam eorum gerere sibi videantur. Quin etiam fieri potest, vt ex humorũ vitio atræq; bilis excessu affectus quidã lupini, & odiũ in greges atq; homines, desideriumque eos inuadendi & lacerandi vorandique mentem hominis occupent: quem morbum λυκανθρωπίαν Grçci, Latini *melancholiam*, vel *insaniam lupinam* vocant. Neque vero mirum est dæmonum opera tale quid fieri posse, quum in naturæ quoque sit viribus; vt in atrabilarijs videre licet, qui audire sibi quæ non audiunt, videre quæ non vident, esse quod non sunt, & timere quæ minus timenda sunt, videntur. Nam & metuunt ne cœlum ruat, & terram sub pedibus tremere ac hiscere sibi fingunt, & immissos percussores clamitant, & se leones, canes vel alias bestias putant. Cuius quidem rei nulla alia caussa est quam atræ bilis copia; de cuius effectibus ita Auicenna: *Quum autem confirmata est melancholia, signa sunt timor & malitia existimationis, & angustia, & sollicitudo, & aliena-*

Lycantropia.

alienatio sermonis & fastidium, propter multitudinem ventositatis, & species timoris ex eis quæ non timentur secundum consuetudinem. Et species quidē istæ sunt indefinitæ. Quidam enim eorum timent casum cœli super se, quidam eorum timent quod terra absorbeat eos, & dæmonium, & quidam timent regem, & quidam timent latrones, & quidam timent ne lupus ad eos ingrediatur. Et quandoque res propria habent in hoc impressionem. Et cum hoc quādoque imaginantur res coram oculis suis, quæ non sunt sane. Et quandoque imaginantur seipsos factos reges, aut lupos, aut dæmones, aut aues, aut instrumenta artificialia. Illud quidem verum est, existimasse medicos melancholiam à diabolo sæpe esse, qui hac ratione hominis naturam siue complexionem, quam vocant, alterare posit, vt & ipsa natura, quando ex humore superabundanti varij morbi existunt. Sic enim idem Arabs: *Et quibusdam medicorum visum est quod melancholia contingat à dæmonio sed nos non curamus, quum physicam docemus, si siud contingat à dæmonio, vel non contingat: postquam dicimus, quoniam si contingat à dæmonio, sufficit nobis vt conuertat complexionē ad choleram nigram, & sit caussa eius propinqua cholera nigra.* Sed inter hęc duo hoc est discrimē, quod in morbis illis naturalibus solus infirmus decipitur; qui bestia sibi aut aliud quid, alijs tamen, vt est, homo videtur; in præstigijs vero diabolicis spectatorum quoque sensus fascinantur, vt se videre putent quod non vident. Qua de re sic D. Augustinus: *Nec sane dæmones*, inquit, *naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis vertitur ista quæstio; sed specietenus quæ à vero*

Deo sunt creata commutant, vt videantur esse quod non sunt. Talis, præstigiosa scilicet & phantastica fuit illa sociorum Vlysis à Circe mutatio & restitutio; de qua Horatius:

Vlyssis socij à Circe mutati.

Setosa duris exsuere pellibus
Laboriosi remiges Vlyssei,
Volente Circe membra tunc mens & sonus
Relapsus, atque notus in vultus honor.

Petrus Burgotus & Michael Virdunus.

Talis quoque sociorum Diomedis in aues fuit transformatio, de qua supra. Petrus quidem Burgotus, & Michael Virdunus, magi famosissimi, vnguento à diabolo dato corpus illinentes quoties volebant lupinam formam & feritatem assumebant: immo carnaliter quoque cum lupis commiscebantur. Ille quidem puerum septenné vnguibus & dentibus lacerasse se confessus est, quem deuoraturus quoque fuerat, si non rusticis quibusdam superuenientibus fuisset impeditus; hic vero puellam à se interfectam in horto pisa legentem. In Flandria quidam venationi intentus lupum vidit occurrentem: quem collimato ictu petit, & in latere ferit. Saucius lycanthropus, ad pristinam formam reuersus, domum recurrit, & accersito chirurgo vulnus ostendit: ita extrahitur telum siue sagitta, cuius à venatore agnitæ indicio magus fuit proditus. Patauij Fincelius scribit lycanthropum captum, & pedibus mutilatum: statimque hominem manibus ac pedibus truncatum apparuisse. Ad Vernoniam sagę fuisse leguntur, quæ feliũ forma vicinos vim intentátes aggressę, vno occiso, multos ex reliquis vulnerarint; ita tamen vt ipsæ quoque non pauca acceperint vulnera: ad quæ curanda vocati medici, rem

Lycanthropi.

Sagæ in feles.

certis

certis indicijs detexerunt. Petrus Marmorius suis se oculis in Sabaudia magos quosdam in luporum formam commutatos vidisse affirmat. Simile de lycanthropo quodam Constantiensi conuicto & punito Vlricus Molitor testatur. Anno MDXLII. Solimanno apud Turcas regnante, tanta lycanthroporum circa Constantinopolim multitudo exstitisse legitur, vt Imperator contra eos non exiguam equitum turmam educere constituerit. visi centum quinquaginta, qui mox omnes magno cum præsentium stupore, repente ex oculis disparuerunt. In Liuonia, magorum sagarumque feracissima regione tantam esse aiunt lycanthroporum frequẽtiam, vt cateruatim quotannis coëant, & transmisso quodam fluuio armenta & greges inuadant, magno cum incolarũ damno; post duodecim vero dies, eodem fluuio iterum traiecto, ad humanam redeant figuram. Baianus Bulgariæ rex se quoties volebat, in lupum, vel in cuiuslibet alterius bestiæ formam mutare cernebatur; interdum vero faciebat vt à nullo videretur: vt est apud Trithemium in Chronico Hirsaugiensi. E Marco Varrone Agrippa refert Demænetum quendam Parrhasium, deuoratis infantis Ioui Lyceo immolati intestinis, in lupum esse conuersum. De Lycaone nota est fabula. Aliud longe mirabilius à Sprangero Inquisitore est perscriptum. In Cyprum insulam quum nauis Anglica appulisset, & epibatę in terram essent egressi; iuuenis quidam Anglus ab anu venefica diabolicis artibus in asinum ita fuit transformatus, vt quum nauim repetere vellet, à socijs tamquam verum Arcadicum pecus eiectus, & fusti-

Liuoni lycanthropi.

Baianus magus.

Demænet. Parrhasius

Iuuenis Anglus in asinum.

bus probe depexus sit. Ad anum miser reuersus, totum triennium in misera seruitute exegit. Forte die quodam apertum templum dum sacrum fit, præteriens, hostiamque eleuatam conspicatus, in posteriores pedes subsidet, & anterioribus erectis, hostiam adorat. Id quum mercatores quidam Genuenses vidissent, iudicem adeunt, & vt tam asinus quam anus apprehenderetur monent. Subiecta quęstioni venefica rem omnem fatetur, pollicita iudici, si domum redire sibi liceret, suis artibus iuuenem pristinæ formæ restituturam. Hac impetrata licentia, planissime quæ promiserat fecit; ignis tamen supplicium, Famagustæ publico in foro cremata, non effugit. Aiunt iuuenẽ hunc narrare solitum, non quidem ita sibi intellectum fuisse obfuscatum, vt hominem se esse ignorarit; ita tamen fuisse delusum, vt pro asino ab omnibus haberi se crederet atque etiam sentiret. Illud vnum solatio sibi fuisse, quod à magis atque veneficis & pro vero homine haberetur, & humano modo cum ipsis conuersaretur, nisi quod loquẽdi facultatem nullam haberet, impeditis à diabolo & ligatis sermonis instrumẽtis. In territorio Argentinensi tres feminæ nobiles, sed magicarum artium peritæ, in felium forma rusticũ ligna cędentem assilierunt, qui defendens se grauiter feminas illas vulnerauit. Quam ob caussam quum in carcerẽ duceretur, non cum feminis sed cũ tribus felibus sibi certamen fuisse dixit. ab his ita se impetitum, vt parum abfuerit quin vitam amiserit. Hinc præstigiæ diabolicæ à iudice deprehensę. Quamuis autem dęmon efficere possit, vt humanum corpus vel sub maioris vel sub mino-

Sagæ in feles.

minoris animalis figura appareat;non tamen existimandum est posse eum quidquam ad staturā addere vel detrahere; si quidem non plus potest quam natura. Quid ergo? Oculos quidem ita fascinat vt quæ grandia parua, & quæ parua grandia videantur. Sensum enim oculorum atque instrumenta intrinseca deludit; sicut etiam nonnūquam ex naturalibus causis visus ita decipitur, vt vna res gemina, vel longe alia, tam quoad qualitatem quam quo ad quantitatē, quam reuera se habet, videatur. Id ipsum quoq; extrinsecus facit, interponēdo inter ouclū & rē visilē tale aliquod corpusquod aptum sit ad effectū, quem vult, producēdū. Sic per cristallina illa perspicilia res grādiores apparent, quā reuera sunt. Idē in alijs corporib. diaphanis siuetralucētibus, vt in aerevel aqua cōtingit, cui numus vel quid aliud iniectum multo maius apparret quam reuera est. Hinc mathematici aiūt solē quādo oritur, multo grandiorē videriquā si paullo altius supra horizōtē ascēderit, vel in ipso meridie. Caussa est, quod aer terręvicinus & crassus coporis oculis obiecti imaginē multo ampliorem ostendit; quod non facit aer sublimis, qui quanto cœlo est propi or, tanto est purior. Eandem ob caussam lumina nocturna quanto sunt remotiora, tanto maiora apparent; ecōtra stellę quo lōgius à nobis absunt, tāto minores videntur. Sed ad metamorphoses nostras redeo. In Germania cauponariæ quædam veneficæ hospitibus nescio quos cibos præbuisse scribuntur, quos qui comederant, statim in animalium tam magnorum quam paruorum figuras transibant. Venit in cauponam histrio, vescitur appositis.

Quomodo diabolus efficiat vt quid maius vel minus appareat.

Sol oriens cur maior videatur.

Histrio in asinum mutatus.

tis. Statim sibi atque alijs asinus videtur; sed qui multum è pristino viuendi more leporis adhuc retineret. Accedit emtor, licitatur; emit care: sed à veneficis monetur, si iumentum perdere nollet, à flumine prohiberet. Quod quum emtor neglexisset, & bonum asinum in piscinam aquatum duxisset: videt repente è quadrupede hominem factum, ingenti cum omnium admiratione. Eodem modo Apuleius, nisi mera sit fabula, à

Apuleij asinus aureus

Larissæa illa maga in asinum conuersus credi potest; qui diu olim clitellas gestasse dicitur, humanis quidem viribus maiores, faciles tamen, dæmone adiutore. Sic enim Augustinus: *Phātasticum*

D. August. lib. 10. De ciuit. Dei, cap. 18.

autem illud velut corporatum in alicuius animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis portare onera, quæ onera si vera sūt corpora, portātur à dæmonibus, vt illudatur hominib. partim vera corpora onerū, partim iumentorū falsa cernentibus. Idem Augustinus eodē libro in Italia stabu-

Stabulariæ veneficæ.

larias fuisse ait, quæ caseo viatoribus ad vescendū dato, in iumenta eos, maxime asinos, conuerterint: quorum opera aliquamdiu in portandis oneribus vsæ, ad pristinam deinde eos reduxerint formam. Bedburgi, Vbiorum oppidulo, Petrus

Petrus Stūfius magus.

quidam Stumfius vltimo supplicio non multos ante annos affectus fuit, eò quod cum dæmone succuba plus quatuor lustris cōsuesset. ab hac donatus fuit lata quadam zona, qua quū cingebatur, & sibi & alijs in lupum verti videbatur. Hoc schemate ter quinq; pueros iugularat, eorūque comederat cerebellum: duas nurus suas deuorare conatus fuerat; propriam filiam & commatrem

suam

am vxorum habuerat loco, aliaque horrenda petrarat, vt ex Actis iudiciarijs cõstat. De his ansformationibus mira sunt quæ Olaus Magnus memoriæ prodita reliquit: in Liuonia scilicet ussia, & Lituania maiora damna iumentis ac coribus à lycanthropis quam à veris lupis inrri. In festo Natiuitatis Christi sub noctem, init, statuto in loco, quem inter se determinatum bent, magna luporum ex hominibus diuersis locis habitantibus conuersorum copia congretur, quæ postea eadem nocte mira ferocia quũ genus humanum, tum in cetera animalia quæ ram naturam non habent, sæuit, vt maius detrientum ab his regionis inhabitatores quam vmuam à veris & naturalibus accipiant lupis. Nam & ædificia hominum in syluis habitantium mira um atrocitate oppugnant, ipsasque fores effringere conantur, quo tam homines quam reliqua animantia ibidem manentia consumant. Cellas cereuisiarum ingrediuntur, ac illic aliquot cereuisiæ aut mulsi dolia epotant, ipsaque vasa vacua in medio cellarum, vnum super aliud eleuando collocant: in quo à natiuis aut genuinis lupis discrepant. Locum vero vbi forsan illa nocte quieuerunt, earum terrarum incolæ fatidicum arbitrantur: quia si alicui in eo quid aduersi contigerit, veluti si vehiculum euertatur, & vector in niuem effundatur, plane sibi persuasum habent, cũ isto anno moriturum, quemadmodum id à multis annis per experientiam explorarunt. Intra Lituaniam, Samogitiam & Curoniam est paries quidam ex quodam castello diruto reliquus. ad hunc certo anni tempore aliquot milia eorum conueniunt,

Olaus Magnus lib. 18. cap. 45.

Lycanthroporum septẽtrionalium insolentia.

niunt, vt vniuscuiusque agilitatem in saltando e
plorent. qui hunc parietem transilire nequiueri
vti obesioribus fere euenit, flagellis ab eoru
præfectis cæduntur. Denique constanter affe
tur, inter hanc multitudinem etiam istius ter
magnates atque ex prima nobilitate viros ver
ri. Hæc Olaus, addens hanc metamorphoseos r
tionem, ipsi naturæ maxime contrariam, à qu
dam veneficij huius perito per poculum cereuis
propinando (dummodo is qui huic illicito co
sortio nomen dare vult, illud acceptet) certis ve
bis adhibitis dari: illum postea quando & quoti
es consultum videatur, hominis ideam, in cellan
aut abditam syluam se conferendo, in lupi for
mam transformare, denique hanc iuxta plac
tum post aliquot tempus rursus deponere, ac pri
stinam formam reassumere posse. Cuius rei qui
dam subiungit exempla. Ac primum, quum nobi
lis quidam, inquit, longam per syluam iter face
ret, aliquot seruilis condiionis rusticos, hu
ius veneficij haud ignaros (quales plerumque i
stis in oris reperiuutur) secum ducebat. dies ad
vesperam tendebat; tum etiam in sylua pernoctã
dum erat, quia in proximo nullum hospitium.
denique fame ac penuria premebantur. Tandem
vnus eorum è re nata proponit consilium. iubet
ceteros quietos se continere, neque vllum tumul
tum, si quid viderent, excitare. se à longinquo gre
gem ouium pascentem conspicere: curaturum, vt
absque magnis laboribus vnam ex his ad cœnam
haberent, assandam. Statim deinde in opacam syl
uam, ne ab aliquo cerneretur, se confert, ibiq; for
mã hominis in lupum transfigurat. Postea in ouiũ

Modus lycanthropiæ apud septẽtrionales.

Exempla lycanthroporum.

gregem

gẽ magno impetu irruit, & vnã ex eis abripit: m aliquanto post in lupi forma ad currum de. Socij autẽ huius prędę conscij talẽ grato ani- suscipiunt, & in curru clá abscondunt; qui vero upũ se transformauerat, ad syluam reuertitur manamque formam rursus assumit. Aliud de- e subiungit: In Liuonia, inquiens, contigit er nobilis cuiusdã coniugem atque seruũ, vt al- arẽtur, homines in lupos mutari haud posse. gabat mulier; tũ seruus prorũpit; extẽplo se e- rei velle exemplũ ostendere, dũmodo sibi per á liceret. Qua permittente, cellã solus ingredi- vnde paulo post lupi forma egrediẽs, à canib. agrum ad syluam fugatur, qui ei oculum, etsi is acriter se defendebat, eruerunt: postera autẽ vno oculus ad dominã redit. Dux Prussiæ deni- e tali veneficio parum fidei adhibẽs, quendam is expertum vinculis constrictum coegit, vt in pũ se transformaret: quod ita factum est. hunc nen, ne tanta impietas maneret impunita, igne stea cõburi mandauit. Scribit Plinius ex Euarto æco scriptore non ignobili, in Arcadia quotã- vnum ex Antei familia ad lacũ aliquem ab in- lis deduci: qui, appensis ad quercum vestibus, x lacum prædictũ traijciat, & in loca solitaria cõferat, vbi statim in lupũ transformatus cum eris lupis per syluas vagetur, abstineat tamẽ ab mana carne. Post nouẽ annos, transmisso iterũ u, pristina hominis reassumta forma, domũ re- rti. Petrus Damianus auctor est, in via publ. qua mã itur duas vetulas tabernarias habitasse, quę scio quo liquore in potũ dato, viatores in lupos iaq; animalia cõuerterint. S. Anton. Florentinus *Arcades lycãthropi.*

Archie-

Puella in equam conuersa.

Archiepiscopus de præstigiatoria hac metam
phosi loquens, exemplum puellæ cuiusdam, q
inhonestę amantis cupiditati consentire nole
Iudæi cuiusdam magi artibus, sic petente iuue
in equam fuerit transformata. At non potuit d
bolus imponere B. Macario, qui puellam ad se a
ductam ita vti erat in hominis forma non eq
vt ceteri, conspexit, & fascino liberauit; id ind
accidisse dicens, quod etsi corpore puella ca
esset, diuinarum tamen rerum non eam quam p
est, curam habuisset. Quod si omnia quæ pass
apud fide dignos auctores reperiuntur, exemp
huc congerere liberet, multas equidem pagi
implere possem. Nunc illud aperiamus, quid d
bolus in transformationibus eiusmodi spect
& quibus prę stigijs vtatur. Et primum, quia, vt
Synesius, *calamitates mortalium conuiuia s*
malorum dæmonum, præterquam quod mag
hac ratione sæpe quoad corpus atq; animam p
dunt, etiam ceteris damna per eos dare studen
occisis scilicet non gregibus tantum & armenti
sed hominibus quoque, infantibus & seruis. Lu
vero potissimum forma illis placet, quia Styg
ipsi sunt lupi, animarumque deuoratores; & qu
animal hoc agno, in quo Christus figuratus, in
stissimum. Nec vero præstigiatorio tantum qu
dam modo humana corpora in varias animaliu
formas transmutare dæmones videntur, sed se
sus quorúdam interdum etiam tam alto vetern
oppressos tenent, ac phantasiam ita fascinant,
vere sibi in animalia transformati, eaque quæ lo
lent illa portandis oneribus, aliaque eiusmod
peragere sibi videantur. At solet tunc diabolus

Cur diabolus & magi lupi forma vtantur.

Vulnera animalib. illata, quo modo homin. inferatur

liu

liud corpus substituere,& illis absentibus,& alicubi in loco abdito soporatis,ipse assumto equi, asini aut lupi corpore,vel ex aere formato,& sibi circumdato , ista gerit , quæ putant homines ab illo misero absente & dormiente patrata.Necvero mirum,si postea , etiãsi verum corpus abfuit, vere illi inueniantur saucij illis membris humanis quæ in ferino corpore ictum exceperant.Diabolus enim in absentium corpore eam partem consauciat, quam scit in ferino corpore sauciatã fuisse:quod facile ei,ob immensam , supra ostensam velocitatem.Notabile est quod apud D. Augustinum libro XVIII.De ciuit.Dei scriptũ extat exemplum.*Quidam*.inquit,*nomine Præstantius patri suo contigisse indicabat ,vt venenum illud per caseum in domo sua sumeret, & iaceret in ecto suo quasi dormiens , qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies eum velut euigilasse dicebat , & quasi somnia enarrasse quæ passus est,caballum scilicet se factum,annonam inter alia iumenta baiulasse militibus. Quod ita vt narrauit factum fuisse compertum est,quæ tamen ei sua somnia videbantur*. Volunt nonnulli aliquando diabolum hominibus ferarum huiusmodi veras exuuias aptissime circumdare, ita vt vera animalia videantur,non ficta:sed verius mihi videtur hanc omnem illusionem fieri ex aeris dispositione, condensatione scilicet vel restrictione, eodem plane modo quo idem diabolus hominibus sub varijs figuris spectandum se nonnunquam exhibet,sensibus nostris variè illudens.Quin etiam sæpe lignum aliquod aut stirpem, aut tale aliquid inanimatum ita vestit,atque ita huc illuc mouet, vt vi-

August. li. 18. De ciuit. Dei,cap.18.

Diabolus exuuias ferarum hominibus circumdat.

vtviuum animal videatur. Sic famosus ille magus Neburgensis nobili cuidam equum magni admodum vendidit, monens, ne in flumen aut aquam ageret. Emtor aliquid mirum subesse ratus, spreto consilio, cum equo proximum flumen ingreditur; tum statim non equo sed fœni fasciculo insidere se non sine periculo animaduertit. Ita alius quis porcos vendere solebat, quibus in flumen actis, non porci, sed lignorum aut graminis fasces fluitantes conspiciebantur. Sed de his metamorphosibus satis: nunc illud disquiramus an magicis artibus opera dæmonum sexus mutari queat. De hac transmutatione multa apud veteres scripta reperiuntur, rara atque admiranda: apud quos eadem semper portento atque ostentui habita fuit. Sic enim Plinius: *Ex feminis,* inquit, *mutari in mares non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus, P. Licinio Crasso, C Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque haruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset. nupsisse etiam: mox barbam & virilitatem prouenisse, vxoremque duxisse. Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossitium ciuem Tisdritanum, viuebatque quum proderem hæc.* Hæc ille, quę A. Gellius non citat tantum, sed etiam confirmat. Phlegon tradit, virginem Smyrnæ natam Philotim nomine, quum matura viro nuptum tradita esset à parentibus, masculino enato membro in virum abiisse. Quin etiam Laodiceæ, quæ est in Syria, mulierem Aetetam nomine, etiamnum cum marito degentem, è femina virum

De sexus mutatione

Plin. lib. 7. Nat. hist. cap. 4.

Li. 9. Noct. Att. cap. 4.

Phlegon li. 2. De mirabilibus & longæu.

rum extitisse, cui nomen Aeteto, deinde fuerit, præside Athenis Macrino, Romæ L. Lamia, & AEliano Vetere Coss. Fulgosius simili de re hæc scribit: *Neapoli regnante Ferdinando primo, quum Ludouicus Guarna Salernitanus ciuis quinque filias suscepisset, quarum natu maioribus duabus alteri Franciscæ, Carolæ alteri erat nomen, posteaquam ad quintum decimũ annũ peruenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem eruperunt; mutatoque habitu pro maribus habiti sunt, Franciscus & Carolus nuncupati. Item Ebuli sub eodem rege puella, quæ iam quatuor annos viro promissa sponsa habuerat nomen, qua nocte primum viro tradita cum eo cubuit, siue ex confricatione, siue ob aliam causam, quæ ignota sit, effractis membranis, quæ vt mulier videretur efficiebant, virilia membra prodierunt, domumque reuersa dotem in iudicio repetiuit, in virorum numero postea habita.* Amatus Lusitanus testatur, in oppido Ezgueyra Lusitaniæ, distante à Conimbrica nouem leucis, vixisse quẽdam virum nobilem, cui filia erat nomine Maria Pacheca: quę quum eius iam ætatis esse inciperet qua feminis menstrui fluores inchoantur, loco liquidi humoris, erupit ei è locis (si intus absconditum latuerat) vel aliter natum foras prodijt virile membrum; sicque ex puella subito adolescens ephebus apparuit. cum sexu vestitum virilem & nomen quoque assumsit Manuelis Pacheci: nauim conscendit, in Indiam profectus, rebus fortiter gestis strennui militis existimationem opesque magnas comparauit. in patriam reuersus, vxorem nobilem duxit. liberorũ apud Amatum nulla est mentio, sed ait, illum imberbem permansisse, faciem

Francisc & Carola Guarnæ in viros.

Fulgos. lib. 1 Exemp. cap. 6.

Amatus Lus. Cent. 2. cur. 39.

Manuel Pachecus vir è femina.

 ciem

vtviuum animal videatur. Sic famosus ille magu Neburgensis nobili cuidam equum magni admo dum vendidit, monens, ne in flumen aut aquam ageret. Emtor aliquid mirum subesse ratus, spreto consilio, cum equo proximum flumen ingreditur; tum statim non equo sed fœni fasciculo insidere se non sine periculo animaduertit. Ita aliquis porcos vendere solebat, quibus in flumen actis, non porci, sed lignorum aut graminis fasce fluitantes conspiciebantur. Sed de his metamorphosibus satis: nunc illud disquiramus an magicis artibus opera dæmonum sexus mutari queat.

De sexus mutatione

De hac transmutatione multa apud veteres scripta reperiuntur, rara atque admiranda: apud quos eadem semper portento atque ostentui habita fuit. Sic enim Plinius: *Ex feminis*, inquit, *mutari in mares non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque haruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusa fuisset. nupsisse etiam: mox barbam & virilitatem prouenisse, vxoremque duxisse. Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossitium ciuem Tisdritanum, viuebatque quum proderem hæc.* Hæc ille, quę A. Gellius non citat tantum, sed etiam confirmat. Phlegon tradit, virginem Smyrnæ natam Philotim nomine, quum matura viro nuptum tradita esset à parentibus, masculino enato membro in virum abijsse. Quin etiam Laodiceæ, quæ est in Syria, mulierem Aetetam nomine, etiamnum cum marito degentem, è femina virum

Plin. lib. 7. Nat. hist. cap. 4.

Li. 9. Noct. Att. cap. 4.

Phlegon li. 2. De mirabilibus & longæu.

rum extitisse, cui nomen Aeteto, deinde fuerit, præside Athenis Macrino, Romæ L. Lamia, & AEliano Vetere Coss. Fulgosius simili de re hæc scribit: *Neapoli regnante Ferdinando primo, quum Ludouicus Guarna Salernitanus ciuis quinque filias suscepisset, quarum natu maioribus duabus alteri Franciscæ, Carolæ alteri erat nomen, posteaquam ad quintum decimū annū peruenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem eruperunt; mutatoque habitu pro maribus habiti sunt, Franciscus & Carolus nuncupati. Item Ebuli sub eodem rege puella, quæ iam quatuor annos viro promissa sponsa habuerat nomen, qua nocte primum viro tradita cum eo cubuit, siue ex confricatione, siue ob aliam causam, quæ ignota sit, effractis membranis, quæ vt mulier videretur efficiebant, virilia membra prodierunt; domumque reuersa dotem in iudicio repetiuit, in virorum numero postea habita.* Amatus Lusitanus testatur, in oppido Ezgueyra Lusitaniæ, distante à Conimbrica nouem leucis, vixisse quēdam virum nobilem, cui filia erat nomine Maria Pacheca: quę quum eius iam ætatis esse inciperet qua feminis menstrui fluores inchoantur, loco liquidi humoris, erupit ei è locis (si intus absconditum latuerat) vel aliter natum foras prodijt virile membrum; sicque ex puella subito adolescens ephebus apparuit. cum sexu vestitum virilem & nomen quoque assumsit Manuelis Pacheci: nauim conscendit, in Indiam profectus, rebus fortiter gestis strennui militis existimationem opesque magnas comparauit. in patriam reuersus, vxorem nobilem duxit. liberorū apud Amatum nulla est mentio, sed ait, illum imberbem permansisse, faciem in

Francisc & Carola Guarnæ in viros. Fulgos. lib. 1 Exemp. cap. 6.

Amatus Lus. Cent. 2. cur. 39.

Manuel Pacheus vir è femina.

Torquemada Dial. 1. cie in femineam declinante. Antonius Torquemada ait, se ab amico viro magnæ auctoritatis & fidei pleno accepisse, non procul ab vrbe Beneuētana Hispaniæ, vxorem rustici cuiusdam fortunæ mediæ, quę quod sterilis esset, minus à marito benigne habebatur, pertęsam malę tractationis, quadam nocte aufugisse, sumto vestitu famuli domestici. sic ornata, virumque mentita varijs in locis opera seruili vitam sustentauit. post aliquod tempus, siue quod calor in ea naturalis tā efficax fuerit, siue quod imaginatio, nata & confirmata continuo habitu & ministerio virili, eam efficacitatē nacta sit; certe ipsa se in virum mutatam deprehendit. Statuit ergo quę diu fuerat vxor, maritum agere. feminam sibi matrimonio copulat. diu res latuit, illo non audente cuiquam rem narrare; donec quidam ei prius optime notus, cernens tam similem esse facie vxori profugæ rustici illius, interrogauit num forte frater esset talis mulieris: cui rem omnem, vti cōtigerat, narrauit. Complura alia huiusmodi exempla apud historicos exstāt plena admirationis. Etsi vero caussæ huius commutationis in occulto latent; ex medicis tamen multi naturalem eam fatentur. Naturā enim semper moliri quod perfectius est, mulierem vero imperfectum esse virum. menstruis retentis diutius, vocem fieri robustiorem, cutem pilo vestiri, reliquum corporis habitum roborari; nec aliud ad hanc transmutationem deesse, quam vt quæ sunt intus vasa seminaria, foris appareant, & id quod myrtos siue nympha dicitur, sumto incremento, & pingui velamine, cui inuoluitur, effracto, protrudatur in id cui persimile antea, sed inuolutum fuerat.

Rustica in virum.

An femina in virū abire possit

fuerat. Hippocrates testatur, Abderis Phaetusam vxorem Pithei, aliquot mensibus cessante fluxu menstruorum, cunctis in membris magnos perpessam dolores, corporis habitu in virum mutatam: idemque apud Thasios accidisse Anamisæ vxori Gorgippi. Titus Liuius de Spoletana muliere idem refert, belli Punici II. tempore. Vero tamen similius est non tam has ex feminis ita viros factas vt feminæ esse desierint, quam ad femineum sexum masculinum accessisse, vt androgyni efficerentur, sexu tamen hoc posteriore prævalente, pro viris habitas. Argumento illud est, quod de liberis eiusmodi hominum altum fere apud omnes auctores est silentium, quodque, ijsdem testibus, plerique omnes & vultum femineum retinuerunt, & imberbes permanserunt: quæ indicia sunt non perfectæ virilitatis. Quod si tamen vera eiusmodi atque integra metamorphosis facta est, non quidem negandum videtur naturę vi illam factam, potest tamen eamdem quoque efficere vaferrimus ille panurgus. Nam præstigijs suis diabolus virilitatem hominum ita tegere atque abscondere potest, vt plane ablata videatur: idque facit interdum, apposita aut superinducta carnea massa, aut manifesto sensibus tactus & visus illudit, quod ei perfacile, nec in externos tantum, sed internos quoque sensus, ita vt quod visibile, existimetur inuisibile, frigidum calidum, tenerum durum, dulce amarum; & sic in ceteris. Narrant Henricus Institor & Iacobus Sprangerus Inquisitores, Rauenspurgi iuuenem aliquamdiu iuuen-

Hippoc. li. 6. pa. 8.
Phaetusa vir factus.
Anamisia.
Dæmon quomodo virilitatē auferat.
Iuuenis virilibus priuatus.

 culam

culam veneficijs operam dantem adamasse, tan-
dem vero reliquisse. Dolens illa, iuuenem virili-
bus (vti videbatur) priuat. nec enim quidquam a-
liud ibi loci quam informis massa carnea appare-
bat. Fors in œnopolio quodam mulieres aliquot
notas nactus iuuenis, calamitatem suam eis ex-
ponit, & consilium petit. Statim omnes malefici-
um esse diabolicum aiunt, suadentque vt puellam
illam vi ad soluẽdum ligamen cogat. Iuuenis no-
ctu domum maleficæ se confert, ac puellam pri-
mum rogat vt maleficio remedium ostendere ve-
lit. Neganti quidquã sibi de causa constare, reme-
diũque neganti iuuenis collum inuadit, statim-
que suffocaturum se eam minatur; nisi quam pri-
mum maleficio, cuius ipsa architectatrix, remedi-
um depromeret. Ita territa muliercula, vitamque
stipulata, partes maleficiatas solo manus conta-
ctu sanauit. Sic alius quidam, vt ijdem scribunt,
Vormatiæ diu cum venefica conuersatus, digres-
sus inde virilia sibi ablata putauit. Socius cui ho-
conquestus fuerat, suasit vt Vormatiam rediret, &
blanditijs ac precibus ab amasia venefica virilita-
tem, vel potius ligaminis solutionem impetraret.
Eo profectus iuuenis, voti compos est factus, ma-
leficioque liberatus. Atque hæc quidem femin-
in virum metamorphosis multis non impossibi-
lis videtur, vt tamen de viro femina fiat, fieri no-
posse existimant: quamuis non pauca eius quoq-
rei apud scriptores exstent exempla, ipso quoqu-
D. Augustino libro III. De ciuitate Dei, teste. Lon-
ge enim alia heic est ratio, vt Ludouicus Viues i-
Commẽtarijs super prędictum Augustini librum
scribit in hæc verba: *Et profecto consideranti mi-
rati-*

Maleficiũ amatoriũ.

An è viro femina possit fieri.

rationem sexuum, difficile videtur ex mare fieri feminam contra fieri, non item. Nam retrahere naturam virile membrum intrinsecus, facereque ex eo locos femineos, difficillimum est: expellere vero locos foras, penisque in modum efformare et sirarum, fieri tamen potest facilius quam credatur. Quare Tiresię illa, ob duos serpentes coniunctos baculo percussos in feminam mutati, fabula potius est quam historia. Ausonij quoque epigramma, quo ex puello puellam, & ex pauo pauam factam ait, parum ab eadem vanitate abesse videtur. Quod sic se habet:

Tiresiæ metamorphosis ficta.

Femineam in speciem conuertit masculus ales,
Pauaque de pauo constitit ante oculos.
Nec satis antiquum, quod Campano in Beneuento
Vnus ephebórum virgo repente fuit.

Auson. lib. 1. Epigr.

Neroni quidem in emasculando atque in feminam transformando Sporo conatus irritus fuit. Idem quum Heliogabalus conuocatis medicis in seipso tentasset, vt Venerem vtramque experiretur, sic ab eis tractatus fuit, vt nec mas amplius nec femina esset, dignam scilicet tam turpi ac diabolico conatu mercedem consequutus.

Sporus.

Heliogabalus.

An magi artibus suis efficere poßint, vt bestiæ vel res inanimatæ loquantur; item vt homo non sentiat, vel vt longißimo tempore dormiat, aut inediam perferat.

CAPVT VI.

Deus quomodo per animalia & inanimata loquatur.



AGNVS ille Naturæ parens atque Vniuersitatis auctor facit nonnunquam, vt quibus loquēdi vis naturalis inest nulla, ea tamen loquantur. Quin Deus id efficere possit, dubitandum non est: quum ipse omnia quæ ad loquelam requiruntur, dentes, linguam, fauces, palatum, spiritum, aliaque instrumenta fabricatus sit. Et vt ceteris animantibus idem sonum inarticulatū, garritum auibus, mugitum bubus, hinnitum equis, latratum canibus, vlulatum lupis, largitus est; ita soli homini vt rationis, ita orationis articulatæ & distinctæ vsum concessit. Et Deus quidem ipse diuersis modis homines est alloquutus, per rubum, per ignem, per nubem, per sibilum, per turbinem, è propitiatorio, è cœlo, per Vrim & Thummim, aliisque modis. Idem turrim Babylonicam ædificantium linguas confudit: idem Apostolis ad deprædicanda sua magnalia, variarum linguarum donum misit: idem etiam asinæ Balaami os aperuit. quo pacto autem

Exod. 25. Nu. 7. & 14. Exod. 40. 2. Esdr. 9. Exod. 3. Deut. 4. 5. Exo. 19. 20 3. Reg. 19. Nume. 22. Genes. 11. Act.

autem id Deus efficiat, ipse nouit: exempla certe non desunt. In persequutione Vandalica martyres etiam radicitus abscissis linguis loquutos Iustinianus Imperator testatur inquiens: *Vidimus venerabiles viros, qui abscißis radicitus linguis, pœnas suas miserabiliter loquebantur.* Mirabile est in primis quod Bonfinius scribit. *Anno circiter tertio,* inquit *post cladem ad Nicopolim Sigismundo Imp. à Turcis acceptam, quum multi in eum campum descenderent, emissam inter ossa vocem subinde audiuerunt Iesu Christi saluatoris & Mariæ virginis nomina intonantem; loquaxque inter cadauera caput inuentum: quod vbi homines sibi adesse nouit, Quid tam, inquit, stupidi heic statis viri? Christianus ego sum. inexpiatus, inconfessus in hoc bello occubi. Maria mater me æterni supplicij reum esse non patitur. hæc me adhuc linguæ compotem seruauit, vt delicta fateri & animum sacris Apostolicis lustrare queam, proinde sacerdotem qui confeßionem audiat, & me expiatum reddat, accersite quæso. Rogatus quo tantum à Virgine beneficium promeruisset, respondit, sibi peculiarem fuisse in eam in vita deuotionem, & septena eius festa quotannis reuerendißime celebrasse, religiosisque ieiunijs, pane duntaxat & aqua, decorasse. Quare accersito è pago proximo sacerdote, confeßionem rite transegit, & impetrata erratorum omnium remißione, acceptaque nouißima lustratione, repente conticuit perpetuoque quieuit.* Hæc Bonfinius. Simia quidem Dei diabolus similia Dei permissu, idemque sæpe conatus est, & adhuc fortasse conatur, ad diuinam vindictam, prouidentiamque manifestandam.

l. 1 C. de off. Præf. Af.

Bonifinius li. 3. Hung. hi. decad. 3.

Diabolus dei simia.

Sic in primis adhuc mũdi incunabulis per ſerpentem primam noſtram matrem alloquutus atque exhortatus eſt, vt fructibus arboris ſcientiæ boni ac mali veſceretur. Quod quidem miraculum nõ fuit, ſed vis quædam maligni ſpiritus miraculoſa.

Modi quib. ſpiritus loquuntur.

Theologi duobus modis diabolum cum hominibus loqui poſſe tradunt. Vno quidem modo ſine voce, quæ lingua aut alijs ſermonis inſtrumentis exprimatur: altero, cum voce, & in corpore aſſũto. Primo modo ſine voce ſcilicet & corpore nobiſcum loquuntur angeli, applicantes ſe ad phantaſiam noſtram, cui quod volunt, vtpote incorporei, immittunt, ibique voces eas effingunt quæ ad iram, luxuriam, ſuperbiam, aut aliud vitium incitent, ita tamen vt foris nullus ſonus percipiatur: eodem fere modo quo nos longe diſtantes alta voce inclamamus, propinquis vero in aurem aliquid inſuſurramus quod etiam proxime adſtans percipere non poſſit. Quod ſi is qui in aurem aliquid alteri immurmurat phantaſiæ eiuſdem aut ſpiritui vnire ſe poſſet; nulla equidem voce opus haberet, ſed ſenſa ſolis verbis conceptis & in animo formatis communicare poſſet. Atque hoc modo ſpiritus illi & beatæ mentes ſolius intellectus beneficio, intrinſeco vtũtur diſcurſu. Altero modo nobiſcum interdum loquitur ſpiritus, voce articulata & diſtincta. Quamuis enim dentibus, labijs, pulmonibus alijſque ſermonis inſtrumentis careat; poteſt tamen aerem ita percutere vt ſonũ edat, quem articulate prout vult diſtinctum, auribus immittit eius quîcum loquitur. Et quamuis proprie loquendo hæc vox non ſit, ſonus tamen eſt voci ſimilis, & facilis intellectu. Eſt enim vox

nihil aliud quam ſonus aeris repercuſsi, aptis inſtrumẽtis efformatus, & rationis arbitrio diſtinctus. Aerem quidem virga aut ſcutica percuſſum varios audimus edere ſonos, graues, acutos, pro inſtrumenti quo percuſsio fit, modulo, & violentia percutientis. Sonus hic in aere receptus ſpecies ſuas multiplicat, vſque dum ad aurem ſentientis perueniat: qui ſi à mente rationali certa proportione in grauem, acutum, vehementem, planum, tardum & velocem diſtinguatur, à voce humana non multũ diſcrepabit. Hoc quidem modo diabolus in corpore aſſumto, & ſpecie viſibili cum hominibus loqui ſolet. Sic Orphei caput, ſi Philoſtrato credimus, Cyro Perſarum regi prædixit, eum quoque à muliere necandum: ſic caput ſacerdotis cuiuſdam Iouialis, teſte Ariſtotele, Cercydam homicidam indicauit. Phlegon Trallianus ſcribit, quo tempore Acilius Glabrio conſul vicit Antiochum regem Aſiæ, deterritos Romanos oraculis ne amplius inuaderent Aſiam, & Publij ducis Romanorum caput, relictum à lupo qui corpus deuorauerat, vt ipſe prædixerat, furore diuino vt putatur percitus, ceciniſſe longo ſermone aduenturam cladem Romanis. Simili arte dæmonis ſimulatæ fuerunt voces, quas geminæ columbæ Dodones loquaces, item quercus Dodonea edebant, vt Sophocles & Lucianus teſtantur. Apollonium Tyaneum ab vlmo Gymnoſophiſtarum ſalutatum, Philoſtratus ſcribit. Pythagoram à Cauſo fluuio his verbis compellatum, *Salue Pythagora*, Porphyrius auctor eſt. Valerio Poplicola Coſ. bellum cum Veientibus & Hetruſcis gerente, ingens repente vox, ambiguo adhuc

Vox quid.

Orphei caput.

Caput Pub. Acilij.

Dodonea columba & quercus.

Vlmus & fluuius loquuti.

Val. Max. lib. 1. cap. 8.

prœlij euentu, è proxima ſylua Arſia, ore ſyluani in hunc pænè modum miſſa traditur, Vno plus Hetruſci cadent: Romanus exercitus victor abibit. Miram dicti fidem digeſta numero cadauera exhibuere: vt Valerius Maximus affirmat. Simili modo Fortunæ muliebris ſtatuã in via Latina; infantẽ ſemeſtrẽ in foro boario, quin etiam bouem Romæ locutum eſſe, idem Valerius teſtis eſt. Memnonis ſimulacrum, ſolis orientis radiis percuſſum, humanas voces edere ſolitum, veteres hiſtorici prodiderunt. Voce humana Simonis Magi canis vſus eſt. vt ex Clemente & Glyca patet. Atque hæc quidem è plurimis exemplis ſufficiant: ex quibus illud intelligitur, tam per animantia quam inanima Spiritus nõnumquam loquutos. Inde alia quæſtio dependet, vtrum beſtiæ aliqua ratione ſint præditæ: quod quidem è veteribus non pauci affirmarunt, moti credo animalium quorumdam ſollertia, vt vigilantia galli, vulpis aſtutia, diligentia formicæ, apium obedientia, multiſque aliis quæ ſine vſu rationis & prudentia fieri non poſſe videntur. Empedocles dixit, omnia animantia & plantas mentem & prouidentiam habere. Plutarchus duobus ex profeſſo libris idem adſtruere conatus eſt, vno: *Quod bruta vtantur ratione*: altero; *Vtra animantia plus rationis habeant, aquatilia an terreſtria.* Idem ſenſerunt Democritus, Leucippus, Parmenides, Porphyrius: quorum hic ſcribit ſua ætate de Apollonio Tyaneo dici ſolitum, illum quum audiſſet hirundinem (Eunapius melius, paſſerem) cum multis vociferantem, ſodalibus ſuis quos ſecum habebat expoſuiſſe, indicare eam

Memnonis ſimulacrũ.

Bruta an ratione & diſcurſu prædita.

ceteris

ceteris, asellum onustum frumento ante vrbem cecidisse, frumentumque effusum. Sed profecto hæc non ridicula tantum sunt, sed etiam incredibilia. Illud quidem verum est, quoad affectus illos corporis & motiones belluini appetitus, bestias se inuicem intelligere, horumque notitiam posse diuturna obseruatione ab hominibus deprehendi. Et forsan posset ea dæmon, qui hæc habet perspectissima, magos quoque docere: falsum tamen est, animalia ratione & discursu vti. Si enim ratione ducerentur, ex electione operarentur: si electionē adhiberēt, nō semper omnia eiusdem speciei animalia vbique eodem modo, vti faciunt, operarentur. Nec discursu prædita dici possunt; nisi ea & axiomata vniuersalia scire, & virtutes consequi, adeoque peccare & mereri posse dicere velimus. Quare etsi in brutis quiddam solertiæ sit quod rationem & prudentiam discursumque imitetur; recte tamen cum Theologorum schola concludimus, Brutis rationem discursum, prouidentiam (propriē dictam) vel sapientiam tribuere, & rectæ philosophiæ & fidei repugnare. Hæc est sententia D. Thomæ, Gregorij, Arnobij, Gersonis, Alberti Magni, Toleti; quam etiam multi è philosophis tenuerunt, inprimis Aristoteles, qui nihil plus illis tribuit quā vestigia animi humani & prudentiæ imaginem.

De iis qui non senciūt aut diutissime dormiunt.

Alia est quæstio, an possint dæmones facere, vt homo non sentiat, aut longissimo tempore dormiat: id quod non raro in tortura & quæstionibus contigisse & adhuc contingere certum est atque indubitatū. Et ad hoc quidem alij vtuntur inunctionibus & pharmacis naturalibus,

con-

confectis ex opio, solano, & similibus, quibus humores turbantur, sopor profundus inducitur, neruorum origines obstruuntur, sensus stupescit, sensatioque impeditur. Alij vim hanc habent ex pacto diabolico, vtentes periaptis ex oscillis, vel cineribus, aut vnguine infantulorum ante baptismum necatorum; vel deglutito apum rege, vel corpori alligatis membranulis certo characterum genere insignitis, aut etiam malo demurmurato carmine: quorum omnium exempla suppeditant qui de reorum tortura & quæstionibus scripserunt, in primis Grillandus, Paris de Puteo, Hippolytus de Marsilijs, alij. Ex Augustino supra de Præstantij patre exemplum recitauimus: itemque de ecstasi Finnorum è longinquis regionibus noua nunciantium ex Olao Magno. Talis somnus fuit illius rustici, qui, vt Lilius testatur, in Germania totum autumnum & hyemem dormiendo emensus est. Epimenides Cretensis auiculam quærens, & meridiano æstu speluncam ingressus, sopore graui victus, septuaginta septem, iuxta Pausaniam, vel quadraginta septem iuxta Eudemum, quieuit annos, & experrectus postea, ratus parumper tantum se indulsisse somno, ouiculam quærere perrexit. Quamquam autem narcoticis pharmacis, alijsque caussis naturalibus somnus valde diuturnus conciliari posset: hic tamen Epimenideus dæmoni potius adscribendus videtur. A meliori manu, per miraculum scilicet à Deo immissus, fuit septem illorum fratrum Ephesinorum, qui septem Dormientes appellati sunt, & sub Decio Imperatore An. CCCCXLVII. acerbissima tormenta

Epimenides.

Septem dormientes.

menta ob Christianæ religionis professionem pertulerunt. Horum nomina fuerunt, Malchus, Maximilianus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, Constantinus: qui post quæstiones & tormenta in speluncam inclusi sunt, vbi precibus ad Deum fusis, ad quietem se composuerunt, & ducentos annos dormiendo exegerunt. Quibus finitis, diuino nutu ac voluntate ostium prædictæ speluncæ, Decij iussu olim accurate obstructum, apertum fuit, septemque illi excitati, & egressi, nouamque rerum faciem mirati, tandem ad Theodosium Imperatorem adducti sunt, in cuius conspectu mortuorum resurrectioni, quæ tum à malis quibusdam Christianis in dubium vocata fuerat, validissimum testimonium perhibuere. Simile quid scribit Paullus Diaconus, esse scilicet in extremis Germaniæ Aquilonaris confinibus ad maris litus sub excelsa rupe cauernam, in qua quinque homines dormientes conspiciantur, corporibus ac vestimentis omni ex parte integris atque incorruptis. Ex forma habitus pro Romanis haberi, putareque accolas fore vt quandoque è somno excitentur. Quemdam sceleratum olim spoliandis illis manus iniecisse; sed aridas retulisse. Olaus Magnus arbitratur eum in finem ibi eos à Deo quiescere iussos, vt experrecti olim, homines ad catholicam fidem reducant. Restat illud, de inedia diu perferenda: de quo dubium non est quin diabolus efficere possit, vt quis longo tempore sine cibo & potu vitam conseruet. Potest enim id naturaliter contingere. Hippocrates quidem negat vltra septimum diem naturaliter hominem cibo & po-

Inediã an homo diu perferre poßit.

&-potu carere posse; sed loquitur de ijs quibus ventriculus & ieiunum intestinum humore chiloso vacant, in quem calor naturalis possit agere. Tum enim concrescere solet illud intestinum: vnde fit vt homines emoriantur. Verum si è morbo aut aliqua alia caussa in corpore residuus sit humor phlegmaticus, crudus, lentus & viscosus; vtitur calor naturalis illo pro alimento, atque ita vitam conseruat donec totus humor sit absumptus. Id affirmat de puella quadam Spirensi Gerardus Bucoldianus, medicus, vnus ex puellæ obseruatoribus à Ferdinãdo Imperatore cõstitutis: quæ quidẽ puella vltra quadriẽnium ex graui morbo ieiuna perstitit, corpore inter satis valido, sano, nec macilento, scabie tantum phlegmatica obsito. Alterius puellæ Anglicanæ, quæ viginti annos inediam atque inbibesiam (vt Plautus loquitur) pertulerit, Rogerius Bacconus mentionem facit. Tempore Nicolai V. Pontificis Gallus quidam sacerdos bienio toto à cibo & potu abstinuit. Quod si hæc naturaliter fiunt; opera dæmonis quoque fieri posse quis neget? cui & humores alterare, & clam cibum subministrare ac corpori indere non est difficile. Ab hoc sine dubio proficiscuntur Nessesogliorum apud Turcas ieiunia, quos multis diebus ieiunos perstare, & superstitionibus suis vacare aiunt. Quod si verum est, diaboli sane ope efficitur. Sed cauendum ne tam Saluatoris nostri quã sanctorum hominum ieiunia vel ad hanc classem referamus, vel naturalibus caussis assignemus, quæ a solius Dei omnipotente virtute profecta sunt.

An dæmones poßint homini vitam prolongare, & senibus iuuentam reddere, aut mortuos resuscitare.

CAPVT VII.



VT qui defecta iam & decrepita grauatur ætate vires resumat & habitum nitoremque iuuenilem, cani tingantur alio colore, frigus in calorem, torpor in agilitatem, cæteraque redeant quæ senium abstulerat, an dæmon efficere possit, difficilis est quæstio, in qua illa mihi iudiciorum formula vtendum arbitror, Non liquere. Neque enim vlla vmquam herba, lapis aut medicina hactenus inuenta est quæ hoc efficere possit. Artefiū quidē Cardanus & alij affirmāt vixisse mille & viginti quinq; annos; & de Bacchi nutricib. reiuuenescētibus scripsit Aeschylus; de AEsone patre à Medea recocto pręter alios Transformationū auctor Naso: sed narratiōes hę fabulosæ omnino mihi vidētur. Aliquid tamē, siue animal id sit, siue lapis, siue herba, siue minerale, siue gēma, siue succus aliquis salutaris, à Deo creatū esse, quo humidū radicale restaurari, calor innatus refocillari, nimia illa senectutis ariditas tēperari, & in vniuersū natura hominis siue complexio, vt vocāt, ad pristinū vigorē aliquo modo reduci, & in eo ad tēpus aliquod cōseruari possit, ratio nulla est cur negemus. Priscos illos multas annorum cēturias vixisse legimus. Adamū quidē nongentos & triginta, Seth nongentos & duodecim, Enos nōgentos & quinq;, Cainum nongētos & de-

Artefius.

Bacchi nutrices.

Æson.

Vigor ætatis restitui potest.

& decem, Malaleel octingentos nonaginta quinque, Iared nongentos sexaginta duos, Enoch antequam viuus in cœlum transportatus est, trecentos sexaginta quinque, Mathusalem nongentos sexaginta nouem, Lamech Noæ pater septingentos septuaginta septem. At obijciat quispiam, fuisse quidem longæuos primos illos homines, prima illa & vegeta adhuc mundi iuuenta; at post diluuium certam humanæ vitæ à Deo periodum definitam, quæ vltra centum & viginti annos prorogari nequeat, vt probatur Dei verbis: *Dixitque Deus, non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.* eamque ob caussam Mosen dixisse: *centum viginti annorum sum hodie: non possum vltra ingredi & egredi.* Sed obiectio hæc facile diluitur. Non enim ibi Deus de omnibus omnis æui hominibus loquutus est, sed de iis tãtum qui corruptissimo illo ante diluuium sæculo vixerunt, quibus hunc pœnitentiæ terminum præfiniuit. Ita locum hunc Chrysostomus & Hieronymus intelligunt, similiterque Augustinus libro XV. De ciuitate Dei. Nec Moses hoc dicit, vlterius se viuere non posse; sed tantum ætatis vitio imparem esse tantæ multitudinis gubernationi. Et vero constat hunc ipsum terminum multos post diluuium superasse. Abraham enim centesimum sexagesimum quinsum ætatis annum excessit, Ismael centesimum trigesimum septimum, Isaac centesimum octuagesimum: aliique complures. Et posse vi aliqua naturali creaturæ vitam non æternari quidem, sed prologari, patet ex illo quod de arbore siue ligno vitæ

Vitæ termi nus quis & quantus.

Gen. 6.

Deut. 31.

Vita an prorogari possit.

vitæ in sacris litteris scriptum est; quod quidem lignum vitam esu suo in multarum etiam longissimarum nunc vitarum tempus, ad aliquot annorum milia producturum fuerat. Quare eiectis protoplastis, Deus paradisum munijt, ne Adam rursus ingrederetur, & de ligno vitæ sumens viueret in æternum. Sic enim textus loquitur: *Dixitque Deus, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum; emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumtus est. Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quod autem Galenus ac ceteri medici docent, ipsaque etiam testatur experientia, vitam humanam humido radicali conseruari; hoc autem annorum multitudine consumi, atque etiam ipsa alimenti nutritione atteri, nec vlla arte aut natura refici posse, partim verum est, partim falsum. Humido enim vitam conseruari, ipsum etiam atteri indies concedendum sane est: at non sequitur, si medicis ratio humidum illud radicale restaurandi incognita sit, dæmoni quoque ignotam esse aut impossibilem. quam si nouit, potest quoque, nisi à Deo prohibeatur, in praxim deducere, & hac scientia vti. Aquilæ iuuentus renouatur; serpentes cum tenui sua leberide senectutem exuũt, & iuuentam induunt: cur ergo naturalia quædam remedia nequeant inueniri, quæ idem in homine præstare possint? Non tamen quisquam existimare debet, vt longæuam, ita

Humidum radicale an restaurari queant.

 æter-

æternam fieri posse hominis vitam. Omnino tandem enim futurum est, vt post aliquot annorum cẽturias hominis natura ita flaccescat ac fatiscat, vt ad eam nullum satis efficax ad collabascentis corporeæ molis & naturæ prostratæ restaurationem, inueniri queat remedium. Sed iam vt exemplis hanc quam defendimus iuuentæ renouationem vel virium reparationem confirmemus, ordo postulat. Scribit Torquemada, An. MDXXXI. Tarenti fuisse centenarium senem capularem, qui canis in meliorem colorem mutatis, dentibus renatis, rugis abstersis, oculorum atque aurium ceterisque sensibus renouatis, è sene iuuenis prodierit, & quinquaginta post annos superuixerit. Simile quid in Castella vniuerso populo notissimũ obtigisse; idque à regionis pręfecto diligenter exploratum. Indicarum rerum scriptor Petrus Maffeius longa & certa narratione commemorat, cuidam Indo nobili trecentorum illorum & quadraginta, quibus vixit, annorum spacio, iuuentæ florem ter exaruisse, & ter refloruisse. Cardanus & Langius affirmant, in nouo illo mundo insulam repertam, Bonicam nomine, & in ea fontem, cuius aqua, nectare sane preciosior, pota senium in iuuẽtam mutet. Monuedrum regni Valentini oppidum est: olim Saguntus. heic sua ætate scribit Valescus Tarentasius, fuisse monialium Abbatissam, cui iam silicernio, subito menstruis fluoribus renouatis, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & sulci cutis adæquati, mammæ pendulę atque pannosæ ad instar virgunculę rursum sororiarint. Nõ quidem ignoro quam incredibilia hæc plerisque videantur, sed illi hoc cogitent, rebus eiusmodi

Exempla reiuuenescentium.

Bonica insula.

eò tan-

eo tantum quod numquam ipse videris (etsi à rectæ philosophiæ ratione non abhorreant) fidem detrahere, singularis esse impudentię atque temeritatis. Quin Deus potius laudandus est in operibus suis, quæ tam multa sunt tamque mirabilia, vt eorũ rationes nullius hominis mẽs perscrutari aut numerum inire possit. Nec vero tantum vitæ longæuitatem nobis promisit Deus; sed eius quoque conseruationi studere nos iussit. Honora medicum, inquit Scriptura, propter necessitatem: quia altissimus creauit eum. Quid, quod ipse D. N. Iesus Christus ait, sanos medico opus non habere, sed infirmos? Vnde intelligitur, posse medicos virtute rerum à Deo eum in finem creatarum & profligare morbos, & vitam homini, non tamen vltra terminum à Deo definitum, prolongare. Et quemadmodum nouis quibusdam morbis, qui incurabiles putabantur, noua reperta sunt remedia; ita posset quoque Deus rationem vitæ in longissimum producendæ manifestare, sed an facere id velit, merito ambigere licet. De mortuis vero, eos Dæmonum opera resuscitari non posse, certum est. Dei enim ordinatione in rebus creatis à perfecta priuatione ad habitum naturalem non datur regressus; neque potest verus homo alia ratione formari quam per viam generationis è mare & femina in vase idoneo. Quare anima semel à corpore separata numquã illud rursus subire aut cum eo coniungi potest, nisi vnius Dei iussu & potentia supernaturali. E quo liquet quam longe a vero deuiarit Bodinus & alij, qui magorum animas reuera à corporibus separari, eaque relinquere, postea vero reduci ac restitui aiunt. Neque enim

Mortui an à dæmone resuscitari possint.

nim in magorum illa, cuius fidem nobis inter cæteros facit Olaus Magnus, ecstasi anima à corpore vere abest, sed tantum obstructis atque impeditis organis, officio suo fungi nequit: tumque interni sensus, phantasia maxime, à præstigiatore varijs modis deluditur & fascinatur. Quod si quãdoq; anima in corpus defūcti redijsse visa est; fuit hoc ludibrium dæmonis, ad id institutum, vt de animæ migratione hunc errorem mentibus imprimeret. Fabula igitur est Platonis illa narratio, Eren Armenium genere Pamphylium, quum inter cæsos in prœlio decem diebus iacuisset mortuus, domum relatum; secundo post die, quum esset imponendus rogo, reuixisse, ac prodigiosa quædam narrasse quæ illo tempore apud inferos vidisset. Similis fabula fuit de Hermotimo Clazomenio, & illa de Aristæa Proconnesio, quã narrãt Plinius & Plutarchus ex Herodoto, sæpe mortuum in vitam sæpe rediisse, & animam quoties vellet resumere potuisse, ita vt assistẽtes animã, cerui effigie, ex ore euolantẽ viderẽt. Idem sentiendum de militis dormientis ore egressa & iterum ingressa mustela alba: in quibus omnibus præstigias diabolicas intercessisse credi debet. Naturali etiam ex caussa fieri potest, vt anima in occulto quasi lateat; accedente dein calore rursus excitetur. Sic forsan cum Acilio Auiola res se habuit, qui & à medicis & à domesticis mortuus creditus, quum aliquandiu humi iacuisset, elatus, postquam ignis corpus eius corripuit, viuere se proclamauit auxiliumque pædagogi, qui solus ibi remanserat, inuocauit: sed iam flammis circumdatus, fato subtrahi non potuit. Quod vero diximus, animas, mortuorum in corpus

Ecstases magorum quales.

Eres Armenius.

Hermotimus Clazomenius.

Acilius Auiola. Val. Max. lib. 1, ca. 8.

pus vlla vi naturali reuocari non posse, non de hominis tantum anima, sed de brutorum quoque animabus intelligendum est. Ratio est; quia quum brutorum animæ è materiæ potentia educantur, etiam vna cum corporibus statim exstinguuntur. Nugantur ergo apud Laertium magi, qui herbarum aliquot genera reperiri aiunt, quibus mortui resuscitentur. Iuba mentionem facit herbæ cuiusdam Arabicæ, cuius vi mortuus in vitam sit reuocatus. Xāthus historicus herba Bali dicta Tilloni nescio cui defuncto vitam redditam ait. More quoque suo agit Cornelius Agrippa, affirmans in vitam animalia reuocari posse, exemplo anguillarum, quæ ob aquæ defectum mortuæ, si integræ in vas aceto plenum ponantur, & vulturis sanguine inspergantur, postea in limum defodiātur, intra paucos dies reuiuiscant: itemque exemplo pellicani, qui pullis exstinctis, effosso sibi pectore, & sanguine emisso, vitam reddat: & leunculorum, quos quidam rugitu & halitu parentum vitam recipere tradunt: & apum, quæ succo herbæ nepetæ (Dioscorides calamintham secundæ speciei, Plinius & Columella pulegium agreste nominant) in vitam reuocentur: & muscarum, quæ suffocatæ aut frigore enectæ, dein cineribus suppositæ, mox vitam cum calore resumant. Quæ quidem omnia etsi magnos viros habent auctores atque astipulatores; fabulosa tamen sunt, immò perspicue falsa, si de vere mortuis intelligantur. In hoc casu memini puerū me quondam in muscis suffocatis, ac postea calido cineri appositis, experimentum fecisse, quæ quidem calore refocillatæ auolauerunt, sed eæ quæ

An herbis mortui resuscitentur.

Muscæ quomodo reuiuiscant.

frigore tantum quasi ſtupebant, quæque humectatæ tantum erant; quæ autem vere erant mortuæ, diuque aquis immerſæ, ita vti erant, mortuæ manebant. Aliquando dæmones cadauer aſſumunt humanum vel ferinum, & illud mouent atque impellunt motu locali, non vitali. Hac arte Simon Magus mortui cadauer præſente S. Petro, reſuſcitare voluit, ſed non potuit; at illud S. Petrus diuino inuocato auxilio, potententiaque veri Dei fretus, confuſo Mago, reſuſcitauit. Sic alibi dæmon mortui cuiuſdam corpus integro priusquam ſepeliretur anno geſtauit, & ita rexit vt viuum videretur; deinde excedens, corpus exſangue reliquit. Fabulæ propius quam rei geſtę videtur quod Phlegon Hadriani libertus oculata fide ſe cognouiſſe teſtatur. Rem ſic narrat. Philinnium Demoſtrati & Charitus filia Machatem hoſpitem amare cœpit. indigne id ferentibus parentibus, mœrore mortua & publice fuit funerata. Sexto poſt obitum menſe quum eò reuertiſſet Machates, ingreſſa ad illum Philinnium hoſpiti ſe poſt longa colloquia commiſcuit non ſemel illo veſperi, quo & cum eo cœnam ſumſit, & annulum ferreum & poculum inauratum à Machate dono accepit, ipſi viciſſim annulum aureum & faſciam pectoralam dedit. Nutrix dum pergit ſedula ne quid hoſpiti deſit ſatagere, videt cum eo in lectulo iacentem alumnam. Læta parentibus id indicat. Illi ſtupentes accurrunt. & altero die vtrumque deprehendunt, & cum heiulatu, dormientem cum hoſpite filiam amplectuntur. Sed toruum in eas intuens Philinnium: O vos crudeles, ait, in filiam parentes. ergone vos inuidiſſe mihi meo

Dæmones cadauera induunt.

Philinnium & Machates.

meo Machata paterna in domo vel triduũ solidũ frui? Magno vobis dolore hæc siue duritia siue curiositas stabit. renouabitis dolores præteritos, & filiã iteratò sepelietis. His dictis, expalluit, & cõcidit cadauer mortuo iterum simile, seu potius, vt erat, mortuum. Concidere simul oppressi mœrore parens vterque. Re intellecta, populus & magistratus iubent sepulcrum aperiri: vacuum id corpore repertum. Erant in eo duntaxat annulus ferreus & scyphus auratus, dona Machatæ: sed in cubiculo & lectulo inuentũ cadauer Philinnij, & Hilli cuiusdam auguris consilio, vt prodigium, eiectum extra vrbis limites, auibus ac feris deuorandũ. Ipse Machates à spectro vidẽs se delusum, sibi paullo post manus, ignominiam non ferens, consciuit. Possunt etiam magi ex pacto per superiores dæmones cogere inferiores, vt cadauer ingressi illud gestent, moueant, ceteraque ad tempus faciant quibus videantur viuere: vt factum Louanij à Cornelio Agrippa. Is commensalem habebat nimis curiosum. semel profectus aliquò Agrippa, vxori claues musæi sui tradidit, addito interdicto, ne quem ingredi permitteret. Inconsultus ille adolescens non destitit mulierculam opportune atque importune deprecari, sibi vt copiam ingrediendi faceret, donec impetrauit. Musæum ingressus, incidit in libellum coniurationum. legit. en pulsatio ad ianuam. turbatur: sed pergit legere. pulsat iterum nescio quis; & nihil respondente rudi harum rerum iuuene, dæmon ingreditur, quærit, cur vocatus? quid fieri velit? isti metus vocem intercludit, fauces dæmon. sic miser pœnam luit stultæ & nefariæ curiositatis.

Curiosus magici libri inspector enectus.

Redit interea domum archimagus: videt exsultantes super eam dæmones. vtitur solitis artibus. adsunt: vocati narrant rem, vti gesta. ille homicidæ mandat cadauer ingredi, & per forum, vbi ceteri studiosi solebant frequentius conuenire, aliquoties obambulare, tandemque corpus deserere. Spacium ille vnum & alterum per forum fecit; tum corpus concidit, diffugiente eo qui regebat. Creditum diu hunc subitanea correptū morte concidisse; sed indicia suffocationis initio rem suspectam fecere; postea tempus omnia diuulgauit, & Agrippa quod pectore occuluerat venenū in Lotharingiam profugus, cœpit euomere ac disseminare. Ranulphus narrat Comitem Richardum quadam nocte solum, orationis gratia, ingressum in templum, inuenisse ibi sandapilam, in qua mortui cadauer erat repositum. Dum autem Comes oraret, subito mortuus ille magno cum strepitu è feretro exsilijt, & extensis brachijs quasi in amplexum eius ruiturus, ad Comitem accessit. Quem quum Comes signum crucis fronti suæ imprimens frustra intensius vt recederet adiuraret, stricto gladio illū dissecuit, & exinde statuit per totā terrā circa funera vigilias celebrari. Mirum quoque illud Plutarchi, apud quem Enarchus à medicis pro mortuo habitus & relictus non multo post visus est ad vitam redire. se dicebat vere resurrexisse, illosque dæmones qui eum vita eduxerant, grauiter ab ipsorum principe increpitos fuisse, quod eum pro Nicauda coriario, rapuissent, qui eodem die & hora febre correptus, quum in lecto iaceret, eo morbo decessit. Neque hac re contentus, ad testandam resurrectionem

Ranulp. li. 8. cap. 7.
Mortuus erigit se.

Enarchus.

onem suam, Plutarcho qui tunc morbo laborabat, breui incolumem eum fore prædixit: quod & ita contigit. Hoc si verum est; voluit dæmon hãc fabulam ita agere, vt se vitæ ac mortis dominum venditaret. Admirabilius est quod Guagninus in descriptione Moscouiæ recenset. Populos scribit in Lucumoria regione Russiæ, habitantes, quotannis vicesima septima mensis Nouembris die, vt solent hirundines & ranæ, sic & ipsos præ frigoris brumalis magnitudine mori; postea redeunte vere, vigesima quarta Aprilis die denuo reuiuiscere. Addit, hos quum sibi mortẽ imminere sentiũt, merces suas certis in locis deponere, quas Grustensij & Serponouutzij vicini populi, suis mercibus interim æquiualẽtibus eodem loco relictis, auferunt. Illi reuiuiscentes eas merces, si iustæ videantur, pro suis accipiunt; sin minus, easdem repetunt. Vnde lites & bella sæpissime inter eos oriri dicuntur. Quod licet pro fabula idem scribens Herberstenius habeat, & omnibus habendum videatur; si quis tamen verum esse contendat, huic dicemus præstigias esse diabolicas, aut hos glirum fratres esse qui ternos menses quotannis somno transigunt perpetuo, tamque alto vt à mortuis nihil differant. Neque enim vel incidentium murorum ruina, vel plagis excitari possunt; tantum vbi in aquam frigidam coniecti fuerint, sese rursus mouent, ac diffugiunt. Neque vsque adeo mirum est, posse hoc animalculum tamdiu sine cibo vitam ac spiritum retinere: siquidem pinguedo illius in meatus vitæ à frigore includitur ac coarctatur; præterquam quod in animalibus quanto minus ea

Lucumoriani.

Glirum somnus.

mouentur, tanto minus: humor naturalis consumitur ac dissipatur; & somnus etiam famem ac sitim natura sua quodammodo extinguat. Hinc tritum illud de glire:

Tota mihi dormitur hyems; & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Capitis praecisi historia. Apud Apuleium legitur, Socrati cuidam caput præcisum ab incantatrice, supposita spongia, trunco rursus appositum, addita prohibitione ne ex vllo vmquam flumine biberet. Quod præceptum quum ille insuperhabuisset, & inclinato corpori riuulo os bibiturum applicaret; ecce subito caput à trunco in flumen decidit; ille vero mortuus iacens inuentus est. Quis heic quoque (si quid tamen veri insit) diaboli in cadauere illo ambulantis præstigias non agnoscat? In Germania magus quidam nobilis in diuersorio publico hospitis famulum, ita petentibus reliquis conuiuis, decollauit. quum autem rursus caput ei imponere vellet, animaduertit alium magum adesse, qui eum in hoc proposito impediret. Rogat hic eum ne faceret. Verum quum admonitioni repetitæ alter non pareret; præstigiator in mensa lilium crescere fecit, cui quum caput & flores amputasset, concidit statim absque capite de mensa magus ille qui alterum impediuerat, & præstigiator absque vllo impedimento famulo caput imposuit è vestigio, & ex hospitio vrbeque, ne à magistratu propter commissum homicidium apprehendetur, aufugit. Vere caput famulo huic præcisum fuisse, stultitia sit asserere. Fascinatio tantum diaboli fuit. Quod vero ille alter vere occisus, inde

est

est, quod fortiori spiritui minor cessit, & sic miserum suum mancipium deseruit. Refert Eunapius, magum AEgyptium carminibus suis quem produxisse, qui Apollinem mentiretur. Iamblichum, & ipsum magiae non imperitum, spectatores monuisse ne crederent hunc esse Apollinem, sed cadauer esse gladiatoris, qui ante biduum in pugnae & ludorum commissione fuerat interfectus. Dein susurratis quibusdam carminibus magicis effecisse, vt aufugiente qui regebat spiritu, cadauer gladiatoris fetidum in terram concideret. Idem quod huic gladiatori, Bonnicae cuidam accidisse fertur, cuius corporis exuuias spiritus malus totum biennium circumtulit, ita vt nemo mortuam eam suspicari posset. nam & loquebatur, & comedebat, quãquam parũ, tamquã viua; solo pallore mortem testante. Tandem quum in virginum coetu magus quidam eam vidisset, Quid vos, inquit, viuam hanc creditis quae iamdudum mortua fuit? simul accedens, carmen siue incantationem magicam brachio subligatam aufert. qua remota, corpus exsangue iamdudum atque inanime humi fusum est. Atque hae sunt mirabiles vaferrimi illius panurgi artes atque operationes, quibus homines supplantare atque in errorem inducere conatur: quas in lucem proferre non inconsultum fortasse fuerit, vt tanto melius agnoscere eas & vitare discanus.

Cadauera viuos mẽtientia.

De

De alijs quibusdam effectis mirabilibus ac ridiculis, quibus maligni spiritus homines ad malas artes atque incantationes allicere student: deque malo & tristi magorum exitu & fine.

CAPVT VIII.

Ridicula spectacula magorum, & eorum finis.

DICI non potest, quam varias artes modosque ad impediendos retibus suis homines damnati spiritus comminiscantur. Quia vero vt occidant homines non semper Deus permittit, thesauros vero ipsi ac diuitias, vt pote capitales hostes, hominibus inuident: solent illud operam dare vt ridiculis & gratis in speciem spectaculis curiosorum animos illiciant atque impedicent: qui tantulam voluptatem (si modo voluptas dicenda est quæ è meris pręstigijs percipitur) æterno animæ ac corporis detrimento, male profecto emũt. Testis sit ipse magorum coryphæus Agrippa, qui inter alia quæ de Magia scripsit, hæc ponit verba: *Libri magici aperte sese produnt non nisi meras nugas ac imposturas dæmonum continere, ac posterioribus temporibus perditissimis à perditionum artificibus esse conflatos ex profanis quibusdam obseruationibus, nostræ religionis cæremoniis permistis, insitisque ignotis multis nominibus dæmoniorum & signaculis, vt perterreant rudes & simplices, & stupori sint insensatis & his qui nesciunt bonas litteras.* Vnde idem ait maiorem esse sagarum quam

quam ſagorum numerum; qnandoquidem feminæ, vtpote magis fragiles, curioſæ atque ignorantes, dęmonum fraudibus, quas non intelligunt, facilius decipiuntur. Ex veteribus quidem nobiles fuerunt, Circe, Medea, Canidia, aliæque complures. Inter viros facile primum locum tenuit Simó ille cognomento Magus, qui dæmonum ope multa prodigia fecit, ſupra enumerata: quæ licet alijs mirabilia ac plane diuina viderentur, adeovt Romani eum non colerent tantum atq; obſeruarent, ſed diuinos etiám honores ei haberent, erecta ara, cum inſcriptione, *Simoni Sancto Deo*: ipſe tamẽ meras eſſe quæ faciebat dæmonum præſtigias atque illuſiones non ignorauit. Quapropter quum videret Apoſtolos vera miracula Dei virtute patrantes; magnam eis pecuniam obtulit vt Spiritu ſancto donaretur, quo ſimilia facere poſſet, ſtulte exiſtimans Apoſtolorum illa miracula alicuius ſua melioris magiæ ſcientia inniti. Præter illas quas ſupra diximus, alias quoque ipſius pręſtigias addit Nicenus, Statuas, inquiens, faciebat ambulare, & in igne volutatus non vrebatur, & in aere volabat, & ex lapidibus panes faciebat; ſerpens fiebat, & in aliquas alias beſtias trãsformabatur, duas habebat facies, in aurum conuertebatur, cõuiuijs exhibebat ſpectra omnis generis, vaſa quæ erant in ędibus, faciebat videri tamquam quæ ſua ſponte mouerentur ad miniſterium, ijs qui portabant non viſis, &c. Tandem per aerem volans, S. Petri oratione ac precibus in terram confractis omnibus oſsibus, atque in æternum barathrum eſt præcipitatus. Ludos vero ac iocos (quorum tamen finis triſtis eſt admodum) exhibere ſpectatoribus

Simon Magus.

ribus magos, vt ita suas artes pessimas venditent, multa testantur exempla. De Zytone Bohemo mirifico præstigiatore sic scribit Ioannes Dubrauius: *Venceslaus Imperator & Bohemorum rex, affinitatem cum Principe Bauariæ Ioanne init, ducta in vxorem filia eius Sophia. Socer vbi generum ludicris spectaculis & magicis præstigijs delectari cognouit plenum ludionum & præstigiatorum plaustrū secum Pragam vexit. Ibi dum præstantissimus artificū ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adest inter spectatores Zyto Venceslai magus, ore vsq; ad aures dehiscente, accedensq; propius, artificem illum Bauari cum apparatu protenus deuorat, solos duntaxat calceos, quia luto obsiti videbantur, exspuens secessumque inde petens, ventrem insolita esca grauem, in solium aquaplenum exonerat, præstigiatoremq; adhuc madidum spectatoribus restituit, passim deridendum adeo, vt ceteri quoque eius socij à ludo desisterent.* Ridiculum hoc, sed merum potentioris dæmonis fuit præstigium; nec Bauarus ille per aluum vere egestus est, sed in solium aquæ iniectus à dæmone, alioque interea abreptus. Apud Olaum Magnum magus quidam Gilbertus cum Catillo præceptore de artis præstantia contendens, quum exiguum bacillum characterib. Gotthicis vel Ruthenicis inscriptum, à præceptore proiectum, manibus apprehendisset, statim obriguit, & in insula latus Veter dicti, apud Ostrogothos in cauerna subterranea fertur ligatus. Hoc atrocius, itemque quod sequitur. Concurrerant in aula Anglicana duo magi, iucundum exhibituri spectaculum. paciscuntur singularem vna in re sibi inuicem parendi necessitatem. prior iubet alterum per fenestram

Zyto præstigiator.

Catillus & Gilbert.

Certamen duorum magorum.

despicere:

aspicere: quod quum faceret, enatis subito ceruinis ex capite cornibus, cunctorum sannis & ludibrijs diu fuit appetitus. Quare quam impotens iniuriæ tam cupiens vindictæ atrocioris, pingit carbone humanam in pariete effigiem; tum priori mago imperat subire effigiem illam, parietem cessurum ingredienti, mortem sibi cernens præsentem horrere hic & deprecari; vrgere alter conuenta. Subit ergo coactus, & visus corpori paries locum dare ingredienti: sed ingressus, nusquam postea comparuit. Scilicet superior dæmon eum occiderat, & corpus in desertum vel speluncam alicubi abdiderat: nec inuiti dæmones alter alteri prædam relinquunt. Mitiores fuere Zedechiæ Iudæi præstigiæ & ludificationes; qui fuit tempore Ludouici Pii. Is & hominem in aera iactabat, & membra discerpebat, & ea recollecta adunabat, currum etiam onustum fœno cum equis & auriga, & integros homines armatos coram toto populo deglutiebat. Tandem quum Carolum Caluum Regem toxico infecisset, quatuor equis & ipse membratim distractus est, anima pignore dæmoni relicta. Quædam è Comitum Andegauensium, è qua Henricus II. Angliç rex ortus, familia incantratrix, vt Polydorus refert, templum aliquando ad eucharistiam adorandam ingressa, à diabolo magistro viua per fenestram absportata fuit, neque vmquam amplius deinde visa. Iamblichus, cuius ob magicarum artium peritiam magna fuit apud omnes populos existimatio, tandem, vt Eunapius scribit, seipsum veneno interfecit, & ad inferos atque æternos cruciatus descendit.

Zedechias Iudæus.

Comitissa Andegauensis.

Iamblichi finis.

Empe-

Empedoclis magia & exitus.

Empedoclis Agrigentini magnum quoque olim ob easdem artes, Suida teste, fuit nomen. Hic Etesijs aliquando vehementer flantibus, adeo vt fruges corrumperent, excoriari asinos iussit, factisque vtribus, eos collibus & montium verticibus admoueri ad compellendos flatus, cessantibusque ventis, Ventorum coactor dictus est. De se valde iactabundus hæc canit:

Pharmaca, queis pellas morbos tristemque senectam
Percipies, quæ cuncta tibi communico soli:
Compescesque truces ventorum rite procellas,
Exorti insanis qui vastant flatibus ægros,
Sursum, si libeat, mox flumina pigra ciebis,
Et media induces ex tempestate serenum,
Induces media pluuias æstate salubres,
Et flatus sicca qui perflent omnia messe,
Exstinctumque hominem nigro reuocabis ab orco.

Ioan. Fausti magi exitus.

Quis finis fuit tantæ iactantiæ atque existimationis malis artibus comparatæ? Hic scilicet quod in flammis AEtnæ miserabiliter vitam finijt. De Fausto mira sunt quæ circumferuntur, magna tamen ex parte conficta. Quidquid sit, certum est expertum eum magum fuisse, multaque dæmonis ope præstigiatorie effecisse. Exitum eius quis non chohorrescat? Oppido enim egressus in pago quodam dum pernoctat, ab hospite inter cœnam rogatus, quid ita tristis esset, monuit ne strepitu, si quem ea nocte audiret, moueretur. Ea nocte diabolus tanto fragore ad eum venit, vt domus è fundamētis euerti videretur; magus vero mane gula fracta misereque discerptus inuentus est. Alius quidam in Ger-

In Germania magus, cui inter alias illusiones solemne in magna populi corona in aere subuolare, vt & pedes eius tenens mulier, & huic etiam annexus infans, atque ita sublimes se satis diu populo ostentare, ob scelera tandem comprehensus, flammis combustus, tum quando maxime auxilio opus haberet, à dæmone desertus, immo eius opera in rete est cõpulsus. Matisconensem Comitem magia ac sacrilegijs infamem, quum aliquando in templo consedisset, à diabolo viuum abreptum attoniti ministri conspexerunt, omnibus lamentabilem eius vocem, Succurrite ciues, Succurrite ciues, audientibus. De ridiculis Michaelis Sidicitæ præstigijs hæc Nicetas: *Quum ex editiore palatij Constantinopolitani parte nauiculam vidisset, qua ollæ & patinæ vehebantur, carmine magico effecit, vt nauta exsurgeret, & vasa non prius ferire desisteret quam in pulnerem redegisset. At paullo post barba prehensa lamentari, amotaque caligine, se vt ira numinis agitatum deplorare. Rogatus cur merces suas ita tractasset, cum dolore narrabat, se remis intentum, horribilem serpentem super vasa porrectum, oculis inconniuentibus in se conuersum, instar deuoraturi, vidisse, qui prius volutari non destiterit quam fictilia confracta essent, inde subito ex oculis euanuisse.* Et huius exitus infelix fuit, in aqua suffocati. Eunus Anglus hæreticus & magus, vt Gulielmus Neubrigensis testatur, similibus ludificationibus diu vsus est. nam & spectantiũ oculos ita fascinabat, vt magnam principium, baronum ac pedisequorum cateruam circum se habere videretur: cœnasque extemporarias, assistentibus ad mensas exquisitissimis epulis instructas, pul cherrima specie nymphis, & longo ministrorum

Circulator Germanus

Comes Matisconensis.

Michael Sidicites.

Eunus magus & hæreticus.

ordine circumstante, abacis multo auro atque argento oneratis, hortos etiam amœnissimos & viridaria floribus atque herbis mirifice picta atque exornata, vel media hyeme exhibebat. In fine damnatus à Concilio Rhemensi, frustra inuocato promisso dæmonum auxilio, quam Deo reddere debuit animam diabolo reddidit. Iuris quidam candidatus & Baccalaureus, membranula magicis characteribus consignata fretus, quum aliquoties audacter se iurgijs & pugnis immiscuisset, sæpe ictus numquam saucius, tandem Romę Anno MDLXXIII. in symposio, minimo vulnere fuit interemptus. Sic scilicet suos dęmon solet deludere; sicut & Scafium insignem magum delusit. Is in territorio Bernensi primus maleficiorum auctor publice gloriari solebat, posse sese quandocumque vellet muris specie inimicorum suorum oculis ostendere, atque ita è manibus eorum elabi. Sed quum terminum malitię eius diuina iustitia ponere voluit, in hypocausto quodam ad fenestram sedens ab inimicis obseruatus est. quo in loco nullas insidias veritus, per fenestram gladijs & hastis inopinato transfixus est, miserabiliterque mortuus. Eodem modo Neuburgensis ille magus, quem supra fœni fasciculum pro equo vendidisse diximus, bis apprehensus, bis dæmonis opera è carcere euasit. Tertiùm vero in custodiam datus, à diabolo desertus est, & morti addictus. De muliere quadam Angla venefica tristis est & horrenda apud Olaum & Vincentium narratio. Hæc die quodam inter prandendum à dæmone quo familiariter vsa fuerat, in cornicis forma, nouum nuncium accepit, quo audito terroris

Quirinus quidam.

Scafius Bernensis.

Magus Neuburgensis.

atque

atque anxietatis plenę cultellus è manibus elabitur, totaque expallescens cum planctu verba hæc aliquoties ingeminat: Hodie extremum ego exarabo sulcum O triste damnum quod hodie passura sum. Vix hæc dixerat, quum ecce nuncius ad fores, filij ac totius familiæ interitum indicans. Mulier dolore oppressa in lectulum se componit, liberosque superstites, qui tum à familia absentes (monachus enim alter erat, altera monialis) ad se vocatos ita alloquitur: Nescio ego quo miserabili fato malis dæmonibus hactenus tota addicta, omniumque vitiorum turpis quædā sentina & cloaca, numquam in me vllam spem, sed in vestra tantum religione habui. Quia ergo scio propediem, vel etiam intra paucas horas à malis spiritibus, quibus me mācipaui, quibusq; ad omnia scelera magistris vsa sum, abreptum me iri, vt condignas pœnas exsoluam; rogo vos per materna hæc viscera, vt quoniam sententiam de mei damnatione iam latam reuocari non posse suspicor, pœnarum saltim & tormentorum, quæ me manent, acerbitatem lenire vestra opera iam studeatis. Quare corpus meum ceruinæ pelli insuite, & in tumbam marmoream condite, eamque vel ferro vel plumbo probe obserate, tribus insuper crassis catenis ferreis reuinctam ac circumligatam. Quod si per triduum tuta eo in loco iacuero; tertio die in terram me sepelite: quamuis dubitem an terra ob enormia flagitia ad se me receptura sit. Singulis noctibus facite vt ad funus meū quinquaginta religiosi psalmos & defunctorum exsequias decantent, totidemque missas pro animæ meæ salute celebrent. Iussa matris exequuntur

Saga à diabolo viua absportata

tur liberi. Primis duabus noctibus dū psalmi decantantur ad tumbam, infernalium diabolorū turba per templi portam quamuis & ipsam diligenter obstructam, introrumpunt, & ingenti cum strepitu duas catenas quibus tumba reuincta errt, confringunt, media integra relicta, quæ maiori artificio erat confecta. Tertia nocte maiori numero diaboli rursus adsunt, tanto cum strepitu ac fragore, vt monasterium sedibus moueri videretur. Ibi quispiam maior reliquis statura & terribilior, vno ictu confracta porta, toruum intuens, ad tumbam accedit, & mulierem nominatim euocat. Respondet illa miserabili voce, non posse se exire, quod ligata esset. Tum diabolus, Ergo, inquit, soluam te, magno cum tuo malo. statimque tertia illa catena in frusta dissilijt. Dein pede tūbæ operculum decutiens, mulierem ad templi ostium deportat, vbi niger equus stabat, è cuius toto corpore ferrei vnci vndique prominebant. Ei superbissime hinnienti imposita mulier, per auras auecta est, miserabilem edens clamorem, qui per longissimum locorum interuallum diu fuit exauditus. En tibi breuissimæ voluptatis vel potius curiositatis fructum acerbissimum? en finem magicarum artium luctuosum. Et vero quomodo alium exspectare possunt qui cum diabolo tam infido spiritu, contraxerunt, quam vana promissa, noxiam curiositatem, animi anxietatem perpetuam, iacturam temporis, honoris, vitæ, animęque exitium sempiternum? Id ipsum magi ipsi nō ignorant, vt Cornelius Agrippa, qui quum in hac illicita arte oleum atque operam, quod dicitur,

Agrippæ de magia testimonium

perdi-

perdidiſſet, hæc ſcribere non dubitauit: *Prodierunt Magi propter quæſtum, & inanem gloriam, mentes per diabolos aduerſus Deum, vtilitatem nullam, neque beneficia hominibus præſtantes, ſed decipientes, in perniciem & in errorem mittentes, & qui credunt illis confundentur in iudicio Dei. Verum de magicis ſcripſi ego iuuenis adhuc libros tres amplo ſatis volumine, quos de occulta philoſophia nuncupaui, in quibus quicquid per curioſam adoleſcentiam erratum eſt, nunc cautior hac palinodia recantatum volo: permultum enim temporis, & rerum in his vanitatibus olim contriui. Tandem hoc profeci, quod ſciam quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicunque enim in eluſione dæmonum, ſecundum operationem malorum ſpirituum, diuinare, & prophetare præſumunt, & per vanitates magicas, exorciſmos, incantationes, amatoria, agogima, & cætera opera dæmoniaca, & idololatriæ fraudes exercētes, præſtigias, & phantaſmata oſtentantes, mox ceſſantia miracula ſeſe operari iactant: omnes hi cum Iamne, & Mambre & Simone Mago æternis ignibus cruciandi deſtinabuntur.* Hæc miſer ille, qui videns meliora, deterioribus ad finem vſque vitæ adhæſit, maledicti ſpiritus illecebris vt antea inductus, ita ſemper retentus: à quo accepta pollicitatione ſua opera in vitam ſemper reſtitutum iri, ceruices ſibi abſcindi iuſſit, ſed deceptus miſer non in vitam redijt, ſed ad inextinguibilem abijt gehennam. Ac profecto nullum atrocius eſt ex omnibus peccatum quam magia, qua Deus extreme contemnitur, qua federe cum Deo inito reſciſſo, nouũ cum diabolo initur, qua nefarium denique bellum

Cornelij Agrippæ finis.

Deo indicitur. Hinc tam frequens Dei in sacris litteris interdictum, omnibus nefarium hoc dæmonum consortium non vitantibus, extremum exitium interminantis. *Non declinetis*, inquit Deus Leuitici 19. *ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.* Et alibi: *Nec inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria: nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, aut diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur dominus, & propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Sed & tam canonicæ quam ciuiles leges eos qui à Deo desciscentes nefariæ huic diabolorum societati & commercio nomen dederint, exsecrantur, & è Christiana republica exterminari iubent.

Magia legibus diuinis exsecrabilis.

De modo discernendi apparitiones, vtrum à bonis aut malis sint spiritibus.

CAPVT IX.



ON minus vtile quam difficile est posse bonorum spirituum apparitiones a malignorum illusionibus & tendiculis discernere. Est enim tam intelligentis quam sentientis animi nostri magna imbecillitas; diaboli vero

astu-

astutia tanta vt facile se in Angelum lucis transformare possit. Quocirca nihil procliuius est, quam vt heic incauti ac creduli decipiantur: immo D. Paullus Apostolus scientiam discernendi spiritus inter gratias gratis sine vllo nostro merito datas annumerat. Ac profecto omnibus sæculis donum hoc in paucis insigne fuit. Optimus modus ac tutissimus is est, qui per diuinam fit reuelationem; quo excelluerunt S. Antonius, & S. Martinus Turonensis. Multis quidem aliis indiciis malignos spiritus deprehendere licet; sed in bonorum cognitione multum est difficultatis. In eo tam boni quam mali conueniunt, quod vtrique corpus formare sibi, aut assumere, homini in eo conspiciendos se præbere, rursumque quando volunt depositis exuuiis euanescere possunt: multum tamen quoad figuram, operationes, loquelam, atque inprimis finem, & alia nonnulla differunt. Boni quidem spiritus nulla fere alia forma quam humana apparuerunt; dæmones vero non hanc tantum, sed bestiarum etiam, vt luporum, vrsorum, leonum, serpentum, cattorum, canum, simiarum, vespertilionum, coruorum, multasque alias figuras, vt in suprapositis exemplis patet, induere, frequentissime vero sub canum, serpentum, hircorum, coruorum ac cornicum specie se monstrare solent. Agni quidem aut columbę speciem eos abusos, nuspiam legitur; vel Dei voluntate, non permittentis, vt duas has creaturas, quarum vna Dei filius Dominus & Saluator noster Iesus Christus, altera Spiritus sanctus adumbratur, pessimi Spiritus æmulentur; vel ipsorum

Spiritus quomodo dignoscēdi.

rum voluntate atque electione, tantopere à Deo abhorrentium, vt in quocumque aliqua eius cernitur nota & similitudo, refugiant atque auersentur. Theodoro cuidam, vt S. Gregorius testatur, dæmon horrendi draconis forma apparuit, manibus eius pedibusque cauda artissime implexis. D. Antonio, teste Athanasio in eius vita, non vna sed varijs reptilium, leonis, lupi, aspidis, scorpionis, vrsi, &c. formis occurrit. At protoplastas Adamum atque Euam idem serpentis specie in paradiso decepit. Defunctorum quidem cadauera boni spiritus numquam assumunt. A corporibus enim sceleratorum abhorrent; sanctorum vero & beatorum reliquias siue exuuias venerãtur. Malignos vero spiritus hominum sceleratorumcorpora nonnumquam subintrare, credibile videtur. Hinc pie antiquitus ordinatum vt mortuorum corpora in locis consecratis, cum cereis & orationibus sepeliantur, & aqua lustrali sepulcra conspergantur, tum thure aliisque suffumigationibus adoleantur, quo à dæmonum fraudibus atque iniuriis sint tutiora. Ad Beatorum vero corpora ijdem mirum est, quam trepident, quam fugiant: vt videre est in obsessis siue dæmoniacis, quorum multi ad sanctorum tumbas adducti sola præsentia sunt liberati, vt videre est ad reliquias S. Antonij Paduani, quæ multis eiusmodi remedio fuerunt. Affirmat Chrysostomus arreptitios siue dæmoniacos olim ad S. Protasij sepulcrum appropinquantes, ingentes vociferationes & rugitus edidisse, & celeri fuga inde se proripuisse, vniuerso populo Mediolanensi audiente & spectante. Operationibus

Dæmones animaliũ formas assumunt.

onibus etiam siue actionibus maligni spiritus à bonis distinguuntur. Bonorum enim omnes ad Dei laudem hominumque vtilitatem directæ sunt; at cacodæmones hoc vnum spectant atque agunt, vt diuino derogent honori, vtque quæ possunt humano generi mala inferant & damna. Quare omnes apparitiones, quarum finis est blasphemia, superstitio, mendacium, homicidium, luxuria, vel quod aliud peccatum, à dæmone sunt. Similiter qui vel adorare cupit, vel parum necessaria & curiosa, quæque sciri non possunt, reuelat, aut qui virtute alicuius herbæ, lapidis, ligni, animalis, aut similis alicuius rei homini subijcere se fingit, spiritus, dæmon est. Dæmones quoque sunt, qui sub certo aliquo siderum positu frequentius se conspiciendos præbent. hinc enim eorum errorem qui diuinitatem stellis tribuunt, confirmare nituntur. In summa omnes illæ operationes, de quibus supra, conuentus scilicet & choreæ nocturnæ, maleficia, damna, inhonestæ voluptates, aliaque eiusmodi, diabolum arguunt auctorem. Sæpenumero etiam Sathan in angelum lucis transformare se solet, atque in speciem bona operari: quo sane pacto difficile est malos spiritus à veris distinguere. Hinc D. Ioannes Apostolus monens ne cre dulitate nimia decipi nos sinamus, Nolite, inquit, mni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. Neque enim illud tantum considerandum est vtrum bonum quid sit, sed & hoc, vtrum ad bonum finem dirigatur. Sanant quoque morbos cacodæmones, consolantur, iuuant, remota indicant, aliaque faciunt; sed quo fine?

Apparitiones quæ veræ quæ falsæ.

ad hominis ſcilicet perditionem, & inprimis ad animarum exitium. Qua de re talis in Fratrum Minorum chronico deſcripta exſtat hiſtoria. In Auernia quum modo dicti fratres in ea paupertate animique tranquillitate viuerent, in qua S. Franciſcus eos reliquerat; cacodæmon indigne ferens, nouo quodam modo quum ſingulos non poſſet, omnes in periculum adducere ſategit. Hominis igitur formam mentitus, pro famulo ſiue miniſtro à nobili quodam diuite ſuſceptus eſt: cui quidem tam bonam tamque fidelem operam præſtare viſus eſt, vt omnes ſuas facultates adminiſtrandas nobilis ei conceſſerit. Præparcus is erat, neque antehac vmquam religioſos illos fratres eleemoſyna iuuerat: quorum quum fortefortuna incidiſſet mentio, miſericors hic magnopere illorum ſanctitatem vitæque aſperitatem laudare cœpit, multisque verbis hero perſuaſit nõ poſſe ipſum gratius Deo opus animæque conducilibus facere, quam ſi his religioſis eleemoſynam liberali impertiret manu. Sic perſuaſus nobilis carnes, piſces, panem, vinum, fructus aliaque ad corpus alendum neceſſaria abundanter quotidie fere miſit, ita vt boni noſtri Fratres iam vnctiuſcule cœnare, adeoque cuticulam curare inciperent. Quod è ſenioribus quidam animaduertens, & diſciplinam luxatam ægre ferens, obuiam ire malo conſtituit. Aſſumto igitur comite, nobilis ædes adit, à quo comiter exceptus, poſt varios ſermones quęrere cœpit, ecqua cauſſa motus tam copioſo ac lauto cibatu Fratres iam aleret, qui antea tam parcus in ipſos fuiſſet. Reſpondet

Luxu tententantur religioſi.

nobi-

bilis, eſſe ſibi charum ac fidum miniſtrum, ius verbis & rationibus inductus tam liberaer cum Fratribus agere decreuerit. Ibi Fra- nobilem rogat, vt eius conſpiciendi atque oquendi faciat poteſtatem. Cui morem gere cupiens nobilis, famulum accerſi iubet: i diu tergiuerſatus, quum tandem in conſpeum religioſorum veniſſet, ſtatim pro dæmoagnitus, ſubito diſparuit. Ita detecta fraumagno cum nobilis ſtupore, bonus hic ater cum ſocio in monaſterium reuerſus, rem mnem narrauit, atque exinde diſciplinam xu collapſam reſtaurauit. Simile quiddam in onaſterio Luſitaniæ Alenquera nomine, acciiſſe fertur. Huc dæmon hominis religioſi haitu ingreſſus, medicinam facere cœpit, tanta m diligentia & laude, vt alter AEſculapius ideretur. Idem in diuinis officiis obeundis m erat aſſiduus ac deuotus, vt deſiderari niil in eo poſſet. Vna res erat quæ Fratribus diſlicebat, quod quotiescumque Fratres ad Euhariſtiæ communionem accederent, bonus ic medicus ſemper aliquid, vel morbum, vel egotium, cauſſaretur, atque ita numquã quamiu in monaſterio fuerat, hoſtiam ſacratam erciperet. Fama huius medici in vulgus ſparſa, irum eſt quantus populi conſilium expetenis ad monaſterium factus ſit concurſus: quæ es non parum moleſtiæ Fratribus afferebat. Tandem Guardianus, vt vocant, mali aliquid ſuſpicatus, indicta ſupplicatione, factisque ſacris & precibus, diabolicam fraudem detexit, & laruam cacodæmoni detraxit: quo fugate

Dæmon medicus.

gato, mores Fratrum ad pristinam austeritat[em] à qua ob frequentem populi concursum, & [...] uiam liberalitatē non parum deflexerant, re[...] xit. Quapropter non tam ipsæ bonę vel malæ [spi]rituum operationes, quam finis considerand[us] est. Sæpe enim à bonis angelis ea efficiunt[ur] quæ mala videntur, sed ad bonum finem; eco[n]tra multa dæmonum opera boni speciem habe[nt] sed ad malum finem. Alio etiam signo boni g[e]nij à malis discerni possunt. Boni enim prim[o] congressu semper formidinem aliquam & turb[a]tionem animo adferunt, cui mox succedit ga[u]dium & tranquillitas; mali vero initio lætitiam postea horrorem & desolationem incutiunt. E[x]emplo est S. Propheta Daniel, qui viso angel[o] non cohorruit tantum, sed & emarcuit, adeo [ut] nec verbum loqui potuerit, donec ab angelo co[n]fortatus fuit, & bono esse animo iussus. Sed & beatissima Virgo, visitante eam Gabriele Arch[an]gelo, non parum extimuit; postea vero lætissim[o] nuncio est exhilarata. Complura alia similia ex[e]mpla licet proferre: sed hæc satis sunt. Contr[a] fit in ijs quæ à dęmone sunt apparitionibus: qu[æ] initio iucundæ ac hilares, tandem tristes ac do[]lentes destituunt. Id primæ nostræ matri Eu[æ] contigit, quæ diaboli blanditiis ac dulcissimi[s] persuasionibus illecta quam mœruit, quam acer[]ba passa est! Strepitu etiam & fetore, quem te[]trum & virulentum post se relinquunt, mali spi[]ritus dignoscuntur. boni enim, ac beatorum a[]nimę suauissimi odoris fragrantiam apportant, siquidem vult Deus hac ratione earum creatura[]rum quæ Deo aduersantur fœditatem; econtra[]

Genes. 3.

earum

um quæ ipſum amant quæque ab ipſo aman-
puritatem ac pulcritudinem oſtendere. A-
quoque ſignum nonnulli ponunt, quod ma-
iritus hominum forma apparentes, ſemper
nbrum aliquod mutilum aut deforme, cor-
ſcilicet, pedes caprinos, vngues, naſum ob-
gum & terribilem, oculos flammantes, pilo-
manus, rictum patulum, dentes prominu-
ac liuidos, & ſi quid tale eſt, habere dicun-
. Sunt etiam alia nonnulla indicia; vt ſi ſig-
n crucis, nomen Ieſu, & B. Virginis Mariæ, vel
orum ſanctorum eorumve reliquias, agni Dei
eam effigiem, luſtralem aquam, panem, ſalem
eumve benedictum aut alia huiuſmodi fugi-
& deteſtentur. Has enim res dæmones nullo
do ferre poſſunt: quin etiam earum præſentia
ementiſſime torquentur. *Signo crucis*, in-
it Athanaſius, *omnia magica compeſcuntur, ve-*
icia inefficacia fiunt, vniuerſa idola deſtruũtur.
alibi: *Solo ſigno crucis homo vtens, dolos à ſe dæ-*
num propellit. Lactantius auctor eſt, Impera- *Lact. li. 4.*
i cuidam ab idolis reſponſum negatum, præ- *diu. inſti.*
te vno tantum Chriſtiano qui ſignō crucis ſe- *cap. 27.*
munierat. Iulianus Imperator Chriſtianę re-
ionis transfuga, à mago quodam ad videndam
is ſpeciem adductus, territus à dęmonibus cir-
mcirca ſaltitantibus, crucis ſigno ſe ſignauit,
que ita manus eorum euaſit. Hilarion eremi-
teſte Hieronymo, crucis ſigno ſe muniens, dę-
ones fugauit, nocturna ipſi terriculamenta,
erorum heiulatum, mulierum planctum, ba-
tum ouium, leonum rugitum, boum mugi-
m, concurrentium acierum atque armorum
frago-

fragorem imitando, obijcientes. Non minus sa-
ctorum reliquias dęmones oderũt & auersant.
Quam in sententiam Chrysostomus inquit:
enim ea sanctorum potestas, vt illorum superstit
ne vmbras quidem & vestes ferre possint dæmon
vita autem functorum & loculos quoque refor-
dent. S. Augustinus testatur spectrum in Afri
ex Hesperij cuiusdam fundo, allata è terra Hi-
rosolymitana gleba, profligatum: quæ gleba p-
stea inter sacras reliquias fuit asseruata. Plur-
mum facit ad hæc quod ex Antonio Lauoreri
cuius supra non semel facta est mentio, audiu.
Huic dæmoniacam exorcisanti, spiritus malig-
nus comminatus est, ea se nocte negocium ip-
facessiturum. Respondit exorcista, atque etiam
vltro increpuit, si non quod minatus erat face-
ret, pro vili & abiectissimo spiritu habiturum
eum se dicens. Ea nocte Antonius cubiculi ost-
um ter pulsari audiuit; statimque dæmonem ess
suspicatus crucis se signo munijt, seque Deo com-
mendauit. Paulo post strepitum audit in superi-
ori ædium tabulato tanquam lapidum de tect
in lectum deiectorum; reliqua nocte per silenti-
um transacta. Sequenti die dæmoniacam iterum
exorcisans Antonius dæmoni exprobrauit, quod
ea nocte non, vti promiserat, venisset. Aiebat
ille, adfuisse se quidem, ostium pulsasse, atque
etiam lapides quosdam supra lectum iecisse; ce-
terum intrare non potuisse, tot sacris inde rebus
abactum: immo si quantum in inferno est diabo-
lorum veniat, neminem eò penetrare ausurum.
Transferret lectum suum aliò, experturum tum
an promissis satisfacturus esset. Certum igitur
est at-

Reliquiæ dæmoni inuisæ.

eſt atque indubitatum, diuini nominis inuocationem, & benedicta illa Catholicæ religionis, crucis ſcilicet ſignaculum, reliquias, atque alia ſymbola eiuſmodi, certiſſima contra diabolicas fraudes eſſe amuleta: quibus homo munitus vniuerſæ Acheronticæ turbæ facile reſiſtere, cum certa ſpe victoriæ, poteſt. Sunt alia etiam indicia quibus boni ſpiritus à malignis & damnatorum animis diſcernuntur: de quibus alio loco.

De incertudine humanæ ſcientiæ, & ſacroſanctæ ſcripturæ veritate.

CAPVT X.



TAnta homini à natura innata eſt diſcendi veritatiſque cupiditas, vt in ea inueſtiganda alijſque tradenda præſtantiſſima quæque ingenia à primo ſæculo mirifice ſemper deſudarint. Verum enimvero quemadmodum Ixion in fabulis nubem pro Iunone, ita plerique omnes pro veritate mendacium, pro certitudine fallaciam, pro ſcientia ignorantiam amplexi ſunt. Cauſſa eſt, quod ſolo intellectu duce & ingenij vi expiſcari veritatem conati ſunt; quo confiſi, etiam humanis diuina, finito infinitum capere, ac de tenebris lucem accendere præſumſerunt. Hinc tot philoſophantium apud antiquos ſectæ & ſcholæ, Academicorum, Scepticorum, Pyrrhonicorum, Peripateticorum, Platonicorũ, Stoicorũ, Epicureorũ, Pythagoreorũ,

Elea-

Eleaticorum, & aliæ complures: qui omnes vt nominibus inter se, ita etiam dogmatum & sententiarum diuersitate plurimum dissidebant. Horum alij opinionis suæ de primis rerum principiis, fundamentum terram, alij aquam, alij aerem, alij ignem, alij omnia quatuor elementa, alij cœlos, alij stellas, alij atomos, alij numeros, alij concentum musicum, alij vacuum, alij plenũ, alij denique aliud posuerunt. Inde fit vt nihil solidum, nihil constans atque immotũ in horũ omnium doctrinis reperiatur, sed omnia mirabiliter inter se & cum aliis pugnent; neque quid verum quid falsum sit, sciri possit. Eam ob caussam Deus Iobum, in diuina consilia curiosius inquirentem, ita increpat: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te & responde mihi. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius? Quum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? Quum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectẽ & ostia. Et dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius, & heic confringes tumentes fluctus tuos. Nũquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ab ea? Restitue-

Iac. ca. 38.

stituetur vt latum signaculũ, & stabit sicut vestimétum, &c. Postea de niuibus, tempestatibus, luce, rore, Pleiadibus, Aestiuo, Lucifero, Hespero &c. disserens Deus, illud indicat, humanam sciétiam diuino lumine destitutam meram esse ignorantiam. Audiamus Augustinum exclamantem: *Quid patimur? quid est hoc quod audisti? Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine?* Quid Paulus? *Nemo*, inquit, *se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. Scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum.* Idem deinde cum Isaia in hanc vocem erumpit: *Perdam sapientiam sapiẽtum, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Quid Socrati Sapientis cognomen conciliauit, quam illud quod omnibus in disciplinis diu multumq; versatus, *hoc vnum scire se quod nihil sciret*, professus est? Eandem in sententiam Ecclesiastes, *Intellexi*, inquit, *quod omnium operum Dei nullam posit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub sole. Et quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat, etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Apud gentiles philosophos magna fuit Academicorũ auctoritas, qui nihil affirmare audebant. Sic & Pyrrhonici omnibus de rebus dubitabant. Et profectò, si verum dicere volumus, qui humanæ scientiæ innititur, fundamentum aliud nullum habet quam humani ingenij opinionem; nec vlla habet principia quæ certis & indubitatis rationibus probari possint: quibus negatis, & ipsa doctrina corruit. Hinc illud Academicorum

Aug. Con. lib. 8.

1. Cor. 3.

Ecclesi. 8.

Eleaticorum, & aliæ complures: qui omnes vt nominibus inter se, ita etiam dogmatum & sententiarum diuersitate plurimum dissidebant. Horum alij opinionis suæ de primis rerum principiis, fundamentum terram, alij aquam, alij aerem, alij ignem, alij omnia quatuor elementa, alij cœlos, alij stellas, alij atomos, alij numeros, alij concentum musicum, alij vacuum, alij plenũ, alij denique aliud posuerunt. Inde fit vt nihil solidum, nihil constans atque immotũ in horũ omnium doctrinis reperiatur, sed omnia mirabiliter inter se & cum aliis pugnent; neque quid verum quid falsum sit, sciri possit. Eam ob caussam Deus Iobum, in diuina consilia curiosius inquirentem, ita increpat: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te & responde mihi. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius? Quum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? Quum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectẽ & ostia. Et dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius, & heic confringes tumentes fluctus tuos. Nũquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ab ea? Restitue-

Iac. ca. 38.

stituetur vt latum signaculũ, & stabit sicut vestimẽtum, &c. Postea de niuibus, tempestatibus, luce, rore, Pleiadibus, Aestiuo, Lucifero, Hespero &c. disserens Deus, illud indicat, humanam sciẽtiam diuino lumine destitutam meram esse ignorantiam. Audiamus Augustinum exclamantem: *Quid patimur? quid est hoc quod audisti? Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine?* Quid Paulus? *Nemo*, inquit, *se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. Scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum.* Idem deinde cum Isaia in hanc vocem erumpit: *Perdam sapientiam sapiẽtum, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Quid Socrati Sapientis cognomen conciliauit, quam illud quod omnibus in disciplinis diu multumq; versatus, *hoc vnum scire se quod nihil sciret*, professus est? Eandem in sententiam Ecclesiastes, *Intellexi*, inquit, *quod omnium operum Dei nullam poßit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub sole. Et quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat, etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Apud gentiles philosophos magna fuit Academicorũ auctoritas, qui nihil affirmare audebant. Sic & Pyrrhonici omnibus de rebus dubitabant. Et profectò, si verum dicere volumus, qui humanæ scientiæ innititur, fundamentum aliud nullum habet quam humani ingenij opinionem; nec vlla habet principia quæ certis & indubitatis rationibus probari possint: quibus negatis, & ipsa doctrina corruit. Hinc illud Academicorum

Aug. Con. lib. 8.

1. Cor. 3.

Ecclesi. 8.

corum decretum, Contra negantem principia nõ esse disputãdum. Ad horum iudicem & magistrũ non rationem, sed sensum constituerunt: quo, nihil incertius est, nihil fallacius: qui vt à corpore hac mole dependet, ita cum eadem extinguitur. Quum enim corpus corruptibile sit, è contrarijs quippe compositum, passionibus miserijsque obnoxium; sensus profectò ab eodem contagionem trahat necesse est. Oculorum quidem sensus facilimè decipitur, aut defectu & alteratione apticorum neruorum, aliorumque videndi instrumentorum, aut alterius corporis interpositione; aut etiam ipsius rei visilis vitio: vt in ebrijs videmus, quibus vmbræ profundi, hiatus, montesque moueri videntur, & duplices, vt ille inquit, Thebæ se ostendunt. Ait Aristoteles fuisse aliquem cui tamquam in speculo sua ipsius imago semper fuerit obuersata. Experimentum capere licet à sole, quem qui fixis oculis intuetur, ei deinde aliò conuertenti oculos flaua omnia, inde rubra, nigra demum apparent, quoad tandem oculorum illa cesset alteratio. Per viride vitrum inspicienti omnia viridia apparent; quod & in alijs omnibus contingit coloribus, atque etiam res, vel potius rerum imagines maiores vel minores videntur, prout diaphani scilicet natura. Gustum quidem & odoratum facilimè decipi medici fatentur, inprimis verò à catharris, qui dulcia & amara, beneolentia fœtida, sapida, insipida reddunt, pro qualitate humoris corrupti. Est quidem sensuum omnium exquisitissimus & acerrimus tactus præ cæteris animalibus in homine; sed nec hic ab errore est immunis

Sensus fallaces.

Visus.

Gustus & odoratus.

Tactus.

nis. Aegrotis enim frigida calida, mollia aspera sentiuntur. Nota est Iacobi pro Esau se supponentis, ars siue impostura. Auditus quidem tanta est incertitudo, vt sæpenumerò audire nobis videamur quæ non audimus; & econtra quæ audire debebant, aures præterlabantur. Pythagoræi mirificum à cœlestibus orbibus edi concentum, sed continuo vsu ab homine non percipi, dixere. Sic à causidicis fori strepitus, à fabris incudum gemitus, à militibus tormentorum fragor & armorum strepitus minus sentitur. Theophyli cuiusdam medici Galenus meminit, febre laborantis, qui continuè tibias aliaque instrumenta musica audire sibi visus sit; & sanus etiam id verè ita fuisse affirmarit. Quod si ergo tanta est sensuum imbecillitas & fallacia; ecquæ humanæ scientiæ, quæ sua illis principia debet, possit esse certitudo? *Omne quod corporeum*, inquit sanctus Augustinus lib. de Ciuitate 83 99. *sensus attingit, quod & sensibile dicitur, sine vlla intermissione temporis commutatur; velut quum capilli capitis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectutem, aut in iuuenta efflorescit, perpetuò id fit, nec omninò intermittit fieri. Quod autem non manet, percipi non potest. Illud enim percipitur quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis à sensibus corporis.* Hinc tot philosophorum inter se digladiantium altercationes opinionum ac contentiones, quibus infiniti ferè libri refecti sunt. Quam variæ quamque

Auditus.

Gal. lib. de diff. sympt. cap. 3.

discrepātes de Deo, de spiritibus, de Mundi origine, è sensuum iudicio philosophantiũ fuerint sententię, supra ostēsum est. Deũ esse Diagoras Milesius & Theodorus Cyrenęus impiè & stolidè negarũt. Esse Deum, Epicurus quidem fassus est, sed rerũ humanarum nullam habere curã. Vtrum Deus sit vel non sit, sciri non posse Protagoras dixit. Aliorum sententias supra l. libro recensitas, heic omitto. Quis non rideat tot antiquorum deideis, atomis, materia, forma, vacuo, infinito, æternitate, Fato, quinta essentia, ac similibus rebus cōmenta, vel potius portenta? De anima, Deus bone, quas illi nobis quãque insanas opiniones prodiderunt? Animam non esse, sed corpus naturaliter moueri; Crates Thebanus dixit. Animam spiritum esse feruentem & ex igne compositũ, Hipparchus & Leucippus delirarunt, Anaxagoras, Anaxmenos & Diogenes aerem; Hippias aqueum, Hesiodus terreum honorem; Epicurus & Boetes spiritum ex aere & igne compositum; Asclepiades carnem sensuum exercitatione prędítum; Zeno & Diarchus quatuor elementorum complectionem; Antipater, Cleanthes & Galemes calorem, vel calidam quandam naturam; Chrysippus, Archelaus & Heraclitus lucem; Thales, naturam inquietam, sui ipsius motricem; Xenocrates & Aegyptij numerum seipsum mouentem. Aristoteles nouam architectatus est animæ definitionē: esse scilicet Entelechiam, id est, perfectionē corporis naturalis organici, apti ad viuendũ, cui illa intelligendi, sentiendi & mouendi principia largitur. Platoni Anima est essentia intellectu prædita, seipsã mouēs. Zoroaster, Hermes, Orpheus, Pythagoras, Amonius, Plutarchus, Timæus, Locē-

De Deo philosophorum discrepantes opiniones.

De anima.

sis,

Porphyrius Animā dixerūt esse diuinā quandā [su]bstantiam, indiuisibilem, totum corpus infor[ma]ntem. Prudentius Cicero & Seneca, Animæ [na]turam perfecte explorari posse negantes. Iam [qu]æ de sede animæ ijdem statuerunt, quam varia [su]nt, quam vana & ridicula. Hierophilus & Hip[po]crates in cerebri ventriculum, Erasistratus mē[bra]nam epicranij, Epicurus totum pectus, Dioge[ne]s ventriculum cordis arteriatum, Chrysippus [cu]m Stoicis cor, & qui in eo sunt spiritus, Empe[do]cles & Pythagoras sanguinem animæ esse do[m]icilium & sedem, Plato verò, Aristoteles & alij [a]nimam in toto esse corpore statuerunt. Non mi[n]us varie illa inter philosophos agitata fuit quæ[st]io, vtrum anima mortalis sit vel immortalis. [M]ortalium esse Democritus & Epicurus; immor[t]alem, Pythagoras & Plato crediderunt. Stoici, [m]alorum animas extingui, bonorū ad sublimio[r]es illas substātias aggregari & perpetuo viuere, [a]rbitrati sunt. Aristoteles ita suspenso in hac dis[p]utatione incedit gradu, vt quid vere senserit, [n]ulla satis certe appareāt vestigia. Et, vt verbo di[c]ā, scientiæ hominū ingenijs inuentæ magis pelle chameliontis magis sunt variæ, magis discordes elementis, mari magis infidæ, ventis leuiores, intricatiores Labyrintho, Luna instabiliores, tenebris obscuriores, femina instabiliores. Qui ergo veritatem reperire cupit, ne eam ab hominibus sed à Deo, non à tenebris sed à luce, non ab eo qui nihil sed qui omnia scit, petendam sibi exstimet. Hanc Dei nobis verbum, nō humani ingenij acrimonia demonstrat. Hæc vt olim in veteri Testamento populo Israelitico diuinitus tradita fuit, & inter tot exsilia, strages ac desolationes incor-

De sede animæ.

De animæ immortalitate.

Veritas è sacris literis petenda.

corrupte, vt Philo & Iosephus testantur, per annos bis mille conseruata; ita in Nouo per ipsum Dei filium B. N. & saluatorem Iesum Christum patefacta est. Ego, inquit Christus, *sum via, veritas, & vita*. Et alibi ad hoc in mundum venisse se dicit, vt veritati testimonium perhiberet. Quid mirum igitur, philosophos qui tam longe Deo abfuere, à veritate quoque, quam ita studiosè inuestigare videbantur, quam longissime aberrasse. Neque vero in philosophiæ contemtum hæc à me dicta accipi velim (non enim hæc mihi mens aut scopus) sed in sacrarum literarum commendationem, è quibus certissima veritatis cognitio hauriri potest. Sed & hoc deprecandum mihi video, ne curiositatis crimen mihi quisquam impingat, quod tum multas Stoicorum, Platonicorum, Peripateticorum, Chaldæorum, AEgyptiorum, Cabbalistarum, Mahumetanorum, & aliorumque opiniones congesserim: nullo certe alio fine quam vt ex diuini verbi collatione veritatis vis tanto melius percipiatur. Aquæ bonitatem quomodo quis deprehendat nisi qui fontes omnes degustarit? turbidi riuuli, amari, insipidi, putidi, pleni sordium & immunditie fontem in salubrem arguunt; limpidi vero, instar speculi pellucidi, & sapidi aquæ præstantiam ostendunt. At quis fons illo clarior & salubrior, cuius venas Deus in noui & veteris Testamenti libris nobis aperuit & reuelauit? in quibus nulla est contrarietas, nihil dubium, nihil obscurum inter Theologos. Ipse noster Saluator per hanc limpidissimam aquam se manifestauit, inquiens: *Ego sum fons vitæ*, &c. Et ad Samaritanam, *Qui biberit*, inquit,

Excusatio auctoris.

Ioan. 4.

inquit, *ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quod si quãdo non idem sentire videntur Doctores: fit id tantum ijs in rebus quarum veritas à Spiritu S. & Ecclesia, quæ errare non potest, nondum est decisa. Et vt S. Scripturæ infallibilis est auctoritas; ita Doctorum libris tantum quatenus cum ea conueniunt, fides est adhibẽda. Sic enim Augustinus ad Fortunatum: *Nec quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum laudatorum hominum, veluti scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare aut respuere.* Et in libro de Vnico Baptismo: *Quis nescit Canonicam sanctam scripturam Veteris, & Noui Testamenti certis suis terminis contineri, eamq; posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari non possit, vtrum verum aut ratum sit, quicquid in ea scriptum constitit esse. Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum Canonem scriptæ sunt vel scribuntur, vel per sermonem forte sapientioris cuiuslibet, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendo, si quid in eis forte est à veritate deuiatum.* D. Hieron. in Epistola quadam ad S. August. libros eius succensuram reuocari posse aperte ostendit. *Nec mireris,* inquit, *si in tuis libris, & maxime in scripturarum expositione, quæ vel obscurissima sunt, quædam à recta linea discrepare videantur, & hoc dico, non quod in operibus tuis quædam reprehendenda iam censeam, neq; enim lectioni horum vnquam operam dedi, nec horum exemplariorum apud nos copia est, præter soliloquiorum libros, & quosdam commentarios in psalmis: quos si vellem discutere, non dicã à me, qui nihil sum sed à veterum Græcorum docerem interpretationibus discrepare.* Eadẽ in caussa August. ad

Hiero-

Hieronymum ita rescribit: *Ego enim fateor, charit tua solis scriptura libris, qua iam Canones appellantur, dici hanc timorem honoremq; deferre, vt nullum hor auctorum scribendo errasse firmissime credam*. Et pau inferius: *Aliorum autem scripturas ita lego, vt quant libet sanctitate, & doctrina polleant, non ideo verum p tem, quia ipsi senserint, sed quia vel per alios locos sac scriptura, vel probabili, id est, euidenti ratione quo vero non abhorreat, persuadere potuerunt: nec te, fra mi, arbitror sic libros tuos legi velle, tanquam Prophet rum, & Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni rore careant, dubitare nefandum est: absit hoc à pia h militate, & veraci de temet ipso cogitatione*. Ex quib omnibus patet vltra eam quę in diuinis libris persc pta est scientiam perfectam nullam requiri: ac tem re, immò impie facere illos qui humani ingenij in gine Dei arcana rimantur. Longe vero gratissi Deo eorum est humilitas, qui omnem heic pon curiositatem. Sic Deus ipse inquit, Arcana cœlest sapientibus abscondita, infantibus autem reuelata se. Ad me quod attinet, equidem malim vere corri & reprehendi quam falso laudari. *Qui errantem la dat*, inquit Augustinus, *errorem confirmat, & qui ad latur, ad errorem allicit*, &c. Quod si quis in hoc ope obrepsit error, eum meæ imperfectioni ascribi; cete omnia Deo omnium bonorum auctori adscribi ve lim Et vt finem imponam, & me & omnia mea scrip ta sanctæ catholicæ Romanæ Ecclesiæ, & probatis omnibus & sinceris Theologis submitto: à cu ius decretis si quid discrepabit, iam hoc ipso reuoco & pro indicto haberi volo.

FINIS

Hieronymum ita rescribit: *Ego enim fateor, charit tua solis scripturæ libris, quæ iam Canones appellantur, dici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum hor auctorum scribendo errasse firmissime credam.* Et pau inferius: *Aliorum autem scripturas ita lego, vt quant libet sanctitate, & doctrina polleant, non ideo verum p tem, quia ipsi senserint, sed quia vel per alios locos sac scripturæ, vel probabili, id est, euidenti ratione quod vero non abhorreat, persuadere potuerunt: nec te, fra mi, arbitror sic libros tuos legi velle, tanquam Prophet rum, & Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni e rore careant, dubitare nefandum est: absit hoc à pia h militate, & veraci de temet ipso cogitatione.* Ex quib omnibus patet vltra eam quę in diuinis libris persc pta est scientiam perfectam nullam requiri: ac tem re, immò impie facere illos qui humani ingenij in gine Dei arcana rimantur. Longe vero gratissim Deo eorum est humilitas, qui omnem heic pon curiositatem. Sic Deus ipse inquit, Arcana cœles sapientibus abscondita, infantibus autem reuelata se. Ad me quod attinet, equidem malim vere corri & reprehendi quam falso laudari. *Qui errantem la dat*, inquit Augustinus, *errorem confirmat, & qui adu latur, ad errorem allicit*, &c. Quod si quis in hoc ope obrepsit error, eum meæ imperfectioni ascribi; cete omnia Deo omnium bonorum auctori adscribi ve lim Et vt finem imponam, & me & omnia mea scrip ta sanctæ catholicæ Romanæ Ecclesiæ, & probatis omnibus & sinceris Theologis submitto: à cu ius decretis si quid discrepabit, iam hoc ipso reuoco & pro indicto haberi volo.

FINIS

the people to
insomuch as they saw
things which came to passe b
that were slaine,
43 And hauing made a ga
companie, sent to Ierusalem a
drachmes of siluer, to offer a
very well and honestly, that h
surrection.
44 For if he had not hoped
slaine should rise againe, it
and vaine to pray for the de
45 And therefore hee p
great fauour laide vp for th
was an holy and good tho
conciliation for the dead,
uered from sinne.

CHA

1 The comming of Eup
of Menelaus. 10 Mace
pator moueth his souldi
teene thousand
Rhodocus the betrayer

IN the hundred fo
Iudas that Antic
with a great power
2 And Lysias the
with him, hauing
thousand me
thousand horsm
and three hundr
3 Menelaus
and with great
for the safegard
thought to hau
4 But the
minde againſt
and the king
mischiefe, fo
him to Berea,
was in that pla
5 Now the
cubites hie, f
that turned ro
into the ashes.
6 And the
sacrilege, or o
of all men to th
7 And so it
should be such
that Menelaus
8 For beca
by the altar, w
himselfe also d
9 Now
to the wards
his father
10 Which
maunded the pe
day that if eu
before them
law from th

...fore to send vnto
..., that when they are
...de, they may be of good com-
...y goe about their owne affaires
...e Kings letter vnto the nati-
...OCHVS vnto the Elders
...the rest of the Iewes sendeth

... we haue our desire: we are

...red vnto vs that your desire
..., and to apply your owne bu-

...that will depart, wee giue
...the thirtie day of the mo-

...vse their owne maner of
...fore, and none of them by
...harme for things done

...us to comfort you.
...hundreth and eight and
...day of the moneth of

...sent a letter conteining
...VS MEMMIVS and
...of the Romanes, vn-
...send greeting.
...as the kings kinseman
...the same also.
... which wee shall report
... some with speed, when
...ter diligently, that we
...all be best for you: for
...
... haste, and send some
...minde.
...ed and eight and fortie
... moneth of Panthicus.
... XII.
... Iewes. 3 The wicked
... Iewes. 6 Iudas a-
...in the hauen of Ia-
... against Timotheus.
... vnhurt. 32 Iudas

... were made, Lysias
... the Iewes tilled their

...places, as Timothe-
...of Gennens, and Iero-
... and besides them Ni-
... would not let

... such a vile act: they
...among them, to goe
... into the ships which
... they had caught them

... of the ...
...: but when
... they drowned

0776

